

NAZIONALE
VITT. EMANUELE
ROMA
M 8
13 — K
23

G. IV
6

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SPECVLVM ECCLESIASTICVM,

In quo plenè traduntur omnia, quæ ad Eccleſiaſticos omnes tùm Seculares tùm Regulares, & præcipuè ad Animarum Paſtores pertinent, tàm in ordine ad perfectionem propriam, quàm in ordine ad inſtructionem populorum.

Diſtinctum in tres partes.

QVARVM

Prima. Continet BONITATEM, ſeu Informationem Eccleſiaſticorum interiorem.

Secunda. Continet DISCIPLINAM, ſeu Informationem Eccleſiaſticorum exteriorem.

Tertia. Continet SCIENTIAM, ſeu Informationem Eccleſiaſticorum in ordine ad alios, & præſertim ad Animas ſibi commendatas.

Compoſitum à P. D. Pio Caſſetta de Olibano Romani Diſtrictus Cl. Reg. S. Pauli I. V. D. ac Theol. & Pœnitentiario in Metropolitana Bononienſi.

PRIMA PARS.

Scholæ Piæ S. Pantaleonis Romæ

Pragæ primùm, nunc denuò Bononiæ edita
Apud Io. Baptiſtam Ferronium 1650. Superiorum permiſſu.

Digitized by Google



Digitized by Google

EMINENTISSIMO
AC REVERENDISS. PRINCIPI
AC DOMINO
D. FABRITIO
SABELLO
S. R. E. Card. Ampliſsimo
ARCHIEPISCOPO SALERNITANO
ac Bononiæ Legato de latere digniſſimo.

Don Pius Caſſetta Cl. Reg. S. Pauli ſempiternam felicitatem.

VIx, Eminentiſſime Princeps, præſentis mei operis partus prima vice Pragæ lucem aſpexerat (vbi tunc temporis Eminentiſs. D. Cardinali ab Harrach eiuſdē Ciuitatis Archiepiſcopo Theologus & Aſſeſſor in eius Archiepiſcopali conſiſtorio deſeruiebam) cum irrumpente ferali illa Suecorum colluuie, nobilioremq; regiæ illius Ciuitatis partem barbarico furore diripiente, in hoſtiles incidit hæreticorum manus, qui eum vnam cum auctore ſuo ob ſanam, catholicamq; in eo contentam doctrinam; & præcipuè ob improbatam ibidem religionis ſeu conſcien-

ſcientiæ libertatem de medio tollere ex ſupremi illorum Ducis decreto celerrimè feſtinabant. Inquirebant eos, qui ſe operi cum approbatione ſubſcripſerant: perquirebant exemplaria iam impreſſa: & nihil intentatum relinquebant, quo infenſum ſibi opus auerruncarent. Res omnino pro voto barbaris ſucceſſiſſet, ni Clementiſſimus Deus (qui nunquam deſerit ſperantes in ſe; præſumentes autem de ſeipſis, & de ſua virtute gloriantes humiliat) illorum conatus irritos abire feciſſet. Nam auctor operis poſt aliquot dierum in loco perquàm abdito ſeceſſum ſe de illorum manibus ad necem inferendam paratis clandeſtinè proripuit, atq; coadiuuantibus ſuæ Religionis fratribus imminens vitæ periculum non ſine ſpeciali Dei adiutorio mirabiliter euaſit. Inde per varios viarum anfractus Bohemiæ regnum circumiens vt militum occurſus declinaret, tandem Lintzium peruenit inſignem Auſtriæ ſuperioris Ciuitatem, vbi rem totam Auguſtiſſimo Cæſari Ferdinando Tertio expoſuit (ibi enim Cæſar tunc temporis morabatur.) Poſt hæc redeunte Imperatore Viennam Auſtriæ inferioris Metropolim, auctor ſe adiunxit Cæſaris aulicis, quibuſcum Viennam petijt, ibiq; in ſuæ Religionis Cœnobio hyberno toto tempore permanſit, quo elapſo tandem aliquando in Italiam natale ſibi ſolum optatiſſimè remeauit. Sed quid de partu? Paucis ante diebus, quàm funeſta illa irruptio contingeret, fortè fortuna ſex exemplaria offerente ſe quadam occa-

ſione

ſione fuerant tranſmiſſa Viennam. Cum autem opus eſſet illa pauca varijs Principibus viris communicare, vix vnicum penès auctorem remanſit, quod vnicum veluti ſemen in hoc fœcundo literarum ſolo Bononienſi proſperè diſſeminatum fructum quinquies centeſimum nuperrimè reportauit. Et ecce nunc, Eminentiſs. Princeps, vnà cum meo partu tanquam à mortuis rediuiuo longa emenſus terrarum ſpatia, non paucis perfunctus laboribus, non ſemel ac bis in vitæ diſcrimen adductus in tuum clementiſſimum ſinum, veluti in placidiſſimum ac tutiſſimum portum vcrè per vndas perſecutionum iactatus tota auiditate confugio. Et ſanè ita ſe habentibus in præſentiarum rebus, quem alium mihi patronum aſciſcere conuenientius poteram, quàm tuam Eminentiſſimam Celſitudinem? Nam ſiue receptus ille à cunctis mos ſuos dicandi libros inſpiciatur: ſiue huius origo operis conſideretur: ſiue eiuſdem operis argumentum contempletur: ſiue locus editionis attendatur: ſiue denique auctoris conditio & patria recolantur, omnia voce concordi poſtulant non alteri Principi, quàm tuę Amplitudini hoc opus eſſe omninò deuouendum. Et primò quidem hoc poſtulat communis dicandi libros conſuetudo; ſolent enim ſcriptores ſinguli cum aliquid commentationis in lucem dare volunt illuſtrem ſibi virum aliquem deligere, cui partus ſuos editos commendent: At quis Te illuſtrior? cuius illuſtriſſimæ familiæ nomen vniuerſum penè orbem per-

ua-

uaſit ; cuius gentis antiquitas cum ipſa antiquitate decertat; cuius gentilitium ſtemma longa ſublimium virorum ſerie decoratur. Quinam orbis angulus Sabellorum nomen ignorat? Quænam gens cum Sabellis de antiquitate cõtendit? Quodnam alterum ſtemma plures ſibi computat Heroes? Hoc ſtrenuiſſimos bellatores, hoc Duces exercituum, hoc ſacra infula decoratos, hoc cardinalitia purpura inſignitos, hoc ſummos Pontifices, hoc deniq; præfulgentes ſanctitate viros in ſuo albo ſcriptos agnoſcit. Numeret qui poteſt ſydera firmamenti, & numerabit Sabellorum Heroes. Sed non minus idem poſtulat origo præſentis partus; exordium enim habuit in Germania; ibi conceptus, ibi formatus, ibi expolitus, ibi primam lucem vidit: Sed verum etiam quòd ibi naufragium paſſus, & penè fluctibus perſecutionum obrutus; nũc autem ex illis emergens in cuius ſinum tutius confugere poteſt, quàm in Germanorum Patroni? Tu es, Eminentiſſime Princeps, Germanorum omnium aſylum; ſiquidem accepta tanquam hæreditaria à maioribus erga Germaniæ populos propenſione, quicquid Germaniam redolet ſumma benignitate complecteris. Nec mirum; ex eo enim es parente progenitus (Paulo inquam fel. rec. Principe) qui munus Oratoris apud S. Sedem Apoſt. pro Sac. Cæſ. Maieſt. Ferdinandi Secundi Imperatoris, proindeq; Germania vniuerſa plurimis annis ſummo cum ſplendore ſuſtinuit; quod idem munus poſt Paulum Federicus

Dux

Dux patruus tuus fel. quoq; rec. ſtrenuiſſimus bellator, & Dux prudentiſsimus poſt emeritos tùm in Germania, tùm in Italia bellicæ virtutis honores Romæ non paucis annis pari cum laude adminiſtrauit. Sed nunquid operis argumentum non idem poſtulat? At multùm. Inſcribitur enim Speculum Eccleſiaſticum, in quo plenè traduntur omnia, quæ ad Eccleſiaſticos omnes tùm Seculares tùm Regulares pertinent: Verùm cuinam congruentius hoc Speculum commendari debuit, quàm Tibi, qui ſacra purpura inſignitus, & Archiepiſcopatu inſuper Salernitano ornatus Eccleſiaſticorum ductor nobilis & anteſignanus exiſtis? Non minori etiam titulo hanc operis nuncupationem expoſcere videtur ipſe editionis locus; eſt enim Bononia, vrbem dico matrem ſtudiorum, literarum parentem, ſcientiarum altricem: At opus Bononiæ editum cuinam æquius dicandum erat, quã Tibi Bononiæ Legato de latere digniſsimo, eiuſq; gubernationem pro maieſtate gerenti? Poſtremò quòd Tibi, Eminentiſsime Princeps, hoc opus nuncupetur ſummo iure ſibi vendicant patria, & conditio auctoris; patria, quia Romano in diſtrictu natus, Romæ educatus, Romæ literarum ſtudijs excultus: conditio, quia Eccleſiaſticus, regularem vitam per multos annos in Ven. Cler. Reg. S. Pauli Congreg. profeſſus: At Romanus, & Eccleſiaſticus quem iuſtius exigit Patronum, quàm Te verè Principem, verè Eccleſiaſticum, verè Romanum? Cum igitur tot

no-

nominibus hoc tibi opus debeatur illud tuo tibi iure potius soluo quàm dedico ; reddo potius quàm dono. Tuum est modò , Cardinalis Amplissime , illud ea, qua soles animi benignitate suscipere, meq; cum illo auctoritate defendere,qua magna polles; patrocinio tueri , quo potenti vales ; & honore illustrare, quo maximo splendes; quod vt præstes & tua singularis exigit comitas ; & mea in te obseruantia maxima promeretur. Faue.

Vale.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D.

D. MARCELLO SANCTACRVCIO

Vtriuſq; Signaturæ SS. D. N. Papæ Referendario Sac. Cong. de Bono Regimine Prælato, & Bononiæ Prolegato meritiſſimo.

D. Pius Caſſetta Cl. Reg. S. Pauli felicitatem plenam.

EA intercedit, Illuſtriſſime Prolegate, inter tuam Dominationem, & Eminentiſſimum Cardinalem Fabritium Sabellum Bononiæ Legatum de latere aigniſſimum, animorum coniunctio, conſiliorum communicatio, voluntatum conformitas, & decretorum conſenſio ad felicem ampliſſimæ huius ditionis gubernationem, vt quod Legatus imperat hoc Prolegatus protinus exequatur: & quod ille ſentit, hoc ille continuò approbando confirmet; ita vt idem prorſus animus vtrique ineſſe, ac præeſſe omninò videatur. Cum igitur hoc meum opus ipſi Eminentiſſimo Legato dicare illius benignitate nixus non dubitauerim, non ab re facturum exiſtimaui ſi eiuſdem operis veluti frontem illuſtriſſimo quoque tuo nomine collustrarem. Quæ enim ſunt aliqua inter ſe ratione coniuncta, tanquam vnum quid moraliter habentur; ac proinde quod debetur vni, & alteri debetur; & quod vni perſoluitur, perſoluendum continuò cenſetur & alteri. Hoc igitur potiſſimum fuit in cauſa, cur præſens opus Eminentiſs. Legato prius nuncupatum, tuæ quoq; Illuſtriſſimæ Dominationi nuncupare non ambigerem: Quamuis plurimæ etiam aliæ cauſæ mihi abundè ſuppetiiſſent, quibus ad idem præ-

ſtandum poteram non ſegniter perurgeri. Scio enim quanta animi benevolentia tua Illuſtriſsima Dominatio meam Clericorum Reg. S. Pauli Congregationem, cuius ego alumnorum ſum minimus, proſequatur. Sum mihi ſatis conſcius quanta me ſemper tuam dominationem adeuntem benignitate complecteris. Non me praeterit felix recordatio Eminentiſsimi Antonij S. R. E. Cardinalis tui patrui, & mei olim in Coll. Romano in literarum palaestra nobiliſsimi cõmilitonis, qui Vtr. Sign. Referendarius, Prothonotarius è participantibus, Archiepiſcopus primò Theatinus deinde Vrbinas, Nuncius Sedis Apoſtolicae apud Sereniſsimum Poloniae Regem, alyſq; publicis muneribus peregregiè functus, in Sacrum Collegium Cardinalium ab Vrbano 8. ſapientiſsimo Pontifice meritò cooptatus, Bononienſem hanc Legationem ſummo omnium plauſu glorioſè adminiſtrauit; cuius ita ſectanda veſtigia generoſa amulatione perſequeris. Non ignoro clariſsima tuae gentis celebritatem, quae inter Romanas praecipuas computatur; ac plurimis tùm pacis, belliq; muneribus, tùm infulis, tùm purpura inſignibus viris condecoratur. Non me latet tua morum integritas, tua in rebus agendis dexteritas, tua in gubernando vigilantia, tua in procurandis Reip. commodis ſollicitudo. Probè teneo populi Bononienſis in te benevolentiam ob egregiam illam comitatem, qua neminem ad te accedentem repellis; ſed omnes & benevolè excipis venientes, & modeſtè audis loquentes, & benignè dimittis abeuntes, quibus humanitatis argumentis cunctorum tibi amorem conciliaſti. Quae omnia (immo ſingula per ſe ſumpta) quanti ſint ponderis quis non videat? Sed in praeſentiarum vicit illa tua tàm unanimis voluntas cum Eminentiſsimo Legato, tàmq; conſentiens dictorum factorumq; conatus ad hanc Bononienſem Legationem feliciter obeundam. Qua ratione ipſe permotus non ſum veritus hoc opus, qualecunque meae in te obſeruantiae monumentum, licet Eminentiſsimo Legato prius oblatum, tuae etiam Illuſtriſsimae Dominationi tanquam uni cum illo pariter offerre. Suſcipe igitur illud peramanter, meq; cum eo tuo benigniſsimo ſinu complectere, complexumq; ab invidorum, & oblatrantium vocibus defendere non dedigneris. Vale. Vale.

Don Baptiſta Cribellus Præpoſitus Generalis Congregationis Clericorum Regularium Sancti Pauli.

CVm Tractatum, cui titulus eſt, *Speculum Eccleſiaſticum*, à Reu. Patre Don Pio Caſſetta, Superiore Collegij S. Benedicti Pragæ compoſitum duo, quibus id commiſimus, eiuſdem Congregationis docti viri recognouerint & probauerint: facultatem facimus, vt typis mandetur, ſi & alijs, ad quos ſpectat, ita videbitur. Dat. Mediolani in Collegio noſtro Sanctorum Apoſtolorum Pauli & Barnabæ die 26. Mai 1648.

Don Baptiſta Cribellus Præpoſitus Generalis.

Approbationes Pragenſes.

APPROBATIO.

Adm. R. P. Fr. Leonardi Leria, Sacroſanctæ Theologiæ Magiſtri, Miſſionum Apoſtolicarum Præfecti, Commiſſarij, & Vicarij Generalis Ordinis Carmelitarum Antiquæ Obſeruantiæ Regularis per Boemiam, Moraviam, Sileſiam, Hungariam &c.

EX commiſſione Eminentiſs & Reuerendiſs. Principis, ac D.D. Card. ab Harrach Archiepiſcopi Pragenſis &c. Librum (cui Titulus Speculum Eccleſiaſticum) ab Adm. R. P. Don Pio Caſſetta Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Pragæ Superiore, Eminentiſs. Principis Theologo, Conſiſtorij Pragenſis Aſſeſſore &c. conſcriptum magna cum attentione, atq; ſpirituali delectatione perlegi, pium authoris laborem non ſolùm impensè probans, ſed etiam prælo vtiliter committendum iudicans. Nihil enim in illo Catholicæ Religioni aduersum, nihil moribus ingenuis obſonum reperitur; ſed præclariſſima quæq; vtriuſq; Theologiæ documenta, potiſſimùm Fidei orthodoxæ arcana compendioſè quidem, at ſolidè enodantia, ordinariſſimamq; tectè viuendi methodum exhibentia, authoris denique ingenium Theologicis facultatibus apprimè familiare indicantia aſſatim imbi continentur. Pius, proindeq; & zelo pij Patris omnino conformis liber, dignus eſt, vt ab omnibus veræ pietatis amantibus, maximè Eccleſiaſticis, quorum gratia in lucem prodit, aſſiduè legatur, non tantùm inoffenſo percurrendus pede, verùm etiam cum optatiſſimo legentium fructu ſaluberrimè terendus. Ita ſentio ex Carmelo noſtro Sancti Galli Pragæ, die 23. Ianuarij, Anno Domini 1648.

Fr. Leonardus Leria.

APPROBATIO.

Adm. R. P. Fr. Adeodati Draodemsky, Sacro Sanctæ Theologiæ Doctoris Ord. FF. Eremitarum S. Augustini per Boemiam Prioris Provincialis.

EX mandato Eminentiſs. ac Reuerendiſs. Principis Dom. D. Erneſti, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis ab Harrach Archiepiſcopi Pragenſis Legati nati &c. Legi librum, qui inſcribitur Speculum Eccleſiaſticum, opera ac ſtudio Adm. R. P. Don Pij Caſſettæ Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Pragæ Superioris, Eminentiſs. Principis Theologi, Conſiſtorij Pragenſis Aſſeſſoris, elaboratum; in quo nihil quod orthodoxæ Fidei aduerſum; nihil quod Chriſtianis moribus non concineret reperi, quinimò vtriuſque Theologiæ fundamenta tàm normam benè viuendi, quàm Fidei noſtræ myſteria ſpectantia, ita eruditè ac ſolidè dilucidantur, vt laudatorem non cenſorem expoſcere videatur. Digniſſimum ergo, vt typis quàm primùm exponatur, iudico. Actum in Monaſterio S. Thomæ, Pragæ Die 15. Menſis Ianuarij Anno Domini 1648.

Fr. Adeodatus Draodemsky.

APPROBATIO.

Adm. R. P. Fr. Thomæ Conſoli, Sacræ Theologiæ Magiſtri, & ſtudij Generalis ad Sanctum Aegidium antiquæ Vrbis Pragenſis Ord. Prædi. Regentis.

MAndato Eminentiſs ac Reuerendiſs. Principis D. D. Erneſti Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis ab Harrach Archiepiſcopi Pragenſis, Legati nati &c. Librum cui titulus eſt Speculum Eccleſiaſticum, ab Adm. R. P. Don Pio Caſſetta Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Pragæ Superiore eiuſdem Eminentiſs. Principis Theologo, atq; Archiepiſcopalis Conſiſtorij Aſſeſſore ſummo ſtudio elaboratũ, accuratè legi. Opus ſanè numeris omnibus abſolutum, omnia in eo pulchra, rectè contexta, ac planè perfecta, cunctis Eccleſiaſticis perneceſſarium, meritò Speculum, & prorſus ſine macula, vbi vel maximè quilibet Eccleſiaſticus propriis inſpectis maculis perbellè abſtergitur; Sacri Concilij Tridentini præceptis conforme; nihil enim Fidei Catholicæ, aut bonis moribus aduerſum redolet, quin immò mirum eſt quanta eruditione, & ſapientia, plura in eo pro vtraq; Theologia diſcuſſa reperiantur. Digniſſimum ergo imprimatur, Sic cenſeo. Datum apud Sanctum Ægidium Veteris Pragæ die 7. Ianuarij Anno Domini 1648.

Fr. Thomas Conſoli.

APPROBATIO.

P. Roderici de Arriaga è Societate Ieſu Sacro Sanctæ Theologiæ Doctoris, ac in Cæſarea Regia Vniuerſitate Pragenſi Ferdinandea Cancellarij.

EX mandato Eminentiſs. ac Reuerendiſs. Principis Dom. D. Erneſti Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis ab Harrach Archiepiſcopi Pragenſis.

genſis, Legati nati &c. Legi librum (cui titulus Speculum Eccleſiaſticum) Adm. R. Don Pij Caſſettæ ex Venerabilibus Patribus Barnabitis, & ſuæ Eminentiæ Theologi, ac in Conſiſtorio Archiepiſcopali Aſſeſſoris. Nihilq; in eo aut Chriſtianæ doctrinæ, aut bonis moribus contrarium inueni, quin potiùs cum perneceſſarijs ac ad vitam ſanctè inſtituendam vtiliſſimis conſilijs, adiunctam video Theologicam, ſcholaſticamq; eruditionem, quà præcipua noſtræ fidei myſteria, paucis quidem, neruoſis tamen verbis ita explicantur, vt ex illo haud difficulter Auctoris ingenium, grandemq; doctrinam colligere liceat. Iudico ergo opus hoc non minùs gratum fore, quàm vtile, tàm his qui morales doctrinas quærunt, quàm illis, qui ſcholaſticas diſciplinas profitentur. Ac proinde digniſſimum illud cenſeo, quod lucem cum primùm videat, Ex hoc noſtro Sancti Clementis Collegio, die 30. Ianuarij, Anno Domini 1648.

Rodericus de Arriaga.

Viſis approbationibus eorum, quibus hoc opus recognoſcendum commiſimus facultatem concedimus imprimendi.

E. Cardinalis ab Harrach.

Vidit P. Franciſcus Maria Venantius Viſitator Generalis Clericorum Minorum pro Eminentiſs. & Reuerendiſs. D. Card. Ludouiſio Archiepiſc. & Principe.

Vidit D. Antonius Bonuicinus Pœnit. pro eodem Eminentiſs.

V. Fr. Hieronymus Allè pro S. Inquiſitionis Officio.

Imprimatur. Fr. Caſimirus de Cremona Lector Theol. & Vic. Generalis S. Officij Bononiæ.

Bonitatem & Diſciplinam & Scientiam doce me. Pſal. 118.

Præfatio Auctoris.

QVemadmodum ex praua Eccleſiaſticorum viuendi ratione plurima in orbem terrarum mala inundare: ſic ex honeſta ac pia eorundem conuerſatione omnis generis bona in Chriſtianam Rempublicam redundare nemini locus ambigendi relinquitur. Id ſatis expreſsè docuit Sacro Sancta Synodus Tridentina *ſeſſ. 22. de ref. cap. 1.* illis verbis. *Nihil eſt quod alios magis ad Pietatem, & ad Dei cultum aſſidue inſtruat, quàm eorum vita & exemplum, qui ſe diuino miniſterio dedicarunt. Cum enim à rebus ſæculi in altiorem ſubla i locum conſpiciuntur, in eos tanquam in ſpeculum reliqui oculos conijciunt ex illiſq; ſumunt quod imitentur. Quapropter ſic decet omnino Clericos in ſortem Domini vocatos vitam, moreſque ſuos omnes componere vt habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, alijsq; omnibus rebus nil niſi graue, moriger atum, ac religione plenum præſeferant; leuia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, vt eorum actiones cunctis afferant venerationem.* Hoc etiam ſemper intellexerunt & docuerunt ante qui Patres: nimirum a reformatione Eccleſiaſticorum dependere pariter reformationem Chriſtianorum. Quapropter S. Bernardus *lib. 3. de conſid. cap. 3.* ſic ſcribit ad Eugenium Papam. *Supereſt vt ſuper Eccleſia ſtatum intendat conſideratio tua; ſi plebes Clericis, ſi Clerici Sacerdotibus, ſi Sacerdotes Deo in ea, qua oportet humilitate, ſubiecti ſint; ſi cenſura Eccleſiaſtica vigeat & diſciplina. Ecenim ſi Eccleſia vinea floreat honeſtate, & ſanctimonia Sacerdotum, iam flores fructus parturiunt, obedientiam fidelium populorum.* Hoc igitur mecum ipie attenta animi cogitatione reuoluens; operæ me pretium facturum, laboremq; non inutilem nauaturum exiſtimaui, ſi Patribus, ac Fratribus meis Sacerdotibus, & reliquis Eccleſiaſticis omnibus ego minimus omnium Sacerdotum has meas qualeſcunque lucubrationes offerrem, in quibus tanquam in Speculo quid corrigere, quid effugere, quid proſequi, quid amplecti, quid tenere, quid ſcire, quid deniq; populos ſibi commiſſos docere deberent non obſcurè contemplarentur.

Non me latet futuros forſitan aliquos, qui ſuper hunc meum laborem vel approbando, vel reprobando, ſententiam ferre non dubitabunt. Erunt forte, qui dictum laborem inutilem exiſtimabunt eò quòd multa in hoc genere ab alijs tùm antiquis, tùm modernis fuerint conſcripta;

Digitized by Google

scripta; proindeq; superfluum esse ea in medium afferre, quæ alij iam protulerint. Verùm huic scrupulo facit prome satis Seneca epist. 64. dicendo, quòd quamuis maiores nostri aliquod argumentum egregiè pertractauerint, non ita tamen perfectè & absolutè id præstiterunt, vt à successoribus nihil penitus addi posse videatur. *Multum egerunt*, inquit ille, *qui ante nos fuerunt sed non peregerunt; multum restat operis multumq; restabit, nec vlli nato post mille secula precludetur occasio aliquid adhuc adijciendi*. Deinde admisso etiam quod nihil superaddi possit, certè nullus inficiari audebit, quin adinuenta colligere, ordinare, rerumq; necessitatibus applicare magnâ præstet vtilitatem. Nonne videmus summa in æstimatione haberi eos artis medicæ professores, qui ægrotis, quorum sanitatis instaurandę negotium susceperunt, Hyppocratis aphorismata, Galeni documenta, ac priscorum monita Medicorum nouerint applicare? *Sed etsi omnia à veteribus inuenta essent*, inquit idem Seneca, *hoc semper nouum erit, vsus inuentorum ab alijs, scientia & dispositio, puta relicta nobis medicamina*. Hinc subdit antiquorum doctrinam, atq; scientiam esse quodammodo hæreditatem quamdam à Parentibus & Maioribus transmissam hæredibus, quam debent ipsi conseruare, augere, atq; efficere vt ad posteros locupletata pertranseat. *Agamus*, ait, *bonum Patrem familiæ, faciamus ampliora quæ accepimus; maior ista hæreditas à me ad posteros transeat*. Addam ego & aliud, nempe quòd hoc ipsum seligere atq; in vnum colligere quicquid in alijs sparsim inuenitur, quando nullam aliam præstaret vtilitatem, saltem hanc secum afferret, quòd plurimùm iuuet eos, qui aut nequeunt sibi multos comparare libros (cuiusmodi sunt non pauci pauperes Ecclesiastici) aut si possint, temporis copiam non habent ad illos euoluendos. Præterea adsint libri, tempus non desit, nihilominus non tàm facilè quis animum adijciet ad callendum ea quæ scire debet, quando à multis & varijs auctoribus ea conquirere debet; quòd si ea in vnum collecta in promptu habeat, faciliùs se huic operi tradet. Et quid quæso magis optabile contingere potest, quàm breui tempore (nimirum paucorum dierum aut horarum spatio) possidere quicquid ab alijs longo tempore, plurimoque labore conquisitum est? His igitur me clypeis aduersus obtrectatorum tela communiar.

Nec silentio præterire volo me non alia prorsus intentione ductum esse ad hæc conscribenda, quàm ad Dei maiorem gloriam curandam, & ad aliquid in publicam vtilitatem præsertim Ordinis Ecclesiastici conferendum. Quod si assecutus fuero maximum me præmium con-

te-

ſecutum eſſe reputabo. Conuenit igitur vt hanc meam intentionem benignè reſriciant Eccleſiaſtici omnes, atq; eo animo legant, quæ illis deuotè, lubenterq; offero quo animo ſcripta ſunt, id eſt ſic candidè, ſic ſincerè. Quod ſi pro voto ſucceſſerit, ſpero procul dubio fore vt neminem ſe legiſſe pæniteat.

Cæterùm vt ordine aliquo, ac methodo certa in toto hoc opere, (quod Speculum Eccleſiaſticum inſcribitur) procederem, illud in tres principales partes diſtribui, in quarum Prima de ijs, quæ ad ſtatum Hominis interiorem informandum, atq; ad veram animi Pietatem, Iuſtitiamq; comparandam conducunt breuiter dilucideq; tractabitur. In Secunda de ijs, quæ ad ſtatum Hominis exteriorem componendũ, perfectamque morum diſciplinam inducendam, non ieiunè diſſeretur; quamuis ea, quæ tradentur in prima parte, non parùm ad hoc idem conducant: reformato enim ſtatu interiori Hominis facillimè etiam & exterior reformatur; hic enim ab illo dependet ſicut Corpus ab Anima, ſicut riuus à fonte, ſicut radius à Sole, ſicut viror ab humore, ſicut pulchritudo & venuſtas ab optima ſanitate, membrorumq; ſibi concinnè reſpondentium proportione. In Tertia de ijs, quæ ad exequendum munus Sacerdotale circa populorum, & animarum concreditarum gubernationem ac inſtructionem pertinent ſi non copiosè, ſaltem compendiosè peragetur. Ad hæc enim tria tanquam ad ſumma Capita quicquid ad Eccleſiaſticorum perfectionem ſpectat, reduci poſſe videtur. Nam ſi detur Eccleſiaſticus qui tùm in ſeipſo & interiùs & exteriùs; tùm in ordine ad plebem ſibi commendatam rectè ſe habeat; Quid amplius quæſo deſiderari poteſt ad illius completam, atq; numeris omnibus abſolutam vitæ perfectionem? Hæc ſunt illa tria, quæ Regius Pſaltes Deum humiliter poſtulabat quando dicebat. Pſal. 118. *Bonitatem, & Diſciplinam, & Scientiam doce me.* Bonitas ſiquidem ad interiorem: Diſciplina ad exteriorem ſui ipſius ſtatum informãdum: Scientia verò ad informandum & inſtruendum alios pertinet. Quocirca vt clarius & diſtinctius procedam ſingulas Partes in aliquot Diſtinctiones, rurſus Diſtinctiones in Capita, & Capita in Paragraphos prout materiæ amplitudo poſtulat, diſtribuam. Nunc offero Primam Partem, breui etiam oblaturus Secundam & Tertiam ſi vita ſuppeterit; & ſi hanc Primam Partem gratam omnibus extitiſſe deprehendero. Faxit Deus vt quæ pro illius inchoata ſunt gloria, finem ijs propoſitum ipſo Deo clementiſſimè annuente feliciter aſſequantur. *Neq; enim*, vt ait Apoſtolus, *qui plantat eſt aliquid, aut qui rigat ſed qui incrementum dat Deus.*

PRIMA PARS
Speculi Ecclesiastici,

In qua de Bonitate, seu de ijs, quæ pertinent ad interiorem Ecclesiasticorum informationem agitur.

SVMMA TOTIVS PARTIS.

CVM BONITAS MORALIS (de hac .n. agimus) in interiori hominis præcipuè cõsistat; est enim hæc bonitas rectitudo quædam voluntatis conformantis se diuinæ legi, & omnium virtutum moralium habitibus exornatæ, iuxtà illud Psalmi 44. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus.* Ad producendam hanc in homine bonitatem tria potissimum deseruire videntur. 1. Rationes mouentes Hominem, & præcipuè Ecclesiasticum ad capessendam ipsam bonitatem. 2. Remotio earum rerum, quæ illam impediunt. 3. Positio rerum, quæ illam adducunt. Quemadmodũ enim ad hoc vt ager exoptatum suo Domino fructum reddat, tria omnino requiruntur. 1. Vt Agricola velit agrum ipsum excolere. 2. Vt euellat, eradicet, & comburat tribulos, spinas, cæteraq; noxia, vel inutilia germina. 3. Demum vt bonum semen inijciat, vtilesq; arbores cõplantet. Ita pariter vt nostræ ager animę debitum Deo Domino suo afferat fructum, eadem tria concurrere debent. Vt scilicet excolamus hunc agrum: Vt euellamus noxia: Vt inseramus vtilia. Prius est enim remouere dispositiones contrarias, deinde in-

ducere novam formã, vt in naturalibus apparet. Hinc Deus volens mittere Ieremiam ad conuersionem populi sui, prius mandauit illi remotionem, subinde positionem dicens Ier. 1. *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas & destruas, & disperdas, & dissipes,* (ecce remotio) deinde subdit, *& ædifices, & plantes,* (ecce positio) Erit igitur hæc prima pars in tres distinctiones secta, quarum. Prima erit de rationibus mouentibus Ecclesiasticos tam seculares, quàm regulares ad capessendam bonitatem, vitæq; perfectionem. Secunda de remotione rerum omnium, quæ illam excludunt. Tertia de amplexu, & vsu mediorum, quæ illam adducunt.

DISTINCTIO PRIMA.

De Rationibus mouentibus Ecclesiasticos ad capessendam bonitatem, vitæq; perfectionem.

Summa totius Distinctionis.

PRædictæ rationes aliæ sunt intrinsecæ, aliæ sunt extrinsecæ: Porrò intrinsecæ, aliæ sunt absolutæ, aliæ relatiuæ. Extrinsecæ verò aliæ ductæ ab exemplis bonorum, aliæ ab exemplis malorum Ecclesiasticorum. Igitur 1. ratio, qua vrgeri debet Ecclesiasticus quilibet ad bonitatem est. Quia Homo. 2. Quia Christianus. 3. Quia Ecclesiasticæ personæ (præsertim Sacerdotis) magna est dignitas. 4. Quia magna potestas. 5. Quia magnum officium. 6. Quia Ecclesiasticorum peccata sunt grauiora, quam Laicorum. 7. Quia grauius à Deo puniuntur (& hæ sunt rationes intrinsecæ absolutæ.) 8. Quia Ecclesiastici tenentur studere proximorum saluti. 9. Quia ex praua Ecclesiasticorum vita multa mala in populos redundant. 10. Quia ex recta, & ordinata ipsorum vita multa è conuerso bona consequitur in alios (& hæ sunt ra-

rationes intrinſecæ relatiuæ. 11. Quia tenentur Eccleſiaſtici ſequi bonorum exempla Eccleſiaſticorum. 12. Quia debẽt declinare ab exemplis malorum (& hæ ſunt rationes extrinſeca) de quibus omnibus ſingillatim per totidem capita pertractabitur.

CAPVT I.

De ratione mouente ad Bonitatem, Vitæq; perfectionem ducta à perſona propria Eccleſiaſtici, quatenus eſt Homo.

DEbet igitur Eccleſiaſticus, quicunque ille ſit, ſiue Secularis, ſiue Regularis; & in quocunq; gradu reperiatur, ſiue in minoribus, ſiue in maioribus ordinibus conſtitutus; & in quacunq; dignitate ſiue Paſtoris animarum abſq; iuriſdictione in foro exteriori, ſiue Paſtoris cũ iuriſdictione. Debet, inquã, non oſcitanter, ſed ſedulò ſuæ Vitæ perfectionem arripere ea primùm ratione, quia Homo eſt. Quis enim ignorat Hominem teneri vitam inſtituere, totiuſq; Vitæ curſum traducere ſecundùm regulam, & dictamen rationis; non autem ſecundùm ſenſum more belluarum? Cuncta enim, quæ ſupremus rerum opifex Deus in hoc ampliſſimo orbis theatro condidit, operantur iuxtà formam, & naturam ſibi inditam à ſuo Conditore. Hinc videmus ignem calefacere, aquã frigefacere; aues volitare, ſurſumq; in aera ferri; piſces adnatare, & ſic de reliquis; quia ipſorum formæ, & naturę ad has, & non ad alias operationes inclinant; vnde huiuſmodi operationes, quæ conſequũtur ſuas formas, proprietates rerum à Philoſophis vocantur. Forma autem Hominis non alia eſt, quàm anima rationalis; hæc enim illum conſtituit in ſuo eſſe, hæc illum diſtinguit ab alijs rebus. Debet ergò homo viuere ſecundùm rationem; nam hæc operatio eſt illius propria. Neq; in hoc debet eſſe deterioris conditionis, quàm ignis, aqua, piſces, volucres, & cætera creata,

quæ vt diximus, ſeruant legem ſibi inditam ab auctore naturæ vt operentur iuxtà ſuas cuiuſq; formas. Quapropter quotieſcunq; quilibet homo non viuit, neq; operatur ſecundùm rationem, cadit ab ingenita ſuæ naturæ præſtantia, comparatur iumentis inſipientibus, fit brutum, fit monſtrum: & quēadmodum mira, monſtruoſa, ac portentoſa res planè eſſet, aſpicere ignem madefacientem, aquam exſiccātem, volucres per mare adnatantes, piſces autem per aerem volitantes, ita portentui ſimile eſſe videtur contemplari hominem operantem ſecundùm ſenſum more brutorum, nō autem ſecundùm rationem. Sed heu (& veh miſeræ mortalium conditioni poſt peccatum originis, & poſt naturæ corruptionem) quamuis plerique in ſuis operationibus ſenſum, & non rationem ſequantur; nihilominus hæc ordinis peruerſio non animaduertitur propter ingentem multitudinem taliter viuentium, taliter ambulantium, taliter operantium. Vnde quemadmodum in ijs regionibus, in quibus omnes naſcuntur, æthiopes nemo quantumuis nigerrimus tanquam ſingularis, admiratione, aut contemptu dignus habetur. Sic planè in mundo, cum pleriq; iuxta ſenſum viuant, & operentur; qui taliter ambulant nullam ſui pariunt admirationem, non vili habentur, non deſpiciuntur, cum tamen deſpectione digni tanquam belluę cenſendi eſſent. De hoc cōquerebatur Regius Pſaltes, quando obſtupeſcens aiebat: Pſalm. 48. *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus; & ſimilis factus eſt illis.* Vnde alio in loco hortando dicit: Pſ. 30. *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Hoc innuere volebat Apoſtolus quando ſcribens ad Romanos dicebat: Roman. 8. *Fratres debitores ſumus non Carni vt ſecundum carnem viuamus, ſi enim ſecundùm carnem vixeritis moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Sed interrogabit aliquis, quęnam ſunt operationes ſecundùm ſenſum,

ſum, & quænam ſecundum rationem vt has amplecti, illas verò reſpuere valeam? Dico non adeò eſſe difficile vtraſq; diſcernere: ſiquidem inditum eſt nobis à natura lumen quoddam, cuius virtute ſatis dilucidè, ſi velimus, harum differentiam operationum dignoſcere poſſumus. Hinc Propheta volens quodammodo huic vanæ occurrere excuſationi, cum præmiſiſſet in Pſalmo quarto illa verba: *Multi dicunt quis oſtendit nobis bona*. Statim ſubiungit reſponſionem dicens: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*. ac ſi diceret: Domine multi ſe excuſant à via veritatis, & à ſectanda iuſtitia prætextu ignorantiæ, ac ſi neſcirent quænam ſint vera bona, rectæque operationes, nulluſque adeſſet, qui hoc eos edoceret, dicuntque: *Quis oſtendit nobis bona?* Sed vana eſt hæc illorum excuſatio; quia tu Domine ipſorum mentibus inſudiſti lucem quandam inuiſibilem, quæ eſt participatio quædam tuæ lucis increatæ, cuius ſplendore perfuſi non poſſunt non cognoſcere veritatem. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*. Hęc lux innata nobis, hoc naturale lumen, quo operationes bonas à malis ſecernimus, à ſapientibus appellatur Syndereſis. Quotieſcunq; ergo operamur, & agimus contra dictamen ſyndereſis (quod alij dicunt agere contra conſcientiam) id eſt contra id, quod lumen naturale oſtendit, tunc certè operamur contra rationem, & contra ipſam hominis naturam. O vtinam pleriq; mortalium viuerent, & agerent ſecundum rationem, & non potius contrà rationem. Vtinam recordarentur ingenitæ nobilitatis ſuæ, & non potius naturam induerent belluarum. Vtinam adhiberent in ſuis operationibus lucernam mentis, & non potius in tenebris ambularent. Debet itaq; Eccleſiaſticus quicunq; viam ingredi veritatis, ſectari iuſtitiam, vitæq; bonitatem amplecti, hoc in primis motiuo, quia Homo eſt, quia tenetur viuere, vt Homo, quia tenetur ſe qui lumen, & dictamen rationis non

non verò appetitum; & concupiſcentiam ſenſus. Quis autem neſciat illam operationem dici iuſtam, bonam, ac rectã, quæ eſt ſecundum regulam rationis, non verò illam, quæ eſt ſecundum ſenſum?

CAPVT II.

De Ratione monente ad Bonitatem ducta à perſona propria Eccleſiaſtici quatenus eſt Chriſtianus.

DEbet inſuper Eccleſiaſticus bonitatem capeſſere ob alteram rationem, quia ſcilicet Chriſtianus eſt. Is autem dicitur Chriſtianus, qui ſacro baptiſmatis lauacro regeneratus militiæ Chriſtianæ nomen dedit, Chriſtiq; fidem, ac legem ſe ſeruaturum promiſit. Quicunq; igitur talis eſt, debet vitam inſtituere non modò ſecundùm rationem, vt dictum eſt capite ſuperiori; verùm etiam ſecũdum fidem, legem, ac præcepta à Chriſto Domino tradita. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt quòd duplex lumen intellectuale inuenitur in quolibet Chriſtiano. Alterum naturale (de quo dictum eſt ſuprà) Ratio ſcilicet naturalis, & hoc lumen commune eſt omnibus hominibus tàm fidelibus, id eſt Chriſtianis, quàm infidelibus. Alterum ſupernaturale; & hoc eſt lumen fidei, quod in ſolis Chriſti fidelibus reperitur, quo mediante multa cognoſcimus, ad quæ naturale lumen pertingere non poteſt. Huiuſmodi ſunt ea, quæ dicuntur myſteria fidei, nempe quod Deus ſit Vnus, & Trinus, Vnus quidem in Natura, Trinus in Perſonis. Quod ſecunda perſona Trinitatis, id eſt Filius carnem aſſumpſerit humanam, & Homo factus in ea Carne paſſus, mortuuſq; ſit, à mortuis ſurrexerit; in Cælum aſcenderit; demum venturus ſit ad iudicandum viuos, & mortuos. Quod extet Eccleſia Catholica viſibilis, in qua ſit remiſſio peccatorum, cuius viſibile caput,

eſt

est summus Pōtifex Romanus. Quòd omnes homines è mortui surrecturi sint cum ijsdem omninò corporibus, quæ antea habuerunt. Quod extet vita æterna pro bonis, & mors æterna pro malis. Nec non aliæ consimiles veritates, quas humana ratio solo luminis naturalis auxilio percipere nullo modo valet. Ex his veritatibus lumine fidei perceptis, (quas speculatiuas vocamus,) nonnullæ aliæ deducuntur in ordine ad praxim, seu operationem, quæ nimirū dirigunt Christi fidelē in suis actibus vt declinet à malo, & faciat bonum. Huiusmodi sunt benè viuendi præcepta, exempli gratia: Quod sit reddendum bonū pro malo. Quod inimici diligendi. Quod orandum pro persequentibus, & calumniantibus. Quod patientia, mansuetudo, pax, humilitas, cæteræq; virtutes amplectendæ. Quod studendum munditiæ Cordis. Multaq; similia præcepta. Vtraq; nempè tam fides, quam præcepta fuerunt tradita à Christo Domino, qui, cum esset Deus, è Cælis hoc lumen detulit, mundumq; illuminauit, vt inquit B. Ioannes Apostolus, & Euangelista: Io. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Has igitur veritates debet Ecclesiasticus firmiter tenere, totoq; corde amplecti: Hæc præcepta constanter habere atq; vt infallibiles vitæ dirigendæ regulas custodire; si velit censeri, & re, & nomine Christianus; si vitam ducere velit suo nomini consentaneam. Sed heù quàm pauci (non dico inter laicos, sed & inter ipsos etiam Ecclesiasticos) reperiuntur hac tempestate veri Christiani. Vis scire quinam sint veri Chistiani? lege *D. Augustinum de catechizandis rudibus. Cap.* 16. *&* 17. *tom.* 4. *Is enim hoc modo ait*: [Sunt qui propterea volunt esse Christiani, vt aut promereantur homines, à quibus commoda temporalia expectent: aut quia offendere nolunt quos timent. Sed isti reprobi sunt; & si ad tempus eos portat Ecclesia, sicut area, quæ ad tempus ventilationis pa-

paleam ſuſtinet, ſi non ſe correxerint, & propter futuram ſempiternam requiem Chriſtiani eſſe cæperint, in fine ſeparabuntur. Nec ſibi blandiantur, quòd in area poſſunt eſſe cum frumento Dei; quia in horreo cum illo non erunt, ſed igni debito deſtinabuntur. Sunt autem alij meliore quidem ſpe, ſed tamen non minore periculo, qui iam Deum timent, & non irrident Chriſtianum nomen, nec ſimulato corde intrant Eccleſiam Dei, ſed in iſta vita expectant felicitatem, vt feliciores ſint in rebus terrenis, ideoq; cum viderint quoſdam ſceleratos, & impios iſta ſeculi proſperitate pollere, & excellere, ſe autem, vel minus habere iſta, vel amittere, perturbantur tanquam ſine cauſa Dominum colant, & facilè à fide deficiunt. Qui autem propter beatitudinem ſempiternam, & perpetuam requiem, quæ poſt hanc vitam ſanctis futura promittitur, vult fieri Chriſtianus, vt non eat in ignem æternum cum Diabolo, ſed in Regnum æternum intret cum Chriſto, verè ipſe Chriſtianus eſt, cautus in omni tentatione ne proſperis rebus corrumpatur, & ne frangatur aduerſis; & in abundantia bonorum terrenorum modeſtus, & temperans; & in tribulationibus fortis & patiens; qui etiam proficiendo peruenit ad talem animum, vt plus amet Dominum, quam timeat gehennam, vt etiam ſi dicat illi Deus (Vtere delicijs carnalibus ſempiternis, & quantum potes pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, ſed mecum tantummodo non eris) ex horreſcat, vt omnino non peccet, non iam vt in illud, quod timebat, non incidat, ſed ne illum, quem ſic amat, offendat, in quo vno eſt requies, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quam præparauit Deus diligentibus ſe.] *Hæc Auguſtinus*. Videant modò Eccleſiaſtici, & diligenter inſpiciant ſe ipſos, num ſint veri Chriſtiani iuxtà normam, & regulam traditã ab Auguſtino.

CA-

CAPVT III.

De Ratione mouente ad Bonitatem ducta à conditione status Ecclesiastici, quatenus illius Dignitas est excellens.

TRia possunt considerari in Ecclesiastico præsertim si iam in Sacerdotio sit constitutus. Dignitas, Potestas, Officium. Atq; ex omnibus his stimulos non paucos, nec inefficaces ad vrgendum se ad bonitatem habere potest Ecclesiasticus.

Atq; vt à Dignitate exordiamur. Magna, sublimis, & supra quam dici possit excelsa est Dignitas Ecclesiastici Sacerdotis; maior, inquam, Ducali, Regali, Imperiali: immo maior Episcopali, Cardinalitia, & Pontificali (præciso ab istis Sacerdotio) Ratio est: quia Sacerdos est quodammodo locum tenens, & Vicarius in terris ipsius Christi Domini, qui Deus & Homo est; atq; in omnibus functionibus Sacerdotalibus gerit vices ipsius Christi. Quis autem non videat (si fidei lumine sit imbutus) hanc esse maiorem dignitatem quæ inueniri possit in terris? Hinc est, quòd in sacris literis Sacerdotes gloriosis sæpe nominibus appellantur; dum de illis dicitur quòd sint Sal terræ, Lux mundi, Lucerna super candelabrum, Ciuitas supra montem posita, Angeli Domini exercituum, Dispensatores mysteriorum Dei, Mediatores inter Deum & Homines, Clauigeri Cæli, Cubicularij Christi, Principes populi, Primitiæ Domini, Primogeniti Israel.

Vnde Sacerdotes sẽper summo in honore sunt habiti, tum in lege naturæ, tùm in lege scripta, tùm in lege gratiæ, quæ dicitur lex noua, tùm deniq; apud ipsos met Ethnicos.

Et primò quidẽ in lege Naturæ. Quamuis enim tunc temporis nullus certus ritus colendi Deum, nec cæremoniarum circa sacrificia inuiolabilis esset consuetudo constat nihilominus

minus iam inde ab ipso mundi principio Sacerdotes extitisse, qui singulari ad diuina peragenda munere fungerentur, vt expresse testantur sacræ literæ, *Geneſis* 14. vbi affirmant Melchisedech fuisse & Regem & Sacerdotem. Ex historijs quoq; , alijsq; auctoribus ostendi potest hanc dignitatem fuisse æstimationis, vt necessariò priorem natu sequeretur, adeòq; illustrium familiarum primogeniti essent Sacerdotes. Sic asserũt SS. Doctores, *Hieronymus, Augustinus, Isidorus, Thomas, Antoninus, Licomanus, Caietanus, Gloſſa ordinaria, & ſcolaſtica hiſtoria ſcriptor, vt refert Antonius Molina de inſtructione Sacerdotum tract. 1. cap. 2. §. 1.* Hanc verò præeminentiam S. *Antoninus 1. part. hiſt. tit. 1. cap. 1. §. 9.* in sex potissimum rebus ait consistere. In vestimento propriè Sacerdotali eidem ministerio deputato; in sacrificiorum oblatione; in vltimæ benedictionis à patre susceptione; in danda benedictione in cæteris actibus publicis & solemnibus; in recipienda duplici cibi portione, & duplici parte hæreditatis; & in dominio super reliquos fratres; quodq; omnes hasce prærogatiuas haberet primogenitus quia Sacerdos esset. Hanc etiam dicunt fuisse excellentiam, quam Esau germano suo *Gen.* 21. Iacob pro lentis edulio diuendidit, quem idcirco Apostolus profanum vocat, *Heb.* 12. quòd dignitate sua cesserit ob tàm vile prætium, nec postea pactum resciderit. *Abijt parũpendens quod primogenita vendidiſſet.* Gen. 25. Ex dictis enucleatur ille locus Apostoli ad Hebræos 1. vbi dicit Christum priuata auctoritate Officium Sacerdotale sibi non asseruisse, sed iure sibi obtigisse, patriaque auctoritate illi commendatum esse. Qui locus non videtur euidenter inferre à Patre Filium Sacerdotio decoratum, nisi præsupponat doctrinam iam allatam, quòd nobilium familiarum primogeniti essent Sacerdotes. Atq; ita, vt probet Christo de iure commendatum à Patre hoc munus, ostendit ex hoc, quia eodem Parente,

te, & in ipsa æternitatis die genitus sit iuxtà illud Psalmi 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Vnde & idem Psalmista, Psal. 109. ait: *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech*. Quasi innuatidem esse dicere, Filius meus primogenitus es, ac si dicat, Sacerdos es, & iure tibi hoc munus obtingit.

In lege etiam scripta Sacerdotes magno honore sunt habiti. Deus enim Sacerdotes instituens, eos sacras cæremonias, omnemq; cultum edocuit, præcepitq; vt omnes illorum auctoritatem venerarentur eorumq; iussa amplecterentur, & imperium. In primis mandauit Moysi *Exod.* 28. vt isti ministerio Aaron, & quatuor illius filios designaret, qui induerẽtur vestibus Sacerdotalibus, auro, hyacinthó, purpura, cocco bis tincto, byssо adornatis. Hunq exquisitissimum ornatum adhiberi voluit Deus, vt Sacerdotum maior esset dignitas & reuerentia. *Fecit vestem sanctam Aaron in gloriam & decorem*. Ad eundem finem multis cæremonijs Sacerdos creabatur, vt pluribus in Exodo, & Leuitico capitibus videre est. Nam ante omnia iussit Deus vt à populo seiungéretur, quòd deceat Sacerdotem à cõmuni hominum cætu separari, aliaq; vitæ cõsuetudine vti: deinde vt ante fores Tabernaculi quotidiana exueret vestimẽta; quia ei necessarium sit vetus peccati fermentum deponere, omnia praua desideria cum vitiorum sordibus eijcere. Insuper vt viuo, puroq; fonte se abluere, qui Sacerdotale ministerium dignè, & reuerenter obire vellet. Ita porrò mundatus sacris ornamentis vestiebatur, sanctæq; vnctionis oleo perunctus certas victimas pro consecrationis beneficio litabat. Et hæc inspiciente populo peragebantur, vt venerarentur illum, quem tanta solemnitate diuinis obsequijs mancipatum agnoscerent. Plurima adiecit Deus, quibus creſceret honor, & obseruantia Sacerdotalis. In omnibus planè voluit Sacerdotes, & Leuitas à plebe esse se-

ſegregatos. Et cum terram promiſſionis inter ſe Filij Iſrael diuiderent, noluit vt tribus Leui, quæ erat Sacerdotalis, cum populo acciperet partem, ſiue certa hæreditate frueretur, quia ipſe eorum eſſe portio, eoſq; fouere geſtiebat. Num. 18. *Ego pars & hæreditas tua in medio Filiorum Iſrael. Filijs autem Leui dedi omnes decimas Iſrael in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis.* Ita dixit Dominus Aaroni ſummo Sacerdoti, nempe vt Leuitæ cultum Diuinum, cæremoniasq; & victimas procurarent, & hac de cauſa cæteros tanquam vectigales fecit & tributarios, atq; agricolas, qui pro illis ſeminarent, meterent, ac de terræ frugibus eos ſuſtentarent. Argumentum quoq; excellentiæ dignitatis Sacerdotalis eſt, quòd Sacerdotibus præcepit, vt caput nemini quamuis claræ ſtirpis aperirent: quòd videlicet in ſummo dignitatis faſtigio collocati nulli mortalium deferre hac ratione deberent. Deinde prodigium illud oſtenſurus, quo Iordanis retentus eſt, & portæ aquarum apertæ ſunt, vt populus omnis pertranſiret; Sacerdotes ſtupendi huius miraculi adminiſtros elegit, qui pedes in extremo aquarum tinxerunt quaſi tranſire vellent vt videretur fluuius curſum ſuum Sacerdotibus ſtitiſſe; atq; ita illi procedentes in medio Iordanis ſteterunt accincti, donec omnis populus arentem alueum tranſiret, ipſiſq; exeuntibus ſequebantur vndarum montes repreſſi, reuerſiq; in alueum ſuum tota crepidine fluxerunt. Confirmat etiam quod præcepit Domines Ioſue, vt duodecim viros per ſingulas tribus eligeret, qui è loco, in quo conſtiterant Sacerdotes, duodecim lapides aſſumerent, vt in monumentum admirandæ Dei potentiæ toti poſteritati erigerentur, & in ſignum quod Sacerdotes in fluento Iordanis ſteriſſent. Multa alia in teſtimonium excellentiæ Sacerdotalis Deus mandauit in lege veteri, quæ videri poſſunt in libris Exodi, Leuitici, Numerorum, alijſq; & quæ fusè

proſe-

prosequitur *Antonius Molina de institutione Sacerdotum tract. 1. cap. 3.*

Etsi Sacerdotium in lege veteri (quod tamen erat imperfectum, & mancum, & vmbra solummodo veri, & propiciatorij legis Euangelicæ Sacerdotij: Omnia enim, quæ in lege naturali, & scripta tam accuratè obseruata sunt, figuram quandam siue tabulam pictoris arte delineatam præseferebant, per quam altissima legis gratiæ mysteria prænotabantur. Inquit enim Apostolus. 1. Cor. 10. *Omnia in figura contigebant illis.*) Si, inquam, Sacerdotium in lege veteri seu lege scripta tantæ fuit dignitatis, tantaq; cultum veneratione vt diximus; quanti putamus Sacerdotis Euangelici excellentiam æstimari oportere? Nullum certè est tantum flumen ingenij, nulla dicendi tanta vis, tantaq; copia, quæ talem excellentiam possit dignè explicare. Hinc Constantinus Imperator tantopere Sacerdotes veneratus est, vt dixerit: *Si Sacerdotem viderem peccantem cum femina, pallio meo contegerem.* S. Martinus Episcopus Turonensis prandens cum Cæsare prius socio suo, eo quod esset Sacerdos, poculum porrexit quam Cæsari *Ribaden. in vitis Sanct.* Alaricus Rex Gothorum quantumlibet Arrianus esset, tamen Sanctos Antistites Catholicæ communionis coluit, & frequentauit obsequijs. *Baron. tom. 6. annal. ad an.* 107. S. Ambrosius dicit Regũ ac Principum colla genibus submitti Sacerdotum, eosq; osculata eorum dextera credere se eorum orationibus adiuuari. *S. Gelasius Papa in Epistola ad Anastasium Imperatorem.* [Duo sunt (*inquit*) Imperator, quibus principaliter hic mundus regitur, Auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas, in quibus tanto grauius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominum in Diuino examine sunt reddituri rationem.] Et quia tanta est dignitas Sacerdotis Euangelici, ideò multi Sanctissimi Viri Sacerdotium refugerunt existiman-

mantes ſe impares tanto muneri, vt legitur de Sanctis Antonio, Pachomio, Hylarione, Arſenio, Benedicto, multiſq; alijs eremi Patribus ſanctitate clariſsimis; qui nihilominus progeniem ſanctam & tot millium Monachorũ numeroſam Deo pepererunt. De Sancto Franciſco legimus, quòd cum poſt importunam fratrum interpellationem de Sacerdotio ſuſcipiendo meditabundus incederet, Angelus apparuerit geſtãs in manu phialam cryſtallinam limpidiſſimam, hiſq; eũ verbis alloquens: *Franciſce, decet illius, qui Sacerdotio initiari deſiderat, inſtar huius cryſtalli effulgere, & ea puritate nitere.* Qua quidem apparitione & ſermone, ab vlteriori de Sacerdotio ſuſcipiendo cogitatione deterritus in Diaconatus ordine ſtatuit permanere. *S. Bonauent. in eius vita cap.* 4.

Sed quid mirum ſi in lege naturæ, in lege ſcripta, & in lege Euangelica tanti fuerit ſemper habita dignitas Sacerdotalis, cum etiam apud Ethnicos in magno pretio fuerit. Pleni ſunt totius antiquitatis annales, pleniſſimaq; auctoritate ſcriptorum oſtendit Baronius ab omni gente, populoq; Sacerdotibus maximos honores decretos fuiſſe. Et quamuis vera Dei agnitione carerent; occulto tamen afflatu, & lumine naturæ aliquam Diuinitatem licet falſam cum agnoſcerent, eodem naturali inſtinctu iudicabant eos, qui Dei eſſent miniſtri, & offerendis Sacrificijs deputati, pollere debere omni auctoritate, omniq; probitatis exiſtimatione digniſſimos. Refert *Strabo l.* 17. *Geograp.* in Æthiopiæ ſiue Abyſſinorum Regno ſumma Sacerdotem poteſtate, & imperio valuiſſe; adeò vt penes illum ius eſſet Regem regno exuendi, & præficiẽdi quem dignum ipſe exiſtimaſſet. Idem *Ælian. var. hiſt. lib.* 14. *c.* 34. in more Ægyptijs fuiſſe tradit, additq; ſoli Regi, ac Sacerdoti vſum purpuræ conceſſum. Perſas & hoc obſeruaſſe narrat Euſebius, ſoliſq; Sacerdotibus de rebus difficillimis creditum iudicium. *Ioſephus l.* 14. *antiq. c.* 16. prę-

terea

terea testatur in magno illo Areopagitarum consessu, vbi grauissimæ quæstiones decidebantur, iudicandi potestatem solis Sacerdotibus permissam. Aristoteles in Politicis clarè docet inter cætera Reipublicæ munia, quibus illa stabilitur, præcipuam censeri Sacerdotis dignitatem, cuius est Diuina curare, victimas pro omnibus offerre, communemq; salutem deprecari. In Germania, narrante Cornelio Tacito, nulli secularium Iudicum, ne Regi quidem, fas fuit quemquam morti addicere, solis verò Sacerdotibus. Persuadebant enim sibi (& meritò) tam arduum negotiuum, quale est vitæ humanæ, apud nullum posse tribunal tutius agitari, quam apud Sacerdotes, firmiter credentes quicquid illi in re tam graui statuissent, non sine Deorum afflatu fore determinatum. Etiam Alexander Magnus veneratus est Sacerdotes, vt refert *Iosephus l.* 11. *ant. cap.* 8. Sic enim ille:
Cùm Alexander Macedo grauissimè ob auxilia negata Hierosolymis infensus esset, miserabili strage Ciuitatem, & incolas delere certus, exercitu iam penè admoto Pontifex Iaddus omnem defendendæ incolumitatis spem ereptam considerans, pontificalibus indutus ornamentis, & magno Sacerdotum agmine stipatus Alexandro, vt benignè poterat obuiare decreuit. Quos vbi occurrentes vidit Rex, tanto stupore perculsus est, adeòq; mente immutatus, vt equo desiliens iræ & furoris immemor Pontificem veneratus sit, iusseritq; è vestigio signa candida rubris detractis ventilari: atq; ita clarissimo pacis indicio Vrbem & Templum ingressus Deo immolauit. Omnia insuper, quę Iaddus ad Diuini cultus petijt splendorem, Regia munificentia largitus est, qui vel Gentilis hoc honore coluit Sacerdotes. Quod licet admirabile, maiori tamen admiratione digna est ipsa, qua factum est, intentio: digna, inquam, Christiano magis Principe. Dum enim hac subita beneuolentia milites in stuporem vertisset;

Par-

Parmenioni causã tàm diuersi affectus scisciranti Rex ità re-
spõdisse fertur. *Nõ hũc adoraui sed Deũ, cuius Sacerdotio fungitur.*
Cum igitur talis ac tanta sit dignitas Sacerdotis, magna certè requiritur ad illam si non dignè saltem non indignè sustinendam perfectio. Vnde S. Ambrosius *lib. de dign. Sacerd. cap. 2. tom. 4.* sic alloquitur Sacerdotes & Ecclesiasticos: [Audite me beatissimi Patres, & si dignum ducitis sanctissimi Fratres. Audite me stirps Leuitica, germen Sacerdotale, propago sanctificata, Duces, & Rectores gregis Christi. Audite me rogantem vos pariter & timentem, & honorem Sacerdotalem demonstrare volentem, vt cum honoris vobis prærogatiuam monstramus, merita etiam congrua requiramus. Dignum est enim, vt dignitas Sacerdotalis prius noscatur à nobis, & deinde seruetur à nobis, vt Psalmographi sententia repelli queat à nobis. *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Hæc Ambrosius. Et *Isidorus Peluſiota lib. 2. epist. 2. sic ait:* [Sacerdos debet esse Christi alumnus, à peccatis segregatus, rector non raptor, & speculator non spiculator, dispensator non dissipator, pius in iudicio, iustus in consilio, deuotus in Choro, stabilis in Ecclesia, sobrius in mensa, prudens in lætitia, purus in conscientia, assiduus in oratione, patiens in aduersitate, lenis in prosperitate, diues in virtutibus, expeditus in actibus, sapiens in sermone, verax in prædicatione.] *Hæc Isidorus Peluſiota. Et B. Laurentius Iustinianus ser. de Corpore Christi.* [Accedat Sacerdos ad Altaris tribunal vt Christus, assistat vt Angelus, ministret vt Sanctus, populorum offerat vota vt Pontifex, interpellet pro pace vt Mediator, pro se autẽ exoret vt Homo: huic expedit vt Diuinæ laudis sit amator, religiosus in se, humilis corde, & erga proximorum errata compassione compunctus.] Et vt concludamus iterum cum magno Mediolanensi Archiep Ambrosio *lor. cit. cap. 3.*

Nihil

[Nihil est in hoc seculo excellentius Sacerdotibus, si quod sumus professione, actione potius quàm nomine demonstremus, vt nomen congruat actioni, actio respondeat nomini, ne sit nomen inane, & crimen immane, ne sit honor sublimis, & vita deformis, ne sit Deifica professio & illicita actio.

CAPVT IV.

De Ratione mouente ad Bonitatem ex eo, quod Ecclesiastici Sacerdotis Potestas est sublimis.

SI magna bonitas, & perfectio requiritur in Ecclesiasticis præsertim in Sacerdotibus ratione illorũ præstantissimæ Dignitatis, non minor certè requiritur ratione sublimissimę illorum Potestatis. Hæc autem Potestas ad duo pręcipuè se extendit, nempe ad Corpus Christi verum: & ad Corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia. In ordine ad Corpus Christi verum habet potestatẽ Sacerdos consecrãdi Corpus, & Sanguinem Domini. In ordine autem ad Corpus Christi mysticum habet potestatem absoluendi à peccatis.

Vt autem à priori potestate ordiamur. Quę lingua dicere, aut quis intellectus capere sufficit huius potestatis quanta sit sublimitas? Conficere Corpus & Sanguinem Domini, Christum è Cælis quodammodo ad terram attrahere, Christum præ manibus habere, illũ tenere, cũ illo cõuersari, illum mãducare, pectoris hospitio suscipere, eumq; alijs sumẽdũ porrigere. Doctorum lux & splendor Augustinus *super psalmos.* considerans hanc altissimam potestatem sic mirabundus exclamat: [O veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus velut in vtero Virginis Dei Filius incarnatur. O Sacrum & Cæleste mysterium, quod per vos Pater & Filius & Spiritus Sanctus operatur: Vno eodemq; momento idem Deus, qui præsidet in Cælis, in manibus vestris est in Sacra-

mento Altaris. O venerabilium ſanctitudo manuum. O felix exercitium. O verè mũdi gaudium. Chriſtus tractat Chriſtũ, id eſt Sacerdos Dei Filium, cuius deliciæ ſunt eſſe cum filijs hominum, & quod datum non eſt Angelis, conceſſum eſt Homini: Sacerdos enim hoc ineffabile conficit myſterium, & Angeli conficienti ſibi quaſi famuli aſſiſtũt. Super hoc tam inſigni priuilegio ſtupet Cælum, miratur Terra, veretur Homo, horret Infernus, contremiſcit Diabolus, & veneratur quàm plurimum Angelica celſitudo.] *Et B. Laurentius Iuſtinianus ſerm. de corp. Chriſti ſic ait:* [Magna prorſus & admirãda Sacerdotum eſt dignitas, maxima illis eſt collata poteſtas; ſua namq; prolatione, & ad eorum penè libitum Corpus Chriſti de panis tranſubſtantiatur materia: deſcẽdit de Cælo in carne Verbum, & altaris veriſſimè reperitur in menſa: hoc illis prærogatum eſt gratiæ, quod nunquam datum eſt Angelis: aſſiſtunt Deo, illum contrectant manibus, tribuunt populis, in ſeq; ſuſcipiunt. Verùm Angelorum ſiue adſtantium, ſiue miniſtrantium, quoniam vice funguntur, potius Angelicam, quam humanam debent cõuerſationem habere. *Hæc B. Laurentius Iuſtinianus.* Magna planè poteſtas, quod Homo quodammodo imperet Deo, & Deus obediat Homini. Magnam poteſtatem credimus præſtitam *Ioſue.* quod imperio ſuo fecerit ſiſtere ſolem *obediente Domino voci hominis.* vt loquitur ſcriptura. Sed certè multò maior poteſtas præſtita eſt cuiq; Sacerdoti. Ille.n. fecit ſtare ſolem, vbi ante erat: at Sacerdos Chriſtum in Cælo exiſtẽtem ſiſtit vbi non erat ante, id eſt in Altari. Illi obediuit Creatura; huic Creator. Illi Sol ſemel loquenti obediuit; huic Deus obedit quoties profert verba conſecrationis. Quis Sacerdos tàm ſtupidus eſt, qui tàm ſtupendam Chriſti erga ſe conſiderans obedientiam, ſummi Regis ad infimum ſubditum, Dei ad Creaturam; non libenter obtemperet viciſſim Dei mandatis? quæ

ſan-

ſanctitas in eo requiritur, qui cum ſancto ſanctorum quotidie in mẽſa Angelorum accumbit? Scimus præſepe, crucem, ſepulchrum, domum Nazareth (quia attigerunt Chriſtum) res ſanctas haberi, ad quas ſpectandas, atq; tangendas homines longa aggrediuntur itinera. Cur ergò non ſit ſanctus Sacerdos, ad quem Chriſtus non iam mortalis, ſed immortalis & glorioſus quotidie diuertit? [Quo non oportet eſſe puriorem (*inquit Diuus Chryſoſtomus tom.* 83. *in Matth.*) tali fruentem ſacrificio? quo ſolari radio non ſplendidiorem manum, carnem hanc diuidentem? os, quod igni ſpiritali repletur; linguam, quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit? Cogita, qualis ſis inſignitus honore, quali menſa fruaris. Quod Angeli videntes horreſcunt, neq; liberè audent intueri propter emicantem inde ſplendorem, hoc nos paſcimur, huic nos vnimur, & facti ſumus vnum Chriſti corpus, & vna caro. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis paſtor oues proprio paſcit cruore? Et quid dico paſtor? Matres multæ ſunt, quæ poſt partus dolores, filios alijs tradunt nutricibus. Hoc autem ipſe non eſt paſſus; ſed ipſe nos proprio ſanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat. *Hæc Chryſoſtomus. Et Diuus Auguſtinus ſerm.* 37. *ad fratres in erem.* [O Sacerdotes ſi anima cuiuslibet iuſti ſedes eſt Dei, multò magis ſedes & Templũ Dei vos eſſe debetis mundum & immaculatum. Si ſepulchrum eius glorioſum eſt, in quo corpus eius iacuit exanime, multò glorioſiora, & digniora debent eſſe corpora veſtra, quæ à mortuis ſuſcitatus quotidiè inhabitare dignatur. Si beatus eſt venter, qui nouem menſibus Chriſtum portauit, & beata debent eſſe corda veſtra, in quibus hoſpitium quotidie eligit Filius Dei. Si beata ſunt vbera quæ paruulus ſuxit, beatum debet eſſe os, quod carnem eius ſumit, & ſanguinem fugit. Carnes ergò veſtras timore eius configite, & vobis diligenter prouidere,

ne lingua, quæ vocat de Cælo Filiũ Dei, cõtra ipſum Dominum loquatur, & ne manus, quæ intinguntur ſanguine Chriſti, polluantur ſanguine peccatorum.] *Hac Auguſtinus.*

Quoad poſteriorem poteſtatem, quæ eſt abſoluendi à peccatis. O quàm magna eſt etiam iſta poteſtas. Certè Sacerdos parem quaſi poteſtatem cum ipſo Deo ſortitur, ſiquidem Dei ſolius eſt remittere peccata, & infundere gratiam: & tamen hanc poteſtatem cõmunicat Sacerdotibus, vt quod ipſe Deus facit principaliter, Sacerdos faciat miniſterialiter; & quæ Sacerdos dimiſerit in terris, dimiſſa cenſeantur in Cælis; ſicut etiam quæ ille ligauerit in terris, ligata ſint & in Cælis. Hinc eſt quod Sacerdos dum pœnitentes abſoluit vtitur illis verbis Matt. 16. & 18. *Ego te abſoluo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ex quo fit vt eius lingua ſit clauis, qua clauditur infernus, & Cælum aperitur. Quis non miretur tantam poteſtatem? Sed quis non expauescat pariter contemplando quanta Vitæ Sanctitas ad hanc poteſtatem dignè exercendam in Sacerdotibus requiritur. *S. Ambroſius comment. in luc. lib 9. initio tom.* 4. expendendo factum illud quando Petrus & Ioannes miſſi fuerunt à Domino ad ſoluendum aſinam, & pullum (erant enim ligati) vt ad ipſum Chriſtum adducerent inquit: *Soluit eum manus Apoſtolica: talis actus, talis vita, talis gratia, eſto talis & tu vt poſſis ligatos ſoluere.* Requiritur ergò ad mentem Ambroſij in Sacerdote vita Apoſtolica, ſicut ipſe exercet actum Apoſtolicum. Hanc ſublimem Sacerdotis poteſtatem cõſiderans *Chryſoſtomus lib.* 3. *de Sacerd. tom* 2. *ſic ait* [Sacerdotium ipſum in terra quidem peragitur, ſed in rerum Cæleſtium claſſem, ordinemq; referendum eſt: atq; id quidem meritò; quippe non mortalis quiſpiam, non Angelus, non alia quæuis creata potentia; ſed ipſe Paracletus ordinem huiuſmodi diſponit: Idcircò neceſſe eſt Sacerdotem ſic eſſe purum, ac ſi in Cælis ipſis

sis collocatus, inter Cælestes illas virtutes medius staret; terribilia namq; atq; horrifica sunt, quæ administrat. Si quis consideret quantum id sit mysteriũ, is probè intelliget qũ ãto honore, quantaq; dignitate Sacerdotes Spiritus Sancti gratia dignata fuerit. Etenim ijs, qui terram incolunt, atq; in ea versantur commissum est, vt ea, quæ in Cælis sunt dispensẽt, ijs datum est vt potestatem habeant, quam Deus Opt. Max. nec Angelis, nec Archangelis datam esse voluit; neq; enim ad illos dictum est. Quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in Cælis. Etenim quid nam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum Cælestium potestatem illis esse concessam? Quid cum hoc honore conferri potest? à terra iudicandi principalem auctoritatem sumit Cælum; Seruus sedet iudex in terra, & Dominus sequitur eius sententiam, atq; confirmat; vt quicquid in inferioribus iudicauerit, hoc ille in supernis comprobet. Quænam quæso potestas hac vna maior esse queat? Pater omnem potestatem dedit Filio; cæterum eandem video ipsam omnifariam potestatem à Deo Filio Sacerdotibus traditam, Nam quasi iam in Cælum trãslati, ac suprà humanam naturam positi, sic illi ad principatum istum perducti sunt] *Hactenus Chrysost. qui alio loco, ideſt Homil. 5. in cap. 6. Isai. sic ait* [Sacerdotium est ipso etiam regno maius, ac venerabilius. Nam si vis videre, quantum absit Rex à Sacerdote, expende modum potestatis vtriq; traditæ, videbis Sacerdotem multò sublimius Rege sedẽtem. Rex enim rerũ terrenarũ administrationẽ sortitur. Sacerdos autẽ de cælestibus negotijs pronunciandi habet auctoritatem.

CAPVT V.

De Ratione mouente ad Bonitatem ex eo, quod Ecclesiastici Sacerdotis Officium est præstantissimum.

TRia complectitur Officium Sacerdotis, nempe Sacrifi-

cia

cia offerre. Orationes dicere. Benedicere dona Dei, vt habetur cap. perlectis. dist. 25.

Tantæ excellentiæ est officiū sacrificandi, vt qui illo fungitur non de hominum plebe, sed in ampliore constitutum ordine & dignitate æstimari debet. Multa dignum est consideratione, quod in lege præcepit Deus cùm de modo, quo Sacerdos offerret, tractaretur. Statuit enim Leuit. 16. *Nullus hominum sit in tabernaculo quando Pontifex ingreditur Sanctuariū.* Quanam ratione fieri potuit, vt nemo adesset? nonne aderat ipse Sacerdos homo? Respondetur, vt sic non pro homine sed solùm pro Sacerdote æstimatum esse qui ordinis superioris esset & dignitatis. Huic considerationi fauet Apostolus *Hebr.* 5. hæc de re scribens *Omnis namq; Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Vbi aduertendum quod illa vox (Pontifex) quamuis propria significatione Principem Sacerdotum significet, vt plurimum tamen in S. Scriptura indifferenter ponitur pro Sacerdote, quemadmodum multis locis & hic ex Apostolo clarum est, vbi de cuiuslibet Sacerdotis munere manifestè tractat. Dicit ergò quod quiuis Sacerdos *assumptus est ex hominibus*, per quod quid intelligatur declarat Glossa interlinearis. *Ex numero hominum assumitur ad aliquid dignius, per quod possit alios iuuare.* Et Glos. ordinaria. *Assumptus, id est ex communi hominum statu super alios eleuatus.* Et est loquendi modus, quo communiter vtimur, cum Religiosus quispiā ad Episcopalem dignitatem extollitur; dicimus enim: *Assumptus est ex tali ordine.* Pari ratione antequam aliquis esset Sacerdos in hominum numero censebatur: vbi initiatus fuit, *Assumptus est ex hominibus.* id est, de statu illo communi sublatus est, vt eminentiori clarescat dignitate. Vnde postulatur meritò vt, cum Sacerdos sacrificaturus accedit, aliquid amplius quam homo sit, cogitatus exuat

uat humanos, & virtutum ſplendore humanam abſcondat vilitatem.

Sed de ſecunda Sacerdotalis officij parte, quæ in orationibus pro populo ad Deum fundẽdis verſatur, quid dicam? Quis non videat quanti ſit hoc, Sacerdotem eſſe conſtitutum mediatorem & ſequeſtrem inter Deum & homines vt offerrat dona, & ſacrificia pro hominum peccatis: vt precibus ſuis iuſtam irati Numinis vltionem auertat: vt brachium Dei flagella peccatoribus intentans detineat? Et quam ob cauſam putamus ſolum Sacerdotem erectum ſtare ad Altare cæteris omnibus, qui in Eccleſia adſunt, in genua procumbentibus, niſi ob hanc; quia ſcilicet ipſe ſolus pro toto populo cum Deo decertat, vt illum infenſum hominibus reconciliet. Eſt igitur Sacerdos mediator inter Deum & homines; Sed penſanda eſt natura medij, omne enim medium participat de natura extremorum. Si igitur Sacerdos eſt medius inter Deum & homines, vtiq; habere debet aliquid de vtroq; de homine multum habet, quia ſubiacet omnibus defectibus & imperfectionibus, quibus humana eſt mancipata natura; reſtat igitur vt participet aliquid de Deo, quod tũc quidem aſſequetur quando ſtudebit illius imitari bonitatem, puritatem, perfectionem, ſanctitatem: quando omne ſtudium & diligentiam adhibebit ne ſe in lutum abijciat peccatorum, vt nõ fiat ſicut populus, ſic Sacerdos. *Hinc S. Ambroſius ſup. 1. Timot. 3. ait*: [Sacerdotes die ac nocte pro plebe ſibi commiſſa oportet orare: mũdiores ergò debent eſſe cæteris, quia actores Dei ſunt.] *Et Diuus Auguſtinus ſerm. 2 in pſalm. 36.* [Talem eſſe oportet Domini Sacerdotem, vt quod populus pro ſe apud Dominum non valet, ipſe pro populo mereatur quod poposcerit impetrare, quia ſcriptum eſt, ſi peccauerit populus, orabit pro eo Sacerdos: Si autem Sacerdos peccauerit quis orabit pro eo?] *Et Diuus Gregorius libro primo Reg. 1. c. 24.*

[Qua

[Qua enim fiducia pro peccatis alienis ad Deum intercessor venio, apud quem de proprijs securus non sum? si fortasse quispiam apud potentem virum, qui sibi iratus, & mihi esset incognitus, intercessorem suum me fieri quæreret, protinus responderem: Ad intercedendum venire nequeo, quia eius notitiam ex sedula familiaritate non habeo] *Hæc Gregorius.* Vnde concludit debere Sacerdotem studio bonitatis firmissimam cum Deo amicitiam constituere.

Cæterum quanti facienda sit illa tertia pars huius Sacerdotalis officij, quæ in benedictionibus conferendis consistit non est qui manifestè non videat. Cum enim benedicere sit solius Dei munus, si Sacerdos officium benedicendi habet, vtiq; exequitur id, quod spectat ad Deum, ac proinde est Dei Vicarius & locumtenens. O mirabilis Sacerdotum maiestas. Et non solum benedicit rebus alijs à Deo; sed benedicit ipsi Christo dum celebrat. Quantus igitur ille est, qui pluribus vicibus in Missa ipsi Christo benedicit Crucis signum super Corpus & Sanguinem Dominicum efformando? Omni certè admiratione hoc maius est. Apostolus enim pro certo & indubitato refert quod qui alteri benedicit, eius respectu superior habeatur. Heb. 7. *Sine contradictione* (inquit) *quod minus est, à meliore benedicitur.* Et hac ratione probat Melchisedec Abrahæ præcelluisse, quia benedictionem ei suam impertiuit. Huic id, quod ostendimus, conforme est & consonum. Nam quod ante consecrationem pani & vino benedicat, mirum quidem est; sed hoc est omni admiratione ac stupore dignissimum, quod peracta consecratione, cum in altari verum Christi Corpus & sanguinem credimus, manu extensa benedictionem impertiatur. Hoc argumentum posuit S. Thomas 3. *p. q.* 83. *art.* 1. *ad* 4. in materia de Eucharistia, & eidem scholastice respondit dicendo illas propriè loquendo non esse benedictiones, nec Sacerdotem vti Crucis signa-

ſignatione ad benedicendum, ſed ſolùm ad commemorandam virtutem, & modum Paſſionis Chriſti. Contra hanc ſolutionem vna eſt difficultas, quod Conc. Tridentinum *ſeſſ. 22. cap. 5.* vbi tractat de Sacrificio Miſſæ abſolutè myſticas vocat benedictiones abſq; differentia priorum aut poſteriorum. Hæc tamen latius in ſcholis diſcutiantur: nos verò ad rem inde eliciemus id, quod dignitatis Sacerdotalis augeat ſplẽdorem & maieſtatem. Chriſtus itaq; duobus in altari modis conſiderari poteſt. Vno modo prout ſummus Sacerdos, qui principaliter offerat Sacrificium; & hoc modo benedici nulla ratione poteſt; omnes enim benedictiones, quas agit Sacerdos, ipſius agit nomine, & tanquam miniſter. Altero modo conſiderari poteſt in quantum hoſtia quæ Deo immolatur; & ſic Sacerdos perſonam Chriſti Pont. Max. repræſentans, modum quemdam, ſeu gradum ſuperlationis habet præ eodem Chriſto, inquantum ille eſt hoſtia & ſacrificiũ, quod à Sacerdote offertur. Hinc licet benedictionem exprimere ſuper hoſtiam conſecratam, quamuis in ea veraciter Chriſti corpus agnoſcatur & adoretur. Quanta porrô ſit hæc dignitas & præcellentia, nemo eſt qui non videat. Voluit nimirũ Deus, vt Sacerdos, in quantum miniſter, eminentiori ſit loco, quàm teneat ipſe in quantum hoſtia & ſacrificium, atq; tali auctoritate benedictionem impertiatur.

O Patres Sancti, Cognoſcamus, & æſtimemus Dignitatem, Poteſtatem, Officium, ad quod nos Deus euexit; grates nos ei referamus, quod tanto nos duxerit dignos honore, tàm eximijs muneribus honeſtarit. Quî fieri poteſt, vt elingues ſimus, nec in laudes Altiſſimi prorumpamus? O Archangeli, O beati ſinè corpore Spiritus, canite pro nobis Omnipotenti Deo canticum laudis; impares enim ſumus tantis meritis, hæret lingua, deficiunt verba, mentis oculi ad tantam munificentiam obſtupeſcunt. Quid ergo mirum ſi Sacerdotes Dij vocẽtur, qui propria Dei auctoritate & poteſtate fruun-

tur? Veriſſimè ita eſt Deoseſſe in terris, qui Dei poteſtatem receperunt è Cælis. Nunc certè non admiror, non ſtupeo Apoſtolum iniurias, & opprobria ſibi illata, blaſphemias nuncupaſſe; quamuis enim hoc genus contumeliæ, ſit detractio quædam honoris Diuini: Sacerdotes tamen eodem etiã perſtringi dicuntur, qui in terra præ ſua auctoritate Dij appellantur. Sed non minori timore angi debemus ſi vitam tali dignitate, tali poteſtate, tali officio indignam exhibeamus. Qua propter (*vt cum D. Grrgorio Hom. 9. euang. eloquar*) ſollicitè conſiderare debemus, ne nos, qui plus cæteris in hoc mundo accepiſſe aliquid cernimur ab auctore mũdi grauius inde iudicemur. Cum enim augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum. Tantò ergo eſſe humiliores atq, adſeruiẽdum Deo prõptiores debemus ex munere, quantò nos obligatiores eſſe cõſpicimus in reddẽda ratione. Hinc Deus ipſe inclamat Sacerdotibus & cuilibet Sacerdoti illa verba. Leuit. 21. *Leuita ſit ergo Sanctus quia, & ego Sãctus ſum Dominus qui ſanctifico vos.* acſi apertè dicat ſi mea auctoritate & poteſtate fungimini, non grauemini imitari me. *Sancti eſtote quoniã ego Sanctus ſum.* Hæc Dei vox cordibus noſtris inſculpta eſſe deberet, vt nos iugiter ad bonitatem, perfectionemq; ſectandam extimularet.

CAPVT VI.

De Ratione mouente ad Bonitatem ex eo, quod peccata Eccleſiaſticorum ſunt grauiora, quàm Laicorum.

DEbet conari Eccleſiaſticus ſemper in virtute proficere, quia iuxtà Sanctorum placita in via Dei non progredi eſt retrogredi: & in Dei famulatu non proficere eſt deficere. Quod ſi ſemel retrogrediatur & deficiat, certè ſenſim ſine ſenſu labetur in peccata non pauca, quæ pro cui dubio grauiora cenſenda ſunt, grauiusq; ponderanda quàm aliorum; æſtimatur enim peccatum non ſolùm

lùm ex natura operis, verùm etiam ex conditione & dignitate operantis. Cum autem Ecclesia stici sint Deo dicati, specialiter illi consecrati, speciali sigillo & charitate signati, manifestum est quod dum ipsi peccant, non parum adaugetur illorum peccatum ex ingratitudine; dum enim crescunt dona rationes etiam crescunt donorum. Sed vt hoc plenius innotescat afferemus in medium testimonia tum ex Sacra pagina, tum ex doctrinis Sanctorum Patrum petita.

Primò igitur (vt à Sacrę paginæ testimonijs ordiamur) audienda sunt verba illa Domini apud Malachiã, quibus valdè exprobrat Ecclesiasticis eorum iniquitates & scelera; ait enim. *Cap.* 1. [Filius honorat Patrem, & seruus Dominum suum; Si ergò Pater ego sum, vbi est honor meus? Et si Dominus ego sum, vbi est timor meus dicit Dominus exercituũ? Ad vos ò Sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis: In quo despeximus nomen tuum? offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis: In quo polluimus te? In eo quod dicitis: Mensa Domini despecta est.] Quis non animaduertit quàm grauiter de malis Sacerdotibus Dominus conqueratur? Altera vox Domini ad hanc rem spectãs, quam etiam debent attendere Sacerdotes est illa apud eundẽ *Malachiam c. 2. vbi ait:* [Et nunc ad vos mandatum hoc ò Sacerdotes, si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super Cor, vt detis gloriã nomini meo, ait Dominus exercituũ, mittã in vos egestatem, & maledicã benedictionibus vestris, & maledicam illis, quoniã nõ posuistis super Cor. Ecce ego proijciam vobis brachiũ, & dispergam super vultum vestrũ stercus solemnitatũ vestrarum, & assumet vos secum. Et scietis, quia misi ad vos mandatum istud, vt esset pactum meũ cum Leui, dicit Dominus exercituum, pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis; & dedi ei timorem, & timuit me, & à facie nominis mei pauebat. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius. In pace, & in æquitate am-

tulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate; labia enim Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege, irritum fecistis pactum Leui, dicit Dominus exercituum.] Hinc indicatur, quod pactum speciale Deus ineat cum Sacerdotibus posteris Aaronis promittés illis vitam, & specialem gloriam ex parte sua. Ex parte autem illorum 1. requirit timorem, quo ab omni eius offensa se custodiant, 2. legem veritatis in ore eorum; hoc est, vt legem diuinam verè & rectè populum doceant. 3. vt ambulent in pace, & æquitate, id est vt pacis & æquitatis sint amatores & tutores, sua conuersatione pacifica illius amorem proximorum cordibus imprimentes. 4. vt alios auertant ab iniquitate, id est verbo & exemplo tatagãt omnes à via prava & impia ad piam & rectam traducere. Hæc omnia dicit Aaronem, veroſq; Leuitas seruasse, subdit deinde Dominus: *Vos autem recessistis de via, & plurimos scandalizastis in lege &c.* Habent hæc verba emphasim ad nouæ legis ministros directa, & illorum offensæ grauitatem ostendunt. Quasi dicat. Vos, qui mihi speciali pacto obligati estis. Vos, quos specialiter elegi, & potestatis diuinæ consortes feci. Vos, quibus claues Cælorum commisi. Vos, quibus Ecclesiam Sponsam meam, & animas à me redemptas concredidi. Vos, quos cæterorum Duces constitui, vt eos in viam veritatis & æternitatis perducatis. Vos, inquam, ipsi de via recessistis, de via legis & scientiæ diuinæ: de via pietatis & timoris: de via salutis in viam perditionis proruentes. Et quod peccatum vestrum tot nominibus grauissimum magis adauget *scandalizastis plurimos in lege.* improba vestra vita dedistis exemplum legis violandæ & contemnendæ. Vos, quibus lex commendata erat quasi Virgo quæ custodibus committitur vt inuiolata seruetur, eam primi defloraſtis & violastis: ac deinde cæteri exemplo vestro id ipsum effrænatè

sunt

ſunt auſi. Vos. qui magiſtri probitatis cæteris eſſe debuiſtis, peruerſitatis duces facti eſtis, & flagitiorum facem præferentes, populos in ruinam & excidium pertraxiſtis. Hoc intendunt prædicta verba Domini apud Malachiam, quæ certè ſi attentè à Sacerdotibus penſarentur nõ poſſent ij non acutiſſimis perurgeri ſtimulis ad bonitatẽ, Sãctitatẽ & perfectionẽ.

Huc ſpectant verba Domini apud *Ieremiam* 11. in quibus valdè conqueritur de ſceleribus ſuorum domeſticorum, & inquit: [Quid eſt quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? Oliuam vberem, pulchram, fructiferam vocauit Dominus nomen tuum, ad vocem loquelæ grandis exarſit ignis in ea, & combuſta ſunt fruteta eius. Et Dominus exercituum qui plãrauit te, locutus eſt ſuper te malum.] Ad quoſnam hæc verba melius diriguntur quàm ad Eccleſiaſticos? Nonne hi præ cæteris electi, dilecti, beneficijsq; diuinis ſunt adornati, dum in domo Dei conſtituuntur non ſolùm tanquam ſerui, ſed tanquam ſpeciales amici, tanquam domus adminiſtri, imò tanquam filij primogeniti? Igitur dũ hi effrontes peccant, nonne veriſſimè de illis affirmatur quod in domo Dei faciant ſcelera multa? Eheu plantauit Dominus Eccleſiaſticos quaſi Oliuam vberem, ſpecioſam, frugiferã, ſed neſcio quis malignus cupiditatis ignis huius Oliuę fruteta depaſcitur, ita vt cogatur Dominus loqui ſuper eam malum ramis infrugifers maledictionis fulmen immittendo, exſcindẽdo & in ignem perpetuũ præcipites abijciendo; vt tanto grauius puniantur quanto magis promeriti ſunt iram Diuinam. Attendant ad hoc Sacerdotes; & reliqui Eccleſiaſtici omnes, qui cum ſæpè recitent illa verba *Pſal.* 51. *Ego autem ſicut Oliua fructifera in domo Dei ſperaui in miſericordia Dei in æternum, & in ſeculum ſeculi.* Nihilominus inueniũtur quaſi rami aridi, & ſicci, omnis humoris gratiæ expertes; nulla ſpiritus pinguedine fæcũdati: imô tanquam ſilueſtris rami oleaſtri amarum peccati liquorem generantes. Curent igitur per

pec-

peccati & vitæ prioris abdicationem, per contritionis cultu-
ram & purgationem, per orationis ſtudium, gratiæ rorem &
ſuccum recuperare. Curent Oliuæ radicali, quæ eſt Chriſtus
Ieſus, per vnionem Spiritus iterum vniri, vt fiant ſocij radi-
cis & pinguedinis, ſicq; fructum copioſum proferant in fæ-
cundo Eccleſiæ ſolo plantati. Alioqui ſi aridi perſiſtunt, aut
peruerſis moribus ſilueſcunt ſecuris ad radicem poſita eſt vt
exſcindantur, & igni perpetuo eſca tradantur,

Secundo loco audiendi ſunt Sancti Patres grauitatem
peccatorum in Eccleſiaſticis ſuorum grauitate verborum de-
clarantes. Inter quos tanquam Chorifæus primo loco acce-
dat *Magnus ille Gregorius, qui fuit verè Sacerdotum, Paſtorum, &
omnium Eccleſiaſticorum ſpeculum & exemplar. Is igitur Hom. 17.
in Luc. ſic ait.* [Nullum maius præiudicium, quam à Sacerdo-
tibus tolerat Deus quando eos, quos ad aliorum correctio-
nem poſuit, dare de ſe exempla prauitatis cernit: quando
ipſi peccamus, qui compeſcere peccata debuimus; nulla ani-
marum lucra quærimus; ad noſtra ſtudia vacamus: terre-
na concupiſcimus; humanam gloriam intentamente capta-
mus. Eo ipſo, quo cæteris prælati ſumus, ad quælibet agen-
da maiorem licentiam ſumimus, & ſuſceptæ benedictionis
miniſterium vertimus ad ambitionis argumentum. Dei cau-
ſas relinquimus; ad terrena negotia vacamus, locum ſancti-
tatis accipimus, & terrenis actibus implicamur.] *Hæc Magnus
Pontifex Gregorius.* Præclara ſanè monitio, quæ vtinam effi-
caciter Eccleſiaſticorum corda penetraret. Vtinam animos
multorum vlceroſos ſic intus fortiter pungeret, vt vitiorum
latẽtem ſaniem expungeret. Vtinã hoc collyrio proprios in-
ungerẽt oculos, vt clariùs ſui obligationem ſtatus aſpicerẽt.

Accedat etiam teſtimoniũ *præclari illius totius Eccleſiæ lumi-
nis Auguſtini. Is n. Ep. 148. ad Valer: ſic. ait.* [Ante omnia, peto
vt cogitet religioſa tua prudentia nihil eſſe maximè nunc fa-
cilius & latius hominibus Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi Of-

fi-

ficio,ſi adulatoriè & perfunctoriè res agatur;ſed apud Deum nihil miſerius,triſtius,& damnabilius. Et nihil eſſe in hac vita laborioſius, difficilius, & periculoſius;apud Deũ verò nihil beatius,ſi eo modo militetur,quo Imperator iubet.] Itaq; ſacræ militiæ adſcripti non adulemur nobis, non de gradu adblãdiamur; nõ vanitati & vitijs dediti torpeamus,nõ perfunctoriè quæ noſtri ſunt muneris obeamus: quandoquidẽ nihil triſtius,nihil miſerius,nihil damnabilius eſſe queat;ſed abijciẽtes opera tenebrarũ,& induẽtes arma lucis eo modo militemus,quo Imper. noſter Chriſtus Dom. imperãs imperauit.

Nec relinquamus teſtimoniũ *melliflui Doctoris Bernardi,vt in ore trium teſtiũ ſtet omne verbum. Is igitur ſerm: ecce nos reliquimus. ſic inquit* [Cæleſte tenet Officium Sacerdos, Angelus Domini exercituum eſt tanquam Angelus aut eligitur, aut reprobatur. Inuenta in Angelo prauitas & diſtrictius iudicetur neceſſe eſt, & inexorabilius quàm humana.] Atq; ad id confirmandum adfert S. Bernardus illud Domini apud Iſai. 26. *In terra Sanctorum iniqua geſsit non videbit gloriam Domini.* [Quid eſt(inquit)in terra Sanctorum niſi in Eccleſia, & in domo Dei, quam decet ſanctitudo, de qua Apoſtolus ad Titum. *Scias quomodo oporteat te conuerſari in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei viuentis, columna,& firmamentum veritatis*:In clero ergo tanquam in Cælo iniqua gerens quidni grauiùs iudicetur ? Inuenta eſt iniquitas ad odium, qui in terra ſanctorum geſſit iniqua non videbit gloriam Domini in Cælo, qui eam debuit,nec voluit in Clero propagare,ſed potenter tormenta patietur cum Angelis deſertoribus, quibus non pepercit Deus.]

CAPVT VII.

De Ratione mouente ad Bonitatem ex eo, quod peccata Eccleſiaſticorum grauius puniuntur.

NOn inefficaciter mouebimur ad excutiendum mentis no-

noſtræ torporem, & ad verum bonitatis & ſanctitatis iter arripiendum ſi expendamus pœnas graues, quas immiſit olim Deus in ſuos Miniſtros ob aliqua delicta, quę non tàm grauia iudicarentur, niſi ipſa diuina vindicta teſtis foret grauitatis. In primis Oza cum eſſet Leuita calcitrantibus bobus manum extẽdit ad arcam vt eam fulciret, & ſubitò percuſſus eſt. Certè vel nullam, vel leuem culpam hic iudicaremus: ſiue enim dicatur peccaſſe, quia actu coniugali non abſtinuerat: ſiue quia nudè arcam tetigerat, quam non niſi per vectes portare licebat: ſiue quia oportuerat eam humeris portare, & non plauſtro imponere: Vndecunq; error euenerit, cum neceſſitas vrgeret, excuſabilis culpa videbatur, nec tanto obnoxia ſupplicio; Quia etiam Philiſtæi nudam arcam tetigerunt & plauſtro vexerunt, nec ſimili vindicta abſumpti ſunt. Quid ergo? Quid dicemus ad hæc? Niſi quod oſtendere voluerit Deus ſe Deorum ſeuerum exiſtere Iudicem, ſcilicet Eccleſiaſticorũ, in quorum medio ſtat tanquam Deos diudicans, & plectens eorum culpas etiam quæ leues videntur. Graues enim ſunt, quia ſunt eorum qui diuino cultui dedicati exiſtunt, qui nec debent ignorare, nec vllatenus omittere quæ ad ipſorum ſpectant officium. Philiſtæi ergò Laici erant, & gens profana, quæ præceptum Domini fortè inculpabiliter ignorabat: Oza verò Leuita erat & Deo dicatus; vnde præceptum Domini & benè tenere, & ſtrictè obſeruare debebat.

Similiter Moyſes, & Aaron Sacerdotes Domini inuocabant eum, & ipſe exaudiebat eos, & in columna nubis loquebatur ad eos; d diſcens tamen etiam erat in omnes adinuentiones eorum.

Dubitat Moyſes percutiẽs petram propter duritiem & rebellionem populi (nec enim de potentia Dei ambigere poterat quam in ſimili expertus fuerat, & prodigiis alijs grauioribus manifeſtarat) interim iraſcitur Dominus Moyſi, & ob id eum punit denegans ei ingreſſum in terram promiſſionis, vt habetur *Num. cap.* 20.

Simili pœna Aaronem plexit Moysis fratrem, & summum Sacerdotem. An non ergò meritò dicimus Ecclesiasticorum peccata grauia esse, quamuis in speciem leuia videantur, quandoquidem tàm acri pœna castigantur.

Nec minoris ponderis ad assertum nostrum adstruendum est punitio Heli Sacerdotis, & filiorum eius. Hi ingluuiem & fornicationem sectantes ceciderunt tamen diuina vindicta perculsi. Heli, quia non satis seuerè eos correxerat, subita etiam morte interijt, & Dei manum vindicem non solum in se; sed & in sua sensit posteritate. Vnde sic ait Dominus 1. Reg: 3. *Ecce ego facio verbum in Israel quod quicunq; audierit, tinnient ambæ aures eius, Idcircò iurani domui Heli quod non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vsq; in æternum.* Ob id ipsum arcã Dei capi permisit Dominus, & transtulit Sacerdotium à domo Heli in Samuelem. En igitur quàm grauia censeat Dominus peccata Ecclesiasticorum dum diuinis sunt sacrificijs iniurij per improbam vitam; siquidem propter illa nõ solum ipsi, sed & plebs Dei malis sæpe grauissimis afflictatur.

CAPVT VIII.

De Ratione mouente ad Bonitatem ex eo, quod Ecclesiastici curare debent proximorum salutem.

TEnentur Ecclesiastici; (maximè si sint Sacerdotes & animarum Pastores,) tenentur, inquam, curare proximorum salutem, quæ tribus præcipuè medijs obtinetur, nempe Prædicatione verbi Dei. Administratione Sacramentorum. Exemplo rectæ vitæ. His enim tribus præcipuè Vita spiritualis in populis gignitur, alitur, enutritur, fouetur: Vitia euelluntur, Virtutes complantantur: Anima suo spirituali cibo refouetur, ac vires semper acquirit nouas ad ambulandum semitam mandatorum Dei, donec perueniat ad videndum Deum Deorum in Syon. Sed qui fieri potest

bone Deus vt alios in vita enutriat ſpirituali qui mortuus eſt ſpiritualiter? vt alios illuminet, qui peccatorum tenebris obuoluitur? vt alios in viam rectam dirigat, qui per viam prauam incedit? vt alios igne diuini amoris accendat, qui in ſe frigidus manet? vt alios ab inquinamentis carnalium voluptatum emundet, qui totus in ipſis voluptatibus inuenitur immerſus? vt alios in Cælum extollat, qui terrenarum pondere cupiditatum in ima deprimitur? vt alios doceat patientiam, humilitatem, modeſtiam, continentiam, caſtitatem, ſeculi contemptum, cæteraſq; Chriſtiani hominis virtutes; qui immitis, ſuperbus, incontinens, incompoſitus, inordinatus, ac mundanorum rerum auidus appetitor in tota ſua vita vndequaq; dignoſcitur? Quis neſciat neminem poſſe præbere quod in ſe prius non habeat? An putas ſuperbiam poſſe ſocietatem inire cum humilitate? Auaritiam cum liberalitate? Luxuriam cum caſtitate? Iram cum patientia? Gulam cum ſobrietate? Inuidiam cum charitate fraternitatis? & Accidiam cum ſolicitudine in Dei famulatu? *Quæ participatio iuſtitiæ cũ iniquitate?* (vt vtar verbis Apoſtoli 2. Corin. 6.) *Aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fidelis cum infideli? quis autem cõſenſus templo Dei cũ idolis?* Curet igitur Sacerdos & Eccleſiaſticus quilibet emundare ſe, & ſanctitatem acquirere vt queat deinde alios Chriſto lucrifacere. Curet inſtituere vitam longè à ſecularium ratione alienam, vt poſſit alios ad ſui imitationem adducere: *vt enim eleganter Diuus Ambroſius* [Nihil in Sacerdotibus plebeium requiritur, nihil populare, nihil commune cum multitudine. Quomodo enim poteſt obſeruari à populo, qui nihil habet ſecretum à populo? nihil diſpar à multitudine? Quid enim in te miretur ſi ſua in te recognoſcat, ſi nihil in te aſpiciat, quod vltrà ſe inueniat, ſi quæ in ſe erubeſcit, in te etiam offendat? Super gradiamur igitur ſtrata gregalis conuerſationis, ſit noſtra via anguſtior, virtus exuberantior; trames

preſ-

preſſior, fides ſublimior; callis arctior; vigor mentis exundans; ſit greſſus ad ſuperiora.] *Hæc Ambroſius.*

CAPVT IX.

De Ratione mouente ad Bonitatem ex eo, quod ſi male vixerint Eccleſiaſtici multa ex illorum improba vita mala oriuntur.

EX improba Eccleſiaſticorum vita mala plurima tùm culpæ tùm pœnæ in populos deriuari certum eſt.

Et primò quidem quantùm attiner ad mala culpæ, quis non videat ex malo Eccleſiaſticorum exemplo plurima vitia oriri, illudq; efficax admodum eſſe vt plebis animos ad libertatem alliciat, & ad vitiorum imitationem inflectat? Quod enim quisq; in Sacerdotibus cernit inualuiſſe, id ſibi quoq; licitum putat; & cum nihil facilius, quàm vitia impuris mẽtibus affricentur, fit (teſte S. Bernardo) vt miſera Sacerdotum conuerſatio plebis dominicæ ſit miſerabilis ſubuerſio. Varijs ſimilitudinibus id declarant Sancti Patres. *S. Ambroſius vtitur ſimilitudine capitis & membrorum ſic dicens:* [Sicut in corporalibus membris capite vitiato neceſſe eſt reliquum corpus inundationẽ ſuperioris morbi lethaliter irrigari: ita & hi, qui caput videntur eſſe Eccleſiæ, morbo ſuo fraternum vitiant Corpus, vt nihil ex totius corporis compage inſauciatum poſſit euadere, quod negligentium Sacerdotum vitioſitas non infecerit. Vnde populum videmus nugacem & indoctũ eo quod tales habeat Sacerdotes.] *Ita S. Ambroſius.*

Diuus autem Chryſoſtomus Hom. 38. in Matth. vtitur ſimilitudine radicis, & ramorum [Quemadmodum (inquit) cum videris arborem pallentibus folijs intelligis quia aliquã culpam habet circa radicem; ita cum videris populum indiſciplinatum, & irreligioſum, ſine dubio cognoſce quia in Sacerdotibus culpa eſt. Sicut de templo omne bonum egreditur, ſic & de templo omne malum procedit.] Experientia certè quoti-

diana edocemur, & ſatis apertè conſpicimus multos, qui ad curas paſtorales vel ab alijs euehuntur; vel de ſe irrepunt abſq; congruis ſcientiæ & vitæ meritis, plurimum gregi afferre detrimenti, ſeq; multiplici obſtringi reatu; dum pereuntium ſanguis animarum de manibus eorum exquiritur; Sæpe enim fit vt gradientem per abrupta Paſtorem incautus grex ad præcipitium ſubſequatur. Hinc de ſimilibus conqueritur Eccleſia apud Ierem. 10. *Væ mihi ſuper contritione mea, peſſima plaga mea, tabernaculum meum vaſtatum eſt, omnes funiculi mei diſrupti ſunt, filij mei exierunt à me, & non ſubſiſtunt. Non eſt qui extendat vltrò tentorium meum, & erigat pelles meas; quia ſtultè egerunt Paſtores, & Dominium non quæſierunt; propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum diſperſus eſt.* Certè non immerito conqueritur Eccleſia, quod propter vel improbam, vel ſocordem Paſtorum vitam grex miſerrimè diſpergatur aut errando à mandatorum via; aut reſiliendo à ſpe promiſſorum; aut ſe à Fidei & Sacramentorum vnitate ſeparando. Iuſtè lamentatur paucos admodum reperiri, qui perfectæ vitæ exemplo curent quæ diruta & collapſa ſunt erigere; ac zelo religionis ac veritatis quæ in moribus, fideue corrupta deprehēdātur, inſtaurare. Hoc enim eſt erigere tabernaculum Domini: hoc eſt tentoriū & pelles eius extendere, animas ſcilicet in Chriſto ædificare, in quibus Dominus inhabitet & glorificetur, easq; ad ſanam fidem veramq; iuſtitiam informare; & à cæno vitiorum, in qubus miſerabiliter immerſæ iacent extrahere.

Sed veniamus ad mala pœnæ, quæ itidem ex Eccleſiaſticorū improba vita ortum ſæpiſſimè ducunt. Grauiſſimas clades populis inflictas eſſe ob Sacerdotum peccata ex ſacris hiſtorijs exploratum habemus. Propter peccata Heli, & filiorum eius victoria ceſſit Philiſtæis, Iſraelitę profligati ſunt, Arca & Dei in hoſtium poteſtatem venit. *S. Cyprianus lib. 4. ep. 4. grauiſſimam calamitatem ſuo tempore Africam deuaſtantem Ecclę-*

cleſiaſticorum vitijs adſcripſit his verbis : [Fecit Dominus voluntatem Patris ſui; & nos non facimus voluntatem Domini, lucro ſtudentes, ſuperbiam ſectantes, æmulationi ac diſſenſioni vacantes, fidem negligentes, ſæculo verbis & non factis renunciantes, vnuſquiſq; ſibi placentes. Vapulauimus itaq; vt meremur; cum nec illi, qui exemplo cæteris ad bonos mores eſſe debuerunt, teneant diſciplinam.] *Et S. Gregorius Hom. 17. in euang. clades temporis ſui Sacerdotum Culpis attribuit his verbis :* [Quanto mundus gladio feriatur adſpicitis, quibus quotidie percuſſionibus intereat populus videtis. Cuius hoc niſi noſtro Sacerdotum peccato agitur? Nos pereunti populo auctores mortis exiſtimus, qui eſſe debemus duces ad vitam: Ex noſtro peccato populi turba proſtrata eſt, quia noſtra negligentia ad vitam erudita non eſt.]

Non ergò miremur diuturnam Eccleſię perſecutîonem, & turbidam vaſtitatem Catholicæ plebi, & gregi Dominico iamdudum incumbentem. Non miremur ſi vniuerſam penè Europam ne dicam vniuerſum orbem à plurium annorum decurſu bellorum incendijs conflagrare videmus. Non obmurmuremus de felici infidelium ſucceſſu contra Catholicos: imò nos Sacerdotes fateamur propter noſtra potiſſimùm peccata diuinam vltionem in populos deſæuire; & benè poſſumus cum B. Hieronymo dicere : *Noſtris peccatis barbari, & Hæretici fortes fiunt : noſtris vitijs Catholicus ſuperatur exercitus : infælices nos, qui tantum deſplicemus Deo, vt per rabiem barbarorum, & hæreticorum illius in nos ira deſæuiat.*

Ne igitur tot incommoda ex improba Sacerdotum vita proueniant, ſatagamus nos Sacerdotes vt per bona opera certam noſtram electionem & vocationem faciamus; ſic enim iuſtam in nos Dei indignationem auertemus; & abundè miniſtrabitur nobis introitus in æternum Regnum Domini, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti; vt nos monet S. Petrus Sacerdotum, & Paſtorum Dux & Anteſignanus.

CA-

CAPVT X.

De Ratione mouente ad Bonitatem desumpta à bonis, quæ ex pia Ecclesiasticorum vita proueniunt.

NOn minoris ponderis ad bonitatem, vitæq; perfectionem capessendam debet esse Ecclesiasticis illud, quod in præfatione huius operis innuimus; nempe quod sicut ex praua ipsorum vita quam plurima mala in Ecclesiam deueniunt; ita è contrà ex pia eorundem conuersatione non minora bona in plebem Christi dimanant.

D. Chrysostomus Hom. 38. in Matth. hac de re agens dicit Christum suæ prædicationis initio, aliasq; frequenter Sacerdotum vitia redarguisse, comparatq; illum Medico, qui originem mali vult extirpare vt sanet. Audiamus illius verba. [Hoc erat (*inquit*) boni Medici vt ingressus ad infirmam Ciuitatem saluãdam, primò ad originem morbi intenderet, nam sicut de templo omne bonum egreditur, sic de templo omne malum procedit. Medicus ingrediens ad infirmum statim de stomacho interrogat, & eum componere curat; quia si stomachus sanus fuerit, totum corpus validum est; si dissipatus, totum corpus infirmum est. Ita si Sacerdotiũ integrum fuerit, tota Ecclesia floret; si corruptum, omnium fides marcida est. Cor autem & stomachus Sacerdotes intelliguntur, quia in rebus Spiritualibus per eos totus populus gubernatur: Et sicut Cor sapientiæ locus est, ita Sacerdotes sunt receptacula sapientiæ spiritualis. Isaia dicente de Regibus quidem (omne caput in dolore) de Sacerdotio autem (omne Cor in tristitia.) *Hæc Chrysostomus*, qui etiam prosequitur rationes cur stomacho comparentur Sacerdotes & illis munia stomachi applicat eleganter. Primò quidẽ; quia sicut stomachus accipiens cibũ coquit eum in se ipso; deinde per totum corpus dispergit: sic & Sacerdotes accipiunt scientiam ho-

no-

noris per scripturas ex Deo, & excoquentes eam in se, id est tractantes & meditantes apud se, vniuerso populo subministrant. Secundò sicut stomacho ministrante vnumquodq; membrum suscipit nutrimentum, & conuertit ipsum in se secundùm suam naturam, (nam quod suscipit iecur totum fit sanguis; quod suscipit fel, totum efficitur bilis; quod verò ascendit in pulmonem fit phlegma; quod in mamillas, totum efficitur lac) sic Sacerdotibus in Ecclesia loquentibus Dei verbum, vnusquisq; illud conuertit secundùm propriu m cor: ita vt idem verbũ in cordibus rectis procedat ad vitam; in cordibus peruersis suscitet iracundiam quasi bilis; in alijs autem operetur dilectionem dulcissimam quasi lac; in alijs odia quasi phlegma nociuum & expuendum. Tandem huius similitudinis explicationem concludens *idem auctor sic admonet Sacerdotes.* [Videte ò Sacerdotes quomodo vos componatis in verbo, & opere. Quoniam sicut in corpore si aliquod infirmatum fuerit membrum, non omnino languet & stomachus; si autem stomachus langueat, omnia membra inuenisitur infirma: sic planè si aliquis Christianorum peccauerit, non omnino peccant & Sacerdotes; si autem Sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus conuertitur ad peccandum.]

Antiqui sapientes hanc, quam tradimus doctrinam, insinuantes; nec non qualis esse debeat vita Sacerdotum exprimere volentes depingebant senem quemdam venerabilem vna manu solem tenentem, altera horologium. Ac primò quidem per solem significabant tùm Sacerdotis vitã claram esse debere & luminosam, contrà quam nemo meritò loqui possit: tùm etiam tot bona mundo parere lucidam Sacerdotum doctrinam & exemplum, quot mundo aduehit lucis & solis ortus.

Secundò per horologium innuebant à Sacerdotum regimine & vita dependere regimen & vitam totius populi, sicut ab horologij directione pendet Ciuitatis & negotiorũ eius

dire-

directio. Est enim horologium quasi regula & mensura quædam rerum agendarum, cuius causa omnia ordinatè fiunt, certo tempore singulis actionibus designato; quod si in motu celeriùs aut tardiùs incedat, ingeritur quædam confusio. Ita ad Sacerdotis vitam, quasi ad horologij motum cæteri se conformant, ad illius pulsum excitantur & regulantur, quòd si cõfusio & inordinatio in illius motu intercurrat, statim etiam in alijs cernitur. Hinc Carolus Quintus gloriosæ recordationis Imperator Prouincias, & Vrbes circumiens atq; perlustrans ad hæc tria potissimum attendere solitus perhibetur; nempe ad Horologium, ad Templum, ad Plateas, an omnia ibi recta & munda forent; sicq; ab his Ciuitatis directionem iudicare solebat. Idem tria P inquirebat, scilicet *Quis in Vrbe Prætor? Quis Præceptor? Quis Pastor.*

CAPVT XL.

De Ratione mouente ad Bonitatem ducta ab exemplis bonorum Ecclesiasticorum eo quod Deus est specialis illorum defensor.

SÆpe magis mouent exempla quam verba, ideò vt efficaciores Ecclesiasticis adhibeamus stimulos ad vitæ perfectionẽ capessendã nõnulla exempla adducemus.

Primum sit de quodam Nantino Comite Engolismense. Hic cum multa mala in Heraclium Burdegalensem Episcopum, aliosq; Dei ministros patrasset, peste correptus & nimia exustus febre clamabat dicens: *Heu heu ab Heraclio Antistite exuror, ab illo crucior, ab illo ad iudicium voco. Cognosco facinus, reminiscor iniustè me intulisse Pontifici mortem, deprecor ne diutius crucier hoc tormento.* Hæc cum in maxima febre clamaret, deficiente robore corporis infelicem animam fudit, non dubia relinquẽs vestigia hoc ei ad vltionem Beati Viri venisse; nam exanime Corpus ita nigredinem duxit vt putares eum prunis superpositum fuisse combustum. Ecce quomodo Altissimus

tissimus amat, defendit, tuetur bonos Sacerdotes; & quomodo pro illis pugnat contrà insensatos.

Secundum sit de Elphego Archiepiscopo Cantuariensi. Cum hic iter versus Romam pro pallio habendo arriperet, & quoddam Oppidum hospitandi gratia intraret, Oppidani hominem incognitum videntes, & auaritiæ suæ consulentes in domum irrumpunt, res eius diripiunt, eumq; omni supellectili priuatum verbis & verberibus exire compellunt. At ille iniurias suas leniter ferens, suorum verò mediocriter dolens via, qua venit, regreditur. Nec dum ab Oppido longè decesserat, & ecce horrendæ voces mænia corripiunt, quæ Ciuibus & ædificijs celerem minantur ruinam. Nec mora, vorax flamma Oppidum consumere cæpit, cumq; ignis vehementer excresceret, nec euadendi spes aliqua fuisset, Virum Sãctum adeunt, fatentur delictum, veniam petunt. Mox Sanctus ille compatiens preces ad Dominum fudit, & ignis molestia protinus extincta cessauit. Itaq; bonus Episcopus receptis suis rebus incæptum iter prosequitur, Romam peruenit, acceptoq; à Põtifice pallio, domũ prospere regreditur.

Tertium sit de Victore Papa II. Hic primo sui Põtificatus anno horrendam planè passus est proditionem, cum ad eius necem immissum est venenum (dictu pauendum) in Sacrum Calicem. Deus autem duplex miraculum exhibuit. Ne Pontifex biberet prohibuit. Et tanti auctorem Sacrilegij detexit. Nam cum Subdiaconus toxicum in Calicem immisisset; & ipse Pontifex post consecrationem de more Calicem leuare vellet, & sanguinem Domini sumere, nunquam id præstare potuit. A Domino causam facti inquisiturus cum populo ad orandum prosternitur, statimq; toxicator à Dæmone arripitur. Ita igitur causa manifestata Dominus Papa Calicem cum sãguine Dominico cuidam alteri iussit includere, & pro Reliquijs in perpetuum asseruari. Deinde iterum cum populo tam diù ad orationem prosternitur quousq; Subdiaconus

mone liberatur. *Prædicta exempla refert Daurentius flor. exempl. Cap. 5. tit. 61.* Ecce quomodo Deus ſpeciali providentia gubernat, dirigit, & cuſtodit Sacerdotes bonos & ſanctos. Ergo omnes hæc admirentur, obſtupeſcant, & metuant, ne inferant iniuriam Sacerdotibus; quia vltor eſt Dominus ſeruorum ſuorum, & protector eſt omnium ſperantium in ſe. Et nos ipſi Sacerdotes addiſcamus Deo verum famulatum exhibere, vt ipſius protectionem ſemper & vbique conſequi mereamur.

CAPVT XII.

De Ratione monente ad Bonitatem ducta ab exemplis malorum Eccleſiaſticorum ex quod Deus eſt ſpectator illorum vltor.

SIcut exempla bonorum mouent ad imitationem; ita exempla malorum ad cautionem; vt ſicut ex illis incitamur ad bonum, ita ex iſtis retrahamur à malo.

Primum igitur ſit de quodam Pappolo Epiſcopo Lingonienſi. Hic quondam Archidiaconus Auguſtodunenſis fuerat, cum autem multa egiſſet & ageret illicita, tandem ſui anno Epiſcopatus octauo, dū decicefem ac villas Eccleſię circumiret, quadam nocte dormienti apparuit illi B. Tetricus vultu minaci, cui ita: *Quid tu* (inquit) *hic Pappole? vt quid fidem meam polluis? vt quid Eccleſiam pernadis? vt quid oues mihi creditas ſic diſpergis? cede loco, relinque ſedem, abſcede longius à regione.* Et hæc dicens virgam, quam habebat in manu, pectori eius cum ictu valido impulit. In quo ille euigilans dum cogitat quid hoc eſſet, fixè in loco illo defigitur, ac dolore maximo cruciatur, abhorret cibum, potumq;, & mortem ſibi proximam præſtolatur. Quid plura? tertia die, cum ſanguinem ore proijceret, expirauit. Exinde elatus Lingonas, eſt ſepultus.

Secundum ſit de Sacerdote quodam à Deo ſubitanea morte punito. Cum enim Stephanus Papa omnes Clericos Romæ,

Romæ, qui post interdictum Papæ Leonis incontinentes exiterant, de Conuentu Clericorum, & Choro Ecclesiæ præcepisset exire: iuxtà canonicam B. Ceciliæ trans Tyberim cõstitutam Presbyter quidam habitabat, qui nec fœminam vllo modo acquiescebat abijcere, nec vnquam poterat hæc statuta nisi vana prorsus & friuola iudicare. Quadam ergo die dum incolumis, vegetus, ac robustus existeret, vespertinis horis ad quiescendum se in lecto composuit; sed repentina diuinæ vltionis animaduersione percussus, mane repertum est cadauer exanime. Illicò præfatæ Canonicæ Clerici consuluerunt quid agendum de eius funere. Concluſum fuit vt, cum quidem Presbyter fuisset, penes Ecclesiam sepeliretur, sed nullum ei vel hymnorum vel psalmodiæ officium redderetur, quatenus & incestuosis terror accresceret, & castitatis gloria germinantius pullularet. Et certè dignus videbatur vt mortuus (iuxtà Prophetam) sepulturam possideret asini, qui dum viueret, humana contempsit lege constringi. *Prædicta duo exemp. refert Durant. cap. 5. tit. 64.*

Tertiũ sit de Canonico quodam *relatum à Ribadeneira in Vita S. Francisci*, quod tale est Canonicus Ecclesiæ cuiusdam vitijs infamis, & à Medicis iam depositus nullos corporis artus poterat commouere. Hic ad Virum Sanctum delatus, vbertimq; lachrymatus petijt ab eo signari se signo S. Crucis. Cui Franciscus. *Cum vixeris olim secundùm desideria Carnis, non veritus iudicia Dei quomodo te cruce signabo? verumtamen propter desiderias intercedentium preces signo te Crucis signabo in nomine Domini. Tutamen scito grauiora te passurum si ad vomitum redieris liberatus propter peccatum ingratitudinis.* Quid multa? Signo Sanctæ Crucis signatus est, & pristinæ sanitati restitutus, neq; meritas Deo grates egit, neq; mores emendauit; sed solitum suum morem prosecutus cum in cuiusdam Canonici ædibus pernoctaret, omnibus domesticis fuga saluatis, ipse collapso domus tecto solus obtritus, extinctusq; est. Ecce quomodo

Deus seuerè animaduertit in Sacerdotes, cæteroſq; Eccleſiaſticos, qui vitam non ſtatui ſuo conuenientem traducunt.

CONCLVSIO ET ADHORTATIO AD ECCLESIASTICOS.

CVm igitur nos Eccleſiaſtici tot nominibus & titulis teneamur ad bonitatem, perfectionem, & Sanctitatem acquirendam vt vidimus? Quid eſt igitur quod tàm graui ſomno correpti torpemus? Quid manus complicatas habemus? Quid non ſatagimus vt per bona opera certam noſtram vocationem & electionem faciamus? An expectamus diem mortis, in quo queramus ſpatium pœnitentiæ & inuenire non poſſimus? Cur locum ſanctitatis tenemus, & illius expertes omninò ſumus, nec ad illam cõtendimus vel aſpiramus? Cur immaculatam corporis & Sanguinis Domini hoſtiam quotidie Deo in ſacrificium offerimus & nocentes manus ac immũda corda geſtamus? Certè indignus eſt vt Sacrificium Deo offerat qui vitijs eſt maculatus. Hinc etenim ſuperna voce ad Moyſen dicitur: Leuit. 21. *Loquere ad Aaron: homo de ſemine tuo per familias qui habuerit maculam non offerat panes Domino Deo ſuo, nec accedat ad miniſterium eius.* (Vbi & tepente ſubiungitur) *Si cæcus fuerit, ſi claudus, ſi vel parvo, vel grandi, & torto naſo, ſi fracto pede vel manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, vel ponderoſus.* Quæ omnia explicans *Dnus Gregorius in ſuo paſtorali relatus in Decreto diſt. 49. cap. 1. ſic ait:*

Cæcus eſt qui ſupernæ contemplationis lumen ignorat. Qui præſentis vitæ tenebris preſſus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conſpicit quò greſſus operis portigat, neſcit.

Claudus verò eſt, qui quidẽ quò pergere debeat aſpicit, ſed per infirmitatem mentis, vitæ viam perfectæ non valet tenere, quam videt; quia ad virtutis ſtatum dum fluxa conſue-

suetudine non erigitur, quò per desiderium nititur, illuc gressus operis efficaciter non sequuntur. Hinc etenim Paulus dicit: *remissas manus & dissoluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris, vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur.*

Paruo autem naso est, qui ad tenendam mentis discretionis idoneus non est. Naso quippe odores, sæpe etiam, discernimus. Recte ergo per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. Vnde & in laude Sponsæ dicitur: *Nasus tuus sicut turris, quæ est in Libano.* Quia nimirum Sancta Ecclesia, quæ ex causis singulis tentamenta prodeant, per discretionem conspicit: & ventura vitiorum bella ex alto deprehendit. Sed sunt nonnulli, qui dum æstimari hebetes nolunt, sæpe se quibusdam exquisitionibus plus quàm necesse est exercentes, ex nimia subtilitate fallũtur. Vnde hic quoque subditur, *vel grandi & torto nasu.*

Nasus enim grandis & tortus est, discretionis subtilitas immoderata: quæ dum plus quàm decet, excreuerit, actionis suæ rectitudinem ipsa confundit.

Fracto autem pede vel manu est, qui viam Dei pergere omnino non valet, atq; à bonis actibus funditus exors vacat: quatenus hæc, non vt claudus, saltem cum infirmitate teneatur, sed ab his omni modo alienus existat.

Gibbus verò est, quem terrenæ solicitudinis pondus deprimit, ne vmquam ad superna respiciat; sed solis his, quæ in infimis calcantur, intendat: qui & si quando aliquid ex bono patriæ cælestis audierit, ad hoc nimirum peruersæ consuetudinis pondere prægrauatus, cordis faciem non attollit: quia cogitationis statum erigere non valet, quem terrenæ solicitudinis vsus curuum tenet.

Lippus verò est, cuius quidem ingenium ad cognitionem veritatis emicat: sed tamen hoc carnalia opera obscurant. In lippis quippe oculis pupillæ sanæ sunt, sed humore de-

fluen-

fluente infirmantes palpebræ groſſeſcunt; quæ quia infuſione crebra atteruntur, etiam acies pupillæ vitiatur. Et ſunt nonnulli, quorum ſenſum carnalis vitæ operatio ſauciat, qui videre recta ſubtiliter per ingenium poterant; ſed vſu prauorum actuum caligant. Lippus itaq; eſt, cuius ſenſum natura exacuit, ſed conuerſationis prauitas confundit.

Albuginem habet in oculo, qui veritatis lucem videre nõ finitur; quia arrogantia ſapiẽtiæ ſeu iuſtitiæ cæcatur. Pupilla namq; oculi nigra videt: albuginem tolerans nihil videt; quia videlicet ſenſus humanæ cogitationis ſi ſtultum ſe, peccatoremq; intelligit, cognitionem intimæ claritatis apprehendit: Si autem candorem ſibi iuſtitiæ ſiue ſapiẽtiæ tribuit, à luceſe ſupernæ cognitionis excludit; & eo claritatem veri luminis ne quaquam penetrat, quo ſe apud ſe per arrogantiam exaltat.

Iugem verò habet ſcabiem, cui carnis petulantia ſine ceſſatione dominatur. In ſcabie enim feruor viſcerum ad cutem trahitur, per quam rectè luxuria deſignatur, quia ſi cordis tentatio vſq; ad operationem proſilit, nimirum feruor intimus vſq; ad cutis ſcabiem prorumpit, & foris iam corpus ſauciat, quia dum in cogitatione voluptas non reprimitur etiam in actione dominatur. Quaſi enim cutis pruriginem Paulus curabat abſtergere cum dicebat *Tentatio vos non apprehendat niſi humana* ac ſi apertè diceret. Humanum quidem eſt tentationem in corde perpeti; dæmoniacum verò eſt in tentationis certamine in operatione ſuperari.

Impetiginem quoque habet in corpore, quisquis auaritia vaſtatur in mente: quæ ſi in paruis non compeſcitur, nimirum ſine menſura dilatatur. Impetigo quippe ſine dolore corpus occupat, & abſq; occupati tædio excreſcens, membrorum decorem fœdat; quia & auaritia captiuam animam dum quaſi delectat, exulcerat; dum adipiſcenda quæq; cogitationi obijcit, ad inimicitias accendit; & dolorem in vulnere

nere non facit, quia æstuandi animo ex culpa abundantiam promittit. Sed decor membrorum perditur; quia aliarum quoq; virtutum per hanc pulchritudo deprauatur, & quasi totum corpus exasperat; quia per vniuersa vitia animum supplantat Paulo attestante qui ait: *Radix omnium malorum est cupiditas*

Ponderosus verò est, qui turpitudinem non exercet opere; sed tamen ab hac cogitatione continua sine moderamine grauatur in mente: qui nequaquam quidem vsq; ad opus nefarium rapitur sed eius animus voluptate luxuriæ sine vllo repugnationis obstaculo delectatur. Vitium quippe est ponderis cum humor viscerum ad virilia labitur, quæ profecto cum molestia dedecoris intumescunt. Ponderosus ergo est, qui totis cogitationibus ad lasciuiã defluens, pondus turpitudinis gestat in corde; & quamuis praua nõ exerceat opere, ab his tamen non euellitur in mente: nec ad vsum boni operis in aperto valet assurgere: quia grauat hunc in abditis pondus turpe. Quisquis ergo quilibet horum vitiorum subigitur, panes Domino offere prohibetur: ne profecto diluere aliena delicta non valeat is, quem adhuc propria deuastant.

Ideò auribus nostris sæpissimè insonare deberent Domini verba *Sancti estote quoniam ego Sanctus sum*. Hoc libri sacri; quos sæpe peruolutamus: hoc Templa, quæ quotidie ingredimur: hoc aræ, indumenta, & vasa sacra, quæ quotidie tractamus: hoc Sacrificia, quæ offerimus: hoc Sacramenta, quæ administramus: hoc denique omnes aliæ Ecclesiasticæ functiones, in quibus quotidie versamur, à nobis videntur exquirere, Imaginemur Deum similibus nos alloqui verbis.

Sancti estote. Quia ter Sanctus est Dominus Deus exercituum, cui militatis. Sanctus Pater omnis Sanctitatis principium sine principio. Sanctus Filius, qui Cæleste semen Sanctitatis in terras attulit. Sanctus Spiritus, cui & nomen Sanctitatis appropriatur, & opera Sanctitatis specialiter attribuuntur.

San-

Sancti estote. Quia in officio similes estis Angelis Dei, ideoq; debetis cum puritate assistere, & ministrare sicut illi.

Sancti estote. Quia vasa totius sanctitatis, Sanctissima videlicet Sacramenta vestræ sunt commissa dispensationi; è quibus tanquam è fontibus sanctitatis, sanctificationem vobis, alijsq; deriuetis.

Sancti estote. Quia vobis concreditæ sunt Animæ rationales pretiosissimo Christi sanguine redemptæ: quo etiam sanguine fideles aspergere debetis, & pretium pro eis solutum applicare; vt sint ipsi vobiscum genus electum, regale Sacerdotium, gens Sancta, populus acquisitionis.

Sancti deniq; estote. Tanquam Nazaræi, hoc est Sancti, segregati, coronati. Tanquam Leuitæ, hoc est assumpti & specialiter electi. Tanquam Clerici, hoc est de parte & hæreditate sancta Domini, ab illo in partem sortis Sanctorum in lumine vocati. Tanquã Ecclesiastici, hoc est de Congregatione sancta, vt filij primogeniti Sanctæ Matris Ecclesiæ. Dèniq; Sãctissimi estote veluti Mediatores inter Deũ & Homines constituti, Christiq; Sũmi Sacerdotis locumtenentes in terris, vt ipsius immarcescibilem coronam diuina semper opitulante gratia consequi mereamini in Cælis.

DISTINCTIO SECVNDA.

De Remotione illarum rerum quæ impediunt Bonitatem & Perfectionem in Ecclesiasticis.

Summa totius Distinctionis.

IMpedimenta Bonitatis in Ecclesiasticis sunt in duplici differentia. Quædam occurrere possunt in Ingressu ad statum Ecclesiasticum. Quædam in Progressu. In Ingressu seu in ascensu ad statum Ecclesiasticum potest considerari ipsa intentio suscipiendi talem statum, & executio siue modus

modus susceptionis: & in vtroq; potest aliquod occurrere vitium. Igitur qui vult esse Ecclesiasticus, & præsertim in tali statu Prælaturam obtinere. 1. Debet à se remouere Finem honoris temporalis, seu Ambitionem. 2. Finem congregandi opes & diuitias. 3. Finem delitiarum, & voluptatum corporis (& hæc tria respiciunt intentionem.) 4. Debet remouere à se Præsumptionem. 5. Simoniam. (hæc duo respiciunt modum ingressus in statum Ecclesiasticum) 6. Debet remouere Otiositatem. 7. Nimiam familiaritatem cum mulieribus. 8. Commessationes & Ebrietates. 9. Ludos & Venationes. 10. Lites, iurgia, & percussiones. 11. Negotia secularia, & Negotiationes. 12. Superbiam, eiusq; species. (Et reliqua hæc septem respiciunt progressum in ipso statu Ecclesiastico) Vnde prædicta impedimenta, quæ frequentius in Ecclesiasticis contingere possunt, sunt duodecim, de quibus singillatim per singula Capita pertractabimus.

CAPVT I.

De Remotione Finis suscipiendi statum Ecclesiasticum propter Honorem temporalem seu de remouenda Ambitione.

AMbitio *est honoris, vel dignitatis seu præeminentiæ immoderata cupiditas.* Ab hac sæpe nos deterret Sacra Scriptura, tanquam ab infelici grandium malorum origine. Nam & Christus Dominus suos acriter reprehendit discipulos, quando inter eos exorta fuit illa disceptatio, quis eorum videretur esse maior. Sic enim Math. 29. affatus ad ipsos; *Quicunq; voluerit inter vos maior fieri sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse erit vester seruus.* Idem reprehendit Pharisæos, quòd primos accubitus ambirent in Cænis, primas Cathedras in Synagogis, & ab hominibus vocari Rabbi. Quorum adhuc similes sunt nunnulli *inquit S. Gregorius initio Pastoralis.* [Qui intrà Sanctam Ecclesiam per spe-

ciem regiminis gloriam affectant honoris, videri doctores appetunt, transcẽdere cæteros concupiscunt, primas in conuentionibus quærunt cathedras, qui susceptum curæ pastoralis officiũ ministrare dignè tantò magis nequeunt, quantò ad huius humilitatis magisteriũ ex sola elatione peruenerunt.]

Haud dubium quin isti sint cæci oculos mentis mundano puluere, vel fumo infectos habentes; nõ videntes onus, quod assumunt; non considerantes iudicium durissimum fieri his, qui præsunt; non intelligentes in loco sublimi periculum in esse vertiginis & præcipitij. *Quamobrẽ recte S. Greg. Nazian lib. 3. de Sacer. scripsit.* [Nemo sapiens læto animo creatur Episcopus si quis pericula, & supplicia ei proposita cõsideret; atq; adeò stultus videri potest, ac reprehensione dignus, qui cum viam ingredi possit complanatam, & expeditam, sponte se in locum angustum, periculosumq; redegerit.] Quod *S. Chrysostomus Hom. 34. ad Hebr. latè prosequitur, inter cætera dicens.* [Miror si potest saluari aliquis Rectorum: post tantam enim comminationem, quam negligentiæ videmus illatam, video aliquos etiam concurrere, & præcipitare semetipsos in tantam molem, ac difficultatem regiminis] *Huc etiam spectat quod inquit Franciscus Petrarcha de remed. vtriusq; fort. lib. 1. dial. 170.* [O vertigo morum pessima, ad quod olim consueuerant, & deberent cogi homines, inde nunc retrahi non possunt.] *Hoc idem etiam Diuus Bernardus eleganter prosequitur in serm. Super verba. Ecce nos reliquimus omnia; qui ferè sic ait:* [Curritur ad Ecclesiasticas curas, tãquã fine curis iam quilq; victurus sit cum ad curas peruenerit. Et qui non dum has curas experti sunt, videntes alios, qui iam humeros submiserunt huic sarcinæ, non solùm non gemere tanquam sub onere; sed insuper appetere plus onerari; non deterrentur periculis, quæ cupiditate cæcati non vident. Quæ ista insania est? Vbi timor Dei? Vbi mortis memoria? Vbi gehennæ metus; & terribilis expectatio illa iudicij? Quò ascendis miser, vt ab altiori gradu

sit

fit casus grauior: neq; enim paulatim decides, sed tanquam fulgur in impetu vehemẽti quasi alter Sathanas subito deijcieris.] *Hæc Bernardus qui dignus est vt perlegatur loc. cit. per totũ.*

Sed si non deterrent ambitiosum Ecclesiasticæ dignitatis onus, cura, solicitudo, atq; pericula; deterreat saltem eum maxima cordis perturbatio, in quam tanquam in fretum cõtinuis vndis, procellisq; exæstuans ambitiosus voluntarie (hæu cæcitas) sese immergit. Nam *vt ait Innocentius tertius Papa de contemptu mundi lib. 2. cap. 26.* [Ambitiosus semper est pauidus, semper attentus de quid dicat, vel faciat, quod in oculis hominum valeat displicere. Humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur, & obsequitur, cunctos honorat, vniuersis inclinat, frequentat curias, visitat optimates, adsurgit & amplexatur, applaudit & adulatur, promptus & feruidus vbi placere cognouit, remissus & tepidus vbi putauerit displicere. Improbat mala: detestatur iniqua: alia cum alijs probat & improbat vt iudicetur idoneus, vt reputetur acceptus, vt laudetur ab hominibus, vt à singulis approbetur. Et ecce grauem intrà se sustinet pugnam, difficilemq; conflictum; dum iniquitas pulsat animum, & ambitio continet manum: & quod illa suggerit faciendum, hæc fieri non permittit: colludit tamen ad inuicem mater & filia, iniquitas & ambitio: nam mater in aperto subsistit, & filia in occulto non resistit: hæc enim vendicat sibi publicum, illa secretum.] *Et paulo post cap. sequenti ait:* [Si fortè hac ante non proficit, recurrit ad aliam, aduocat Simonem, & accedit ad Giezi, per hunc ab illo nititur emere quod per se non præualet obtinere: supplicat & promittit: offert & tribuit (proh pudor) gratiam, quam gratis adipisci nequit. Nec desistit adhuc, sed instat, & inuadit violenter honorem, & impudẽter arripit dignitatem amicorum suffragio, presidio propinquorum, tantoq; dominationis inflammatur ardore, tanta

libidine præſidendi, vt nec ſchiſma abhorreat, ſcandalum non formidet. Sed Giezi lepra percuſſit, & Simon perijt cum pecunia : Chore autem cum complicibus ignis abſumpſit : & Dathan & Abiron terra viuos abſorpſit. Nullus itaq; ſibi honorem aſſumat, niſi qui vocatur à Deo tanquam Aaron. *Hac Innocentius.*

Prædicta & ſimilia ſedulò perpendentes Sancti Dei Viri Eccleſiaſticas dignitates, honores, & præeminentias vel fugerunt trepidi, vel conſtantes reſpuerunt, vel ſuſceperunt inuiti.

S. Gregorius Magnus ad Pontificatum electus fugam iniit; ſed inter ſyluarum ſaltus, & cauernarum latibula fulgidæ columnæ indicio agnitus capitur, trahitur, & Pontifex creatur.

S. Gregorius Nazianzenus è patria diſceſſit ne ad Epiſcopalem gradum aſcendere cogeretur.

S. Ambroſius noctu receſſit ac ſe occultauit.

S. Auguſtinus, dum adhuc Laicus eſſet, ab eis tantùm Eccleſijs, quæ Paſtore vacabant, ſuam ſubtrahebat perſonam. Quitandem in Presbyteratus ordine conſtitutus cognita Epiſcopi ſui morte aufugit ab Vrbe vt ipſe fatetur. Verumtamen à populo reductus eſt renitens, & ordinatur Epiſcopus vim lachrymarum profundens eo quòd probè intelligeret quãta ſibi de gubernatione Eccleſiæ pericula impẽderẽt.

S. Ephrem Syrus cum intellexiſſet ſe ad Epiſcopatum electũ, tantiſper furorem ſimulauit donec alius electus eſſet.

S. Ammonius Eremita ad Epiſcopalem ducendus conſecrationem cum populum à tali propoſito verbis remouere non poſſet, auriculam ſibi dexteram amputauit, & cum adhuc non proficeret; imò magis inſtarent, linguam etiam ſibi reſciſſurum adiurauit ni ab incæpto deſiſterent, vnde tali pacto ſe à talibus moleſtijs liberauit.

S. Goar Presbyter incurabilem ſibi à Domino morbum impe-

impetrauit cum ad Treuirensem Episcopatum à Sigiberto Rege postularetur.

S. Bruno Ordinis Carthusiani institutor Romam euocatus ab Vrbano II. Pont. Max. quem diù ante coluerat, Archiepiscopatum Rhegiensem totius Calabriæ metropolim sponte oblatum recusauit, & solitudinem iteratò adijt.

S. Bernardus bis aut ter Episcopatum sibi vltrò oblatum respuit.

S. Thomas Aquinas Archiepiscopatum Neapolitanum noluit acceptare.

S. Bonauentura renituit vna vice quantum potuit; sed postea tandem iussu Pontificis coactus accepit.

Innumeri alij Sancti Viri se taliter gesserunt, quorum creberrima in Vitis Sanctorum apud Surium extãt exempla.

Is igitur, qui statum Ecclesiasticum assumere intendit; & multò magis is, qui ad dignitates & ad infulas promoueri desiderat, non ducatur à spiritu nequam in pinnaculum templi, id est præfigens sibi pro fine & scopo altitudinem honoris & dignitatis, ne æterno tandem præcipitio collisus intereat: sed ducatur à Spiritu Dei in desertum, id est in vitam semotam à seculi pompa, à vanitatibus mundi, à secularibus curis; & addictam solitudini, orationi, lectioni, carnis mortificationi, vt mereatur cum Christo in tali deserto Angelico perfrui famulatu.

Penset initiandus onus quod subit, sedeat in animæ interiori conclaui, & cõputet sumptus an habeat sufficientes ad turrim perfectionis in sublimitate montis, id est huius excelsi status inchoandam & perficiendam, ne postea quam posuerit fundamentum & non potuerit perficere omnes qui vidẽt incipiant illudere ei dicentes quia hic homo cæpit ædificare & non potuit consummare. Sumptuosa siquidem turris est cælibatum & Ecclesiastici ordinis perfectionem profiteri. Verbum grande est, quod non omnes possunt capere. Multis

satius

ſatius eſſet in humili ſtatu vitam ducere & ſaluari; quàm in ſublimitate Cleri deterius agere; ac diſtrictius iudicari.

CAPVT II.

De Remotione Finis aſſumendi ſtatum Eccleſiaſticum propter opes & diuitias; ſeu de remouenda cupiditate.

DIuus Paulus Apoſtolus ſcribēs ad Timotheum hortatur illum ad contemptum diuitiarum his verbis *Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia; nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium quod nec auferre quid poſſumus: habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Nam qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & in laqueum diaboli; & deſideria multa & inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide; & inſeruerunt ſe doloribus multis*. Non poterat Apoſtolus expreſſius damnare cupiditatem. Eſt autem cupiditas *inordinatus amor diuitiarum*. Porrò cupidi prohibentur ordinari. 1. Tim. 3. Reddit rationem Gratianus in decreto; Quia tales facilè à iuſto deuiant. Aliam rationem reddit *S. Gregorius*. [Quia *(inquit)* bonorum auctori inherere aliter non poſſumus niſi cupiditatem à nobis, quæ eſt radix omnium malorū, abſcindamus.] *Et Diuus Leo ait.* [Virum Catholicum, & præcipuè Domini Sacerdotem ſicut nullo errore, ſic nulla cupiditate implicari oportet. Mens enim potentiæ auida nec abſtinere nouit à vetitis; nec gaudere conceſſis; nec pietati adhibere conſenſum. *Et Diuus Ambroſius dicit.* [Mens auari vinculis cupiditatis adſtricta ſemper aurum, ſemper argentum videt, ſemper redditus computat; gratius aurum, quam ſolem intuetur; ipſa eius oratio ad Deum petit aurum.] Cum autem Eccleſiaſtici & maximè Sacerdotes debeant Deo inhærere, debeant à malis abſtinere, debeant habere mentem liberam

à ter-

à terrenis, hinc est quod non merentur assumi in statum Ecclesiasticum qui secus se habent, qui nil aliud intendunt, nil aliud cogitant, nil aliud quærunt, nil aliud somniant nisi aurum, pecunias, diuitias. Tales sunt omnes cupidi & auari. Vnde meritò prohibentur ordinari, & indigni habentur qui Ecclesiasticæ militiæ adscribantur.

O ignis inextinguibilis (*exclamat Innocentius Papa de contempl. mundi lib. 2. cap. 6.*) ô cupiditas insatiabilis. Quis vnquam cupidus primo fuit voto contentus? Cum adipiscitur quod optauerat, desiderat ampliora: semper in habendis, non in habitis, finem constituit. Insatiabilis est oculus cupidi, & in partem iniquitatis non satiabitur. Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias fructum nō capiet ex eis. Infernus & perditio nunquam replentur: similiter & oculi hominum insatiabiles. Sanguisugæ duæ sunt filiæ, quæ dicunt. Affer. Affer. nam

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit:

Vis ô cupide scire (dicit Innocentius) quare semper os vacuum? cur nunquam impleris? Aduerte: Non est plena mensura tua quātumcunq; contineat; adhuc capax est amplioris. Sed humanus animus capax est Dei: quoniam qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo. Quantùmlibet ergo contineat, nunquam est plenus, nisi Deum habeat, cuius semper est capax. Si vis ergo satiari, desinas esse cupidus; quia dum cupidus fueris, satiari non poteris. Non est enim conuentio lucis ad tenebras; neq; Christi ad Belial; quia nemo potest Deo seruire & mammonæ.

Quàm multos seduxit cupiditas? Quot malorum fuit origo? Quot homines in ruinā & perditionem tùm Animæ tùm Corporis adduxit?

Cupiditate seductus Acham de anathemate Iericho sumpsit. Sed pro illo lucro damnum terribile reportauit; quia à populo lapidibus obrutus fuit

Pro

Pro pecunia à Philistæis promissa Dalida Sampsonem Virum suum eis tradidit.

Vinea Naboth, quam concupiuit Achab, fuit causa vel occasio, quare duo falsi testes fuerint contrà eum producti, & ille iussus est lapidari.

Giezi ea, quæ ne ante quidem possederat, volens acquirere; non modò gratiam prophetiæ non meruit possidere, quam per successionem velut hæreditariam à suo habuit magistro suscipere: verùm etiam è contrariò æterna lepra S. Elisæi maledictione perfunditur.

Cupiditas, & lucrandi libido præcipuum videtur esse motiuum, cur Iudas prodiderit Dominum; dicebat enim. Quid vultis mihi dare & ego vobis eum tradam.

Pecunia corrupti fuerunt Dominici sepulchri custodes vt mentirentur Christum Dominum à discipulis suis noctu furtiuè fuisse sublatum.

Ananias & Sapphiras reseruantes partem quamdam ex his, quæ possederant, Apostolico ore morte mulctantur.

Iudæi quæstuarij quòd per Paulum lucrum suum amitterent, eum accusarunt quòd Ciuitatem turbaret.

Si igitur cupiditas est radix omnium malorum. Si illa dominante mens ad terrena deprimitur, nec potest Deo inhærere. Si animum insatiabilem reddit; semperq́, inquietum tenet. Si homines ad ruinam adducit. Quid est quod aliquis hac duce ad statum Ecclesiasticum adspiret? An fortè vult incidere in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ ipsum mergant in interitum & perditionem? Caueat ergò is, qui militiæ Clericali adscribi intendit; & multò magis initiandus Sacerdotio, aut promouendus ad dignitatem aliquam Ecclesiasticā seu ad animarum regimen, ne hac se peste infici sinat; non enim aliū finem sibi in Sacerdotio assumendo præstituere debet, nisi vt diuino se reddat obsequio strictius ac perfectius mancipatum.

CA-

CAPVT III.

De Remotione Finis assumendi statum Ecclesiasticum propter Corporis voluptates; seu de remouenda Carnis concupiscentia.

TRia maximè solent Homines affectare, nimirum Opes, Voluptates, Honores. De Opibus praua. De Voluptatibus turpia. De Honoribus vana procedũt. Hinc Diuus Ioannes Apostolus ait: *Nolite diligere mundum, neq; ea quæ sunt in mũndo, quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & superbia vitæ.* Concupiscentia Carnis ad voluptates; concupiscentia oculorum ad opes; superbia vitæ pertinet ad honores. Ex Sacerdotio multi arripiunt occasionem vel aucupandi honores; vel congregandi diuitias; vel tradendi se voluptatibus: cum tamen contrarium omnino esse deberet: Est enim Sacerdos minister Christi: de suis autem ministris Dominus dicit: Io. 12. *Si quis mihi ministrat me sequatur:* Quid est autem sequi Christum, nisi imitari Christum? sic explicant Patres præsertim S. Augustinus. Cum igitur Christus Dominus toto vitæ suæ tempore, quo degit in terris, declinauerit à mundanis honoribus, amplexatus sit paupertatem, & abiecerit omnes corporis voluptates vt consideranti ex Euangelio eius vitam innotescere potest: Certè hoc debent intendere Ecclesiastici (si velint esse veri Sacerdotes, & veri Christi ministri) scilicet Humilitatem, Paupertatem, Carnis macerationem: non autem Honores, Opes, Corporis voluptates. Honores enim nutriunt superbiam: Opes generant cupiditatem, & auaritiam: Voluptates adducunt Gulam & luxuriam: Quamobrem cum *capite. 1. huius distinctionis* tractauerimus de remotione Finis suscipiendi Ordines Ecclesiasticos propter Honores, Et *capite. 2.* de remotione Finis propter Opes, restat vt hoc loco agamus de remotione Finis assumendi

ſumendi ſtatum Eccleſiaſticum propter Corporis voluptates & commoda. Quod ſanè ſufficienter præſtiterimus ſi mala, quæ ex Corporis voluptatibus proueniunt breuiter ob oculos legentium poſuerimus. Sunt autem in duplici genere. Quædam afficiunt Perſonam propriam illius, qui eſt voluptatibus deditus. Quædam redundant in alios.

Primum Genus eſt malorum, quæ afficiunt Perſonam propriam eius qui eſt voluptatibus addictus, Quandoquidem voluptates corporis perdunt ipſam Animam, ipſum Corpus, ipſa bona temporalia. Ad euidentiam ſuppono iſtas voluptates conſiſtere in delectationibus ciborum, & venereorum. Hoc ſuppoſito.

Quis eſt qui neſciat has voluptates Animam perdere? inducunt enim cæcitatem mentis, & hebetudinem ſenſus. *Diuus Thomas* 2. 2. *q.* 15. *a.* 3. querit vtrùm cæcitas mentis & hebetudo ſenſus oriantur ex peccatis carnalibus? Reſpondetq; affirmatiue. Ratio ipſius eſt, quia perfectio intellectualis operationis in homine conſiſtit in quadam abſtractione à ſenſibilium phantaſmatibus: Et ideò quantò Intellectus Hominis magis fuerit liber ab huiusmodi phantaſmatibus tantò potius conſiderare poterit intelligibilia & ordinare omnia ſenſibilia. Manifeſtum eſt autem quod delectatio applicat intentionem ad ea, in quibus aliquis delectatur. Vnde Philoſophus *Eth.* 10. dicit: *Quod vnusquisq; ea, in quibus delectatur, optimè operatur; Contraria verò nequaquam vel debiliter.* Inter omnes autem delectationes corporales vehementiſſimæ ſunt delectationes tactus; ciborum ſcilicet & venereorum: Et ideò per iſtas delectationes & voluptates intentio hominis maximè applicatur ad corporalia, & per cõſequens debilitatur operatio hominis circa intelligibilia. *Ita Diuus Thomas.* Hinc eſt quod huiusmodi perſonæ non ſunt aptæ meditationi, orationi, & contemplationi; quia mẽtem habent obuolutam phantaſmatibus rerum, quibus dele-

ctan-

ctantur, & cor illarum affectionibus inquinatum. Vnde de istis Apostolus 1. *Cor.* 2. proloquitur. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.* Hinc etiam est, quod isti non delectantur familiaritate & consortio Dei; cum tamen Deus ipse semper & vbique sit paratus conuersari cum illis, inquit enim. *Prou.* 8. *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum*: Cur autem non delectentur familiaritate diuina est; quia quilibet conuersatur & delectatur suo simili. *Omne enim animal diligit simile sibi.* Isti autē multùm sunt Deo dissimiles; Deus enim Spiritus est puriſſimus; isti verò non nisi carnē sapiunt: Vnde fit vt lubentius & promptius conuersentur cum suis similibus; & delectabilius carnalia tractent quàm spiritualia: facti nimirum abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.

Sed non minus voluptates Corporis officiunt ipsi Corpori: Nam ferè omnes morbi ex nimia huiusmodi voluptatum indulgentia proueniunt, id est ex nimio cibo, potu, & venere. Hinc illud tritum proloquium. *Plures gula, quam gladius occidit.* Et Sapiens *Eccles.* 37. ait. *Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam; in multis enim escis erit infirmitas; & propter crapulam vini multi perierunt.* Vnde Apostolus 1. *Cor.* 6. ait: *Esca ventri & venter escis: Deus autem & hunc & has destruet.*

De iactura autem temporalium bonorum per voluptates effecta quid dicam? nonne ad satis faciendum gulæ exhauriuntur ærariа? [Initium vitæ hominis (inquit Innocentius Papa) aqua, & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem: Nunc autem gulosis non sufficiunt fructus arborum, non genera leguminum, non radices herbarum, non pisces maris, non bestiæ terræ, non aues Cæli: sed quæruntur pigmenta, comparantur aromata, & nutriuntur altilia, quæ studiosè coquuntur arte coquorum, & lautè parantur officio ministrorum: ad irritandam tamen gulam, non ad sustentandam naturam: ad auiditatem explendam, non ad necessita-

tem ſupplendam. Contemnitur mediocritas, ſuperfluitas affectatur in diuerſitate ſaporum, in varietate ciborum. Auiditas neſcit modum; & varietas excedit menſuram: ſed mens grauatur, ſtomachus turbatur, & ſenſus opprimitur in illis.]

Secundum genus eſt malorum, quæ redundant in alios; atque (vt omittam cætera) nonne ex voluptate omnes fermè hæreſes initium habuerunt? Certè antiquas hæreſes occaſione mulierum fuiſſe exortas *teſtis eſt Diuus Hieronymus Epiſtola ad Cteſiphontem ſic inquiens:* [Simon magus hæreſim condidit Helenæ meretricis adiutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor choros duxit femineos. Marcion Romam præmiſit mulierem quamdam, quæ decipiendos animos præpararet. Montanus immundi Spiritus prædicator multas Eccleſias per Priſcam & Maximillam primùm auro corrupit, deinde hæreſi polluit. Arius vt orbem deciperet, ſororẽ Principis ante decepit. Donatus per Africam vt infælices quoſq; fætentibus pollueret aquis, Luciliæ opibus eſt adiutus. In Hiſpania Agape Elpidium mulier cæca cæcum duxit in foueam, ſucceſſoremq; ſui Priſcillianum habuit.] *Hæc Hieronymus.*

De modernis autem hæreſibus quis non fatebitur idem? Nonne luce clarius apparebit cuilibet hiſtorias noſtrorum temporum reuoluenti ex impuris voluptatibus illas tùm habuiſſe initium, tùm incrementa ſumpſiſſe? Nonne infelix ille Martinus Lutherus ſummus modernarum hæreſum adinuentor Monacatum depoſuit, Sacerdotium deleuit, & Monialem quamdam Catharinam de Boue nuncupatam poſt multa cum ipſa ſacrilegia patrata tandem Vitembergæ in vxorem adduxit Anno 1525. & ad id etiam faciendum multos alios Sacerdotes tàm ſeculares quàm regulares præcipuè Bucerum, Æcolampadium, Caroſtaldium, Zuinglium, Bretium, Caluinum, Bezam ſacrilegè induxit? Ita Ioannes Cochlæus in vita Lutheri. Nonne ſchiſma Anglicum eodem

mo-

modo exortum est? Cum enim Rèx Angliæ Henricus octauus Annam quamdam Bolenam deperiret, repudiare Catharinam legitimam Coniugem determinauit. Verùm cum Pontificis consensum non posset ad hoc impetrare, mutauit religionem, seq; caput Anglicanæ Ecclesiæ impudenter nominauit, atq; Annam sibi copulauit; quæ ipsius Henrici filia ex adulterio fuisse putatur. Ita ōnes Historici prę sertim qui de rebus Anglicis scripsere. En tibi carnaliū fructus voluptatū.

Si igitur corporis voluptates, & commoda mentem obcæcant, corpus eneruant, opes exhauriunt, hæreses pariunt, plurimaq; alia mala producunt, quis tàm insanæ mētis inuenietur vt in susc ipiendis Ecclesiasticis dignitatibus hunc sibi tàm brutalem finem præstituat? Memor sit verborum Christi Domini *Math.* 16. dicentis: *Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat Crucem suam & sequatur me.* Item Matth. 7. *Arcta est via quæ ducit ad vitam.* Item Ioan. 12. *Qui amat animam suam perdet eam.* Et similium, in quibus voluptas damnatur, & vitæ austeritas ac mortificatio commendatur.

CAPVT IV.

De Remotione Præsumptionis in susc ipiendis Ecclesiasticis muneribus ac Dignitatibus.

VIdimus hucusq; quemadmodum qui intendit assumere statum Ecclesiasticum, remouere debet à se fines prauos honorum, opum, & voluptatum. Nunc autem videndum est qualiter debeat à se remouere Præsumptionem. Sed ne laboremus in æquiuoco noto ex *D. Thom.* 2. 2. *q.* 21. duplicem esse præsumptionem. Vnam, quæ innititur inordinatè propriæ virtuti, attentās scilicet aliquid vt sibi possibile, quod tamen propriam virtutem excedit. Alteram, quæ innititur inordinatè Diuinæ Misericordiæ, vel Potentiæ, per quam sperat se obtinere gloriam sine meritis, vel

ve-

veniam ſine pœnitentia. Cum enim præſumptio importet quamdam immoderationem ſpei; & ſpei obiectum ſit bonũ arduum poſſibile; dupliciter aliquid poteſt eſſe homini poſſibile. Vno modo per propriam virtutem. Alio modo non niſi per virtutem Diuinam. Quando igitur immoderantia ſpei eſt circa obiectum arduum poſſibile per propriam virtutem, dicitur Præſumptio, quæ exceſſiuè innitur propriæ virtuti, & opponitur Magnanimitati, quæ medium tenet in huiuſmodi ſpe. Quando autem immoderantia ſpei eſt circa obiectum arduum poſſibile ſolùm per virtutem Diuinam, dicitur Præſumptio, quæ eſt ſpecies peccati in Spiritum Sanctum; quia ſcilicet per huiuſmodi Præſumptionem tollitur vel contemnitur adiutorium Spiritus Sancti, per quod Homo reuocatur à peccato.

Igitur hoc loco accipimus nos Preſumptionem non ſecũdo modo quatenus eſt peccatum in Spiritum Sanctum: ſed primo modo quatenus dicit immoderantiam; qua quis corde elato attentat aliquid temerè, vel ſuprà proprias vires. Poteſt itaq; interuenire Præſumptio in Eccleſiaſtica aliqua dignitate, aut munere, aut ordine ſuſcipiendo, ſi ſuſcepturus Vel exiſtimet ſe habere maiorẽ virtutem, vel ſcientiam, quàm reuera habeat; ac proinde ſe eſſe dignum tali ordine, aut munere, aut dignitate: Vel exiſtimet ſe eſſe magnum propter diuitias; aut propter aliqua alia bona fortunæ; & propter illa ſe eſſe dignum Sacerdotio, Prælatura, aut alio Eccleſiaſtico officio: Vel ſi Sacerdotium & Prelaturam non tanti æſtimet, quanti æſtimanda ſunt. Quocunq; modo contingat, eſt Præſumptio, & eſt vitioſa & peccaminoſa quaſi contrà ordinem naturalem quòd aliquis aſſumat ad agendum, quæ ſunt ſuprà ſuam virtutem, cum omnis actio commenſuretur virtuti agentis. Ita D. Thomas 2. 2. q. 21.

Cæterum ſigna Præſumptionis, ac præſumptuoſorum genium atq; ingenium pulchrè deſcribit *S. Bernardus tract. de*

12.

12. *grad. humil. dum ait*: [Præsumptuosus primus in conuentibus residet, in consilijs primus respondet; non vocatus accedit, non missus se intromittit, reordinat ordinata, reficit facta: quicquid ipse non fecit, aut ordinauit, nec pulchrè æstimat ordinatum: iudicat iudicantes, præiudicat iudicaturos. Quòd si ad id, quod sperat, non promoueatur, eos qui promouere poterant, iudicat inuidos aut deceptos. *Hæc Bernardus*.

Caueant igitur omnes, sed præsertim Ecclesiastici hanc cordis humani pestem, de qua dicitur in Eccles. 37. *O præsumptio nequissima vnde creata es*: vbi respondet Glosa interlinearis. *de mala scilicet voluntate creaturæ*. Propter hanc Præsumptionem multi volentes nimium sapere, & alta penetrare, neq; humilibus consentire, à fide etiam naufragium fecerũt; dum infeliciter quasi pelagi fluctibus ingenium suum commiserũt. Testatur id *B. Augustinus epist. 1. ad Macedon. sic inquiẽs*. [Non ego meo ingenio vel merito; sed eius dono sum id, quod laudabile sum. Nam quædam acutissima, & excellentissima ingenia tantò peius errauerunt, quantò confidentius tanquam suis viribus cucurrerunt; nec suppliciter ac veraciter Deum, vt sibi viam ostenderet, rogauerunt.]

Hi præsumptuosi rectè comparantur Icaro, qui præsumpsit in sublime volare & Soli nimium appropinquare, Vnde ad Solis calorem pennis eius defluentibus cecidit, & submersus est. Vnde Poeta.

Dum petit infirmis nimium sublimia pennis
Icarus Icarias nomine fecit aquas.

Comparantur etiam Phaetonti, qui importunus fuit Patri ad regendum Solarem currum. Cui Pater.

Magna petis Phaeton, & quæ nec viribus istis
conueniunt.

Extorsit tandem, sed orbi ac sibi incendium imperitus suscitauit in vltionem præsumptionis.

Quàm

Quàm multi his similes sunt, qui volare contenduntad ea quæ vires superant solis vecti præsumptionis alis: sed sæpe leuantes se suprà se confusionem sibi pariunt ac perniciẽ. Quantò satius illis foret cum Propheta *Psal.* 130. dicere: *Domine non est exaltatum cor meum neq; elati sunt oculi mei; neq; ambulavi in magnis neq; in mirabilibus super me. Si non humiliter sentiebam sed exaltavi animam meam; sicut ablactatus est super matre sua ita retributio in anima mea.* Certè Deus ab his, qui præsumunt de se, nimiumq; fiduntviribus suis, frequenter auxilium subtrahit gratiæ, & permittit vt labantur, atq; vt sic labentes agnoscant se ipsos. Non enim nisi ex ignorantia sui ipsius præsumptio & superbia vitæ oriuntur. Ideò, quia Petrus nimis de se, & de viribus suis præsumpserat Domino adhuc monente, tandem permissus est grauiter cadere: Et dum infirmitatem agnouit suam, lacrymis illam diluens iterum erectus est, didicitq; non vltrà præsumere. Similiter Dauid quodam loco sic Dominum alloquitur præsumptionem suam quomadmodo manifestans *Ego dixi in abundantia mea non movebor in æternum.* At postea præsumptionis sue agnoscens vlcionem subdit. *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus* Nemo ergò sibi fidat, nemo ergò præsumat.

Sed dicet aliquis. Nonne Apostolus 1. *Timot.* 3. ait. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Ergo laudabile est desiderare Episcopatum, & quamcunq; Prælaturam, aut dignitatem; aut Ecclesiasticum officium: quia licitum & laudabile est bonum opus desiderare.

Respondeo cum *D. Thom* 2.2.q.185.a.1. In Episcopatu tria possunt considerari. 1. Episcopalis operatio, per quam vtilitati proximorum intenditur iuxta illud Ioan. vlt. *Pasce oues meas.* 2. altitudo gradus, quatenus Episcopus super alios constituitur iuxtà illud Mat. 21. *Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* 3. est quod consequenter se habet ad ista, scilicet reuerentia, & honor, sufficientia tem-

ſpiritalis inſtituſ ad Thimotheū cap. 5. *Qui bene præſunt Presbyteris, duplici honore digni habeantur*. Appetere ergo Epiſcopatum propter honorem, & dominationem, propter bona temporalia ad Epiſcopatum pertinentia aliter quàm ſecundum *Apoſtolum*, propter vitiloſum proximorum eſt *Pyramus & Canon*. Verùm quia ipſe Epiſcopatus optandus, per quem vitiatis proximum intendatur, habet intrinſecè annexam gradus ſublimitatem, ſemper præſumptuoſum videtur appetere præeſſe ad hoc vitaliter profectibilem manifeſtè neceſſitate imminente, dicit Greg. dicit in Paſtorali, quod nec laudabile erat Epiſcopatum quærere, quando per hunc non erat diuinum operandum ad ſuperiora gradum pertendit. Vnde ſenſus talis inuenietur qui hoc omnibus ſimuſet. Poteſt tamen abſq; præſumptione quilibet appetere talia opera facere, & eum contingere in talis officio, vel etiam appetere & eſſe dignum ad talia operanda, ita quod opus bonum ſit, ad quod ſubditi, non autem primatus dignitatis. Et ita patet ſolutio ad illam auctoritatem Sancti Pauli, ibi enim deſiderium eſt ſub ſpe opus. Vnde Chryſoſtomus dicit: [Opus quidem deſiderare bonum, beatum eſt: primatum autem bonum inconſequenter vanum eſt. Primatus enim ſine ignominia de deſiderat, deſiderantem ſe odit.] *Ita D. Thomas loc. citato 2.*

CAPVT V.

De Remotione Simoniæ in augumento Officij, Ordinibus & Dignitatibus Eccleſiaſticis.

SImonia, *eſt ſtudioſa voluntas, ſeu vitioſus deſiderij appetitus, circa ſpirituale, vel ſpiritui annexum*, ita Dius Thomas 2. 2. q. 100. Eſt autem peccatum ex genere ſuo. Ratio, quia tunc actus aliquis eſt malus ex genere ſuo, quando obiectum materiale indebitum eſt, vel ſpirituale, vel materiale, ad ſpi-

indebita emptionis & vendicionis: Tum quia res spiritua-
lis non potest aliquo terreno pretio compensari sicut de Sa-
cramentis dicitur Propter 1. *Prouidete vt nullus ordines.* Tum quia
venditor rei spiritualis non est dominus illius spiritualis,
eſt dispensator, non autem dominus rerum spiritualium, ſi-
cuta dicit 1. *Cor. 4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Tum denique quia venditor non
potest rem spiritualem vt talem, quæ ex gratuita volun-
tate Dei prouenit, iuxta illud Matth. 10. *Gratis accepistis,*
gratis date. Quapropter aliquis tenendo vel exercendo rem
ſpiritualem, in cuiuſcunque exhibet Deo & rebus diuinis pro-
prie quod pertinent ſeruitio ſimoniam.

Notoautem ex Armilla verbo *Simonia* quod ad hoc ſpe-
ctat tam mortale Simonia oppetet quod de *Pœnitentia Eccleſiæ*
in. 6. eſt deliberata ſola enim deliberatione poteſt comme-
ti quamuis actus exterior non ſequatur: Verum hæc Simo-
nia interior ab Eccleſia non punitur, quæ de occultis non ar-
bitrat. Noto 2. per illa verba *remanda vel tenendo* intelligi
omnem contradictum non gratuitum. Noto 3. quod dici-
tur plicitier nempe vel ſiſtentaliter, huiuſmodi ſunt gratia,
virtutes, & dona gratuita: Vel ſacramentaliter, vt ſunt Sacramen-
ta vel Eccleſiaſtica vel tunt functiones prædictarum Eccleſia-
ſticarum. Duplicitter etiam poteſt aliquid dici eſſe *annexum*
Spirituali Eccleſiaſtici, vel quatenus dependet ex Spirituali-
bus vt ex parte ſua, vel quatenus ad Spiritualem ordinatum,
vt ius patronatus, quod tamen ad præſentandum Clericos ad
beneficia Ecclæſiaſtica, ſimiliter vocis facta, veſtis ſubdiaconalis, qua or-
dinantur ad vſum Sacramentorū. Noto 4. nomine *pecuniæ* in-
telligitur non ſolū pecunia, ſed omne quod pecunia æſtimari
poteſt, vt munera, præces, laudatio, & huiuſmodi. Ex his patet.

Cum igitur Officia, Beneficia, Ordines, & Dignitates Ec-
cleſiaſticæ ſint res Spirituales modo aliquo ex ſuperdi-
ctis; Quis non videt poſſe in illis dando vel accipiendo

communi Simoniam ſi ex parte datoris vel recipientis interueniat pecunia, vel quicquid pecunia æſtimari potest: hinc *Concilium Trident. ſeſſ. 22. de Reform. cap. 3. grauiter interdixit ne pro ordinum collatione quicquam accipiatur. Die impune.* [Quoniam ab Eccleſiaſticis ordinis omnis auaritiæ ſpecies longiſſime abeſſe, nihil pro collatione quorumcunque ordinum etiam Clericis tonſuræ, nec pro litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro Sigillo, nec alio quocunque etiam exiſtimatum ſpecioſe obtentu, Epiſcopo, & alijs ordinem Collatoribus, aut eorum miniſtris quouis prætextu accipiendum. Notarij vero in ijs tantum locis, in quibus non extat laudabilis consuetudo eis ſtipendia ex his pro ſuguliis litteris dimiſſoriis aut teſtimonialibus decernam tantum veniæ auxeri patrem accepto poſſint, ſtatuimus & ea nullum ſalarium ſit conſtitutum pro officio exercendo ex Epiſcopo ex Notarij commodis aliquod emolumentum ex ijſdem ordinum collationibus diſcredit vel indirecte percipere poſſimus: non enim gratis operam eam eos præſtare omnino tenere decernimus: contrariasi tamen ac ſtatura, & conſuetudines eis immemorabiles quor ſcilicet locorum, quæ poſſint, abuſus & corruptela Simoniæ præmiſſis tantum nuncupari poſſunt, penitus caſſando & interdicendo, & quis eos locorum ſtatuta quam quis acciperet vltra diuinum laborem prænatis ſine dubitatis ipſo labore indurrat. *Ita Trident. loco cap. Rur 3.4.* Quæ per pecuniæ quempiam conſeruarere, vel ab alio conſeruata eſt, allocatio à Sacerdote fit. *Extat. Superiorum ibidem Collatæ. Pag. 3. decretum.* Sacerdotum Patrum exempla requeſtes, & officij noſtri debito innouantes ordinationi quemquam per pecuniam in Eccleſia Dei vel promoueri aut locare Sacra Apoſtolicæ modis omnibus prohibemus. Siquit verò in Eccleſia ordinationem, vel promotionē laiter ſuſcipienti, acquiſita proprietate ſtatuimus. *Et Conc. Calcedon. relatum in Can. 2. quæſt. 1. 3. 4. & 5. diſtinct.* [Si quis Epiſcopus per pecuniam

ordinationem fecerit, & sub pœna redigendi gradum, quem vendi non potest, ordinantem, per pecuniam à Simoniaco Choropiscopum, Presbyterum, aut Diaconum, vel non-Clericum de his, quæ ordinationem concernunt, sicut per superiora satis commodè is, qui hoc attentat de probatur facere, propterea grauior prælatio subiacebit, si per ordinatus ordinabitur, hæc ordinationis series promouendo, quasi per superstitionem facta, prohibita esse debet, & alienata à dignitate vel honestudine, quam præsumpsit acquirere. Si quis verò mediator fuit inter prædictos ordinantem, vel ordinandum existit, sicut ipse, qui quidem Clericus fuerit propriò gradu deiciendus. Si verò Laicus aut Monachus anathematizetur.

Sed de his omnibus hæc pellitum grauiter fit damnatio, facrorum promotio sanctum ambitionem non habet, ut ea, quæ sacrilegè fuere petita, sacrilegè non fuerint vitanda. Et quamuis ipsum nomen malè sonet, & grauius audientes retrahat ipsa plane res, multique, pallio circum vestita, deprehendunt. Facet dixit quidam ad hanc rem Ecclesiæ Marchianus in tuba Sacrecordiali lect. 8.) Demoni olim duas bullæ nubiles fuas, quarum altera Rectitudinis, Mercantibus dabatur in matrimonium olocatæ, altera verò prostituere ipse peropsabat. Sed turpes erant facie, & turpes nomine, idcò deferebantur. Via quidem Simoniæ. Altera vocabatur Vitæ. Id adueniet ille, quem ad Ecclesiasticum munerat eis, immutauit de nomen. Vni nomen dedit, enomine Mercis nomen dedit Incertæ feu Damnationis gratiæ. Sic, fub nomine ideo, de cohæt multos peccos fecerunt, multos ipsa decerunt, quæ fub nomine Vitæ, & Simoniæ prius displicebant. Sed reuelabit tandem Dominus (qui eorum in terrorem omnium latet & Vindex iuftus existit) reuelabit, inquam, omne velum, omne pallium, omne personæ dilorum Ade ita ordinedi nuditatem, & ignominiam fibi Simoniacæ, per quam id ordines, ad

Digitized by Google

ad eos dicit, ad Dignitates, ad honores, ad honorem, ad locum, excelsa ambitiosi, cupidi, pertinaces non sine salutis proprie periculo ascendunt. Et ideo simoniaca heresis.

Verum si quis Simoniacum personarum non respuit propter favorem Canonum, Sanctorum, sanctionum, prohibitionum: esto fidei peccatum ex abrupto propter exemplum, nec is ipse se fidei sub exemplum stat a lorum. Gieseb ferius Illius fuit Simoniacus, quando quidem veteres & argentum à Nathan Syro pro gratia & dono Spiritus Sancti imperitia receperat, sed tamen Iuliz quia in templum cum semine suo facto ex Iesu reprobo quasi nix. Idem impiissimus summus Sacerdotum omnibus Antichristo Papis Romanis Regis: Ita hanc caudam Dei exlues, & facticia plane contempta fuerunt, & ad gentium circumstantes. Iudas proditor vel ob Christum Dominum Dei Filium Simoniacum fuit, & ob id lequere te Deipsum ita, medius crepuit, & diffusa sunt omnia viscera eius. Simon ille magus Simoniacus in nimmo omnium Simoniacorum eminentissimus & quasi caput totius Spiritus Sancti peccato comparari volute & propterea Petrus dixit illi: *Pecunia tua cum in perditionem.*

Anchoritis quo ipsi dam Cognitor Dauratus in Plor. exempl. sect. 3. fol. 109. ex Ber.) accultare de crimine Simoniæ in quodam Concilio Lugduni habito: hic frequenti notæ fuga fuere accusationes peccatorum turpium & abominabilium. Mentem fatio redicere ad Synodum, audaciter dixit: *Vbi hunc quæso tam vilipensum & publicum peccatum, nec tantum damnatum?* Tunc ehmet testimonium cunctis Prælatis Concilij erat Hildebrandus qui postea fuit Gregorius 7. Ianquam vir discretus & sapiens conturens sed id illum ait. *Credimus, dicit Scriptura, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum esse Deum, & Spiritum Sanctum esse Deum?* Quo respondente *Credo.* Addidit Prælat die Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto. Tunc ille Gloria Patri & Filio & Spiritui dicebat: sed Spiritum Sanctum nullatenus pro-

profetere poterant. Quem cum frequenter inclinarit, & tibi proficeret videns Ioannes Diuinitatis, non tamen ausus fuit proficisci ad pedes Pretidis, & confessus est propriis ore Simoniacum esse. Poliquam verò à Sacerdotali & Episcopali officio est depositus Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto clara voce cantauit.

Tempore Henrici Imperatoris impij, qui dignitates Spirituales vendebat, Hermannus quidam Episcopatum Suessionam assumpsit ad Ecclesiam Argentinensem bono peruentus voluens obsequium præstare Imperatori horabatur, & exhortabat milites ad destruendum episcopale Monasterium vti iuscrat Imperator: & reluctantibus militibus tam immanes regebat parere iniunctis Episcopus dixit: *Ego vos, milites fortissimi, in hoc destruendum Monasterium conduxi pro certa pecunia, verumtamen si tantus non fuerit, meus erit labor Martialis.* His dictis loricam induit, qua indutus equum plen us minarum sicendit, fubitoq; clamans hoc habiter cecidit, & fubitanea præoccupatus morte cunctis videntibus expiranit. *ex Ioan. Iuuenal.*

CAPVT VI.

De Remotione seu post assumptum statum Ecclesiasticum.

VIdimus hactenus de remotione eorum, qua impedit perfectionem Ecclesiasticorum in ingressu seu in accessu ad statum vel ad dignitates Ecclesiasticas, nunc videndum restat de remotione eorum, qua impedimur ipsam perfectionem in ipso progressu, seu postquam aliquis iam rectus est Ecclesiasticus, vel iam assumptus est ad ordines, vel ad dignitates. Inter quæ primo loco nobis agendum occurrit de Otio. Sed ne in aquioco verſemur, scindum est otium duplicitor accipi, scilicet tum bene, tum male. Accipitur autem bene figuratim quoties, & quatenus tantum animi, vnde lapæ inuentur apud Patres Spirituales otium

otium contemplationis: Et hoc vocatur otium laudabile. Quando autem accipitur malè significat pigritiam, ignauiã, desidiam, negligentiam: Et hoc vocatur otium iners, seu melius otiositas. Hoc igitur loco accipitur otiũ in malã partem scilicet pro prigritia, ignauia, & otiositate. Quo præmisso.

Incredibile dictu est quàm frequenter, & quàm grauiter scriptura Diuina inuehatur in otiositatem, pigritiam, & inertiam. Et meritò quidem, quia quemadmodum labor, studium, ac diligentia omnibus in rebus plurimùm prodest; imò ab hoc veluti fonte omnes artes & disciplinæ prodierunt: ita è contrà pigritia, inertia, & otiositas omnium iacturarum & malorum est altrix. Hinc Sapientissimus Salomon in illo paruulo sed diuino Prouerbiorum libello sæpissimè laborem & diligentiam commendat; & prigritiam atq; inertiam detestatur: & præsertim cap. 6. vbi sic ait: *Vade ad formicam, ò piger, & considera vias eius, & disce sapientiam; quæ cum non habeat ducem nec præceptorem, parat sibi cibum in æstate, & congregat in messe quod comedat.* Magnam emphasim habent prædicta verba: quasi dicat. Cũ formica non habeat cuius exemplum sequatur; sicut nos Christi Domini, & tot Sanctorum eius habemus: nec cuius præceptis obtẽperet; sicut nos Ecclesiæ, & Præpositorum eius: attamen parat in æstate & congregat in messe, quod comedat in hyeme. Nos verò in præsenti vita non prospicimus futuro tempori cum nancisci possimus tot occasiones & opportunitates bonorum operum, & prouisionis copiosæ pro tempore illo indigentiæ; sed & vide sapientiam formicæ, atq; industriam, & quomodo ad virtutem omnigenam nos informat. Inprimis formica est animal paruum, in quo laudatur Humilitas: grano puro pascitur, in quo cõmendatur Honestas: socios laborantes adiuuat; in quo insinuatur Charitas: Sollicita semper cursitat in quo monstratur Industria: prouida est de futuro, in quo ostenditur Prudentia: grana collecta detruncat ne in terra germinent vel putre-

putrescant, in quo significatur nostra mortificatio: tempore sereno granum soli exponit, in quo docet nos tùm laudare Deum de bonis suis; tùm ad Dei gloriã bona nostra deprom ere: pondus portat maius quàm ipsa sit, in quo monstrat zelũ cõpassionis: deniq; vias facit in silice, in quo docet nos per vias duras ambulare iuxtà illud Ps. 16. *Propter verba labiorũ tuorũ ego custodiui vias duras.* Vade vade ergò ô homo piger ad formicam, & considera vias eius, & disce sapientiam. Non solùm Regina Austriæ, aut Niniuitæ, sed & formica consurget in iudicio; & nos pigros, otiosos, desides, vacuos, inanes ac steriles bonorum operum condemnabit.

Sed audiamus rursum sapientem quomodo exclamat. Prou. 6. *Vsquequò piger dormis? quando consurges de somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis & veniet tibi pauperies, quasi vir armatus.* Et iterum Prou. 10. *egestatem operata est manus remissa; manus autem fortium diuitias parat.* Præterea. *Qui congregat in messe filius sapiens est, qui autem sterilis æstate filius confusionis.* Item Prou. 15. *Pigrorum iter quasi sepes spinarum; via iustorum absq; offendiculo.* Similiter Eccles 33. *Multam malitiam docuit otiositas.* Plurima alia loca inueniuntur in sacris literis, in quibus otiositas reprobatur.

Ideò verbis Diuinæ legis instructi viri Dei tãtoperè otiositatem semper sunt insectati, & ab ea tanquam à peste semper declinauere. De illo magno Monachorum Patre Antonio refert Diuus Athanasius in eius vita, quod cupiens otiositatem fugere clamabat in eremo ad Dominum. *ô Samaritane Domine Deus, ô animarum & corporum verè custos, suscita in me gratiam tuam, infunde seruo tuo misericordiam vt in eremo collocatus, in conspectu tuo nõ maneã otiosus.* Et audiuit Antonius vocẽ. *Antoni cupis Deo placere? ora, & dum orare non poteris, manibus labora, semper aliquid facito: fac quod in te est, & non deficiet tibi auxilium de Sancto.* Vnusquisq; deberet ante oculos mentis habere semper ista duo verba *Ora & Labora.*

S. Chry.

S. Chrysost. Hom. 7. in 2. ad Cor. ait. [Sicut terra non occupata semente, aut consitione, quamlibet herbam producit: sic & anima quoties non habet quod agat rerum necessariarum, cum omnino cupiat aliquid agere, prauis actionibus semet tradit: Et quemadmodum oculus quando non desinit cernere, atq; ob hoc cernit mala, si quando bona non sint obiecta: sic & cogitatio, quoties se abducit à necessarijs, circa inutilia iam versatur.] *Rectè quoq; Cassianus lib. 10. Instit. cap. 6.* [Mens otiosi nihil aliud cogitare nouit, quàm de escis ac ventre, donec inuenta quandoq; sodalitate eiusdem viri, vel fœminæ æquali tepore torpentis, rebus eorum ac necessitatibus inuoluatur, & ita paulatim reddatur noxijs occupationibus irretitus, vt tanquam serpentinis spiris obstrictus, nunquam deinceps ad professionis suæ se valeat enodare.] Hoc quotidiana experientia (proh dolor) plusquam satis verum esse demonstrat, tùm in viris seculi huius, tùm in Ecclesiasticis siue Secularibus, siue Regularibus otiosis: quod sanè lachrymis è corde erũpentibus est deplorãdum.

Quòd Sancti abhorruerint ab otiositate non miror; luce enim diuina perfusi mala, quæ ab illa procedunt, dilucidè cognoscebant: sed quòd etiam ethnici lumine tantum naturali ducti id cognouerint, varieq; aduersus ignauiâ & otiositatem inuecti sint, hoc satis admirari non possum. Fuit igitur Marci Catonis perfrequens sententia. *Nihil agendo homines male agere perdiscere.* Appius Claudius dicere solebat. *Populo Romano melius negotium quam otium conuenit.* Sensit vir sapientissimus populum Romanum laboribus ac bellicis rebus plurimum incrementi semper accepisse, nimio autem otio & pigritia deinceps in peius corruisse. Seneca ait. *Otium sine literis mortem esse, & hominis viui sepulturam.* Huic consonat dictum Themistoclis Græciæ Ducis fortissimi: hic enim dicere solebat. *desidiam esse hominis viui sepulturam.* qui eum expletis centum & septem annis se mori videret dixisse fer-

tur ſe plurimum dolere, quod vita tunc egrederetur quãdo ſapere cæpiſſet. Optimè M. Cato in libro de moribus ſcripſit vitam humanam eſſe vt ferrum, quod ſi exerceas conteritur, & cum ſplẽdore quidẽ; ſin minus exerceas, rubigo interficit: ſic homines ſe exercendo, honeſtè conteruntur, ſi verò non exerceãtur, inertia ac torpedine abſumuntur. Inter ſeueriſſimas Draconis leges illa etiam fuit, vt otij damnati capite punirentur. Et apud Ægyptios erat lex (vt ſcribit Diodorus) qua ſinguli cogebantur nomina apud Præſides profiteri, & qua arte, quoue lucro ſuſtẽtarentur oſtendere, & ſi qui mentiebantur, aut iniuſto quæſtu viuebant, capite damnabãtur. Nec medius fidius iniuria; otioſi enim & ignaui iuuenes, venenum ſunt Ciuitatis; proni ad libidinem ſunt, bonis inuident, aliena appetunt, & ſeditioſi ac turbulenti euadunt.

Ad fugiendam otioſitatem, honeſtumq; laborem ſuſcipiendum mouere nos debent non ſolùm voces diuinæ, quæ vtiq; efficaces eſſe deberent; nec ſolùm auctoritates Sanctorum, & dicta Philoſophorum ſed etiam Rationes.

Prima ratio eſſe poteſt; quia homo ex conditione ſua natus eſt ad laborem ſicut auis ad volatum. 2. quia exemplo aliarum Creaturarum inuitatur ad laborandum; & non ad otiandum. Sol .n. Cæli, Elementa nunquam quieſcunt, ſed ſemper agunt. Homini quoq; datæ ſunt manus, pedes, vires à natura vt operetur, non autem vt otietur. Deus itaq; hominem finxit nõ vt ſegnis ac languens deſideat, ſed vt in laboribus ſe honeſtis exerceat. Vnde primò Adæ in Paradiſo præcepit vt laboraret & Paradiſum cuſtodiret: & poſtquam eum eieciſſet tulit ſententiam vt in ſudore vultus ſui veſceretur pane ſuo. 3. quia ex ignaui otio multa mala & multa vitia oriuntur; nempe Vagatio, Garrulitas, Curioſitas, Loquacitas, Detractio, Seditio, Stultiloquium, Turpiloquium, Scurrilitas, Gula, quid dicam amplius? ipſa Idololatria. Nonne ex otio filij Iſrael prolapſi ſunt in infandum illud

illud ſcelus vt adorarēt impiè vitulum aureum, dum Moyſes in Monte loqueretur cum Deo Ita in Exod. 32. *Sedit populus manducare & bibere; & ſurrexerunt ludere*. De luxuria autem quid proferam? Hæc videtur primogenita filia otij. De Sodoma teſtatur Ezechiel *cap.* 16. quod propter ſaturitatem panis, & otium eius ac filiarū prorupetit in illud profundum libidinum; & luxuriei. Dauid quamdiu exercuit ſe in militia non inſultauit ei luxuria, cum autem domi otioſus remanſit, adulterium commiſit & homicidium. Sampſon dum pugnauit cum Philiſtæis non potuit capi ab hoſtibus, ſed poſtquā dormiuit in ſinu feminæ, & cum ea otiosè remanſit, mox captus fuit, & excæcatur. Salomon dum occupatus eſſet in ædificatione templi non ſenſit luxuriam, ſed mox recedēs ab opere, perſentit illius inſultum, & copulatus eſt mulieribus alienigenis ardentiſſimo amore; vt habetur 3. Reg. 11. Et quotidiano experimento videmus ex inerti otio pullulare luxuriam: Itaque ceſſante otio etiam hoc vitium videtur deperdere ſuas vires iuxta illud decantatum.

Otia ſi tollas periere cupidinis arcus.

4 denique ratio. Quia per otium amittimus præcipua ſpiritualis vitæ ſubſidia, & nutrimenta. Dormiente Saule, & ſeruis eius Dauid haſtam, & ſcyphum ſurripuit. Quid haſtæ nomine, quæ à longè ferit, niſi oratio, quæ in terris effuſa, in Cælis operatur? Et quid per Scyphum, quoaquam bibimus ſignificatur, niſi ſacra lectio? Hæc ergò duò vitæ ſpiritualis alimenta negligentibus, otioſis, & in via Dei dormientibus ſurripere Dæmon ſolet.

Quantò autem otioſitas damnatur, tantò eius contrarium nempe honeſtus labor laudatur. Hinc Prou. 31. longo ſermone commendatur mulier illa fortis, quod panem non comederit otioſa, ſed quod quæſierit lanam & linum & operata ſit conſilio ſiue induſtria manuum ſuarum, factaque ſit velut nauis inſtitoris de longe portans panem ſuum.

Laudatur quoque, quod accinxerit fortitudine lumbos, roborauerit brachium, manum miserit ad fortia; & digiti eius apprehenderint fusum. Denique laudatur quod defructu, siue labore & lucro manuum suarum plantauerit vineam, quodque cingulũ tradiderit Chananæo; hoc est vendiderit mercatori de labore suo. Et multa similia in laudem eius dicuntur vt ostendatur quomodo non fuerit otiosa; sed in omni opere maximè laboriosa; sicque in exemplum alijs exhibetur, ne per otium diffluant, & in vitia dilabantur.

Cum igitur ex supra dictis ignauum otium in omnibus Christi fidelibus sit admodum detestabile, quanto magis detestabile in Ecclesiasticis viris ac diuino obsequio mancipatis. Intueamur (ò venerandi Sacerdotes) Sanctorum Patrum feruida exempla, in quibus vera perfectio refulsit & Sãctitas; & videbimus quam modicum sit & penè nihil quod nos agimus. Heu quid est vita nostra si illis fuerit comparata? [Sancti & amici Christi (*inquit Thomas de Kempis de imit. Christi lib. 1. cap. 18.*) Domino seruierunt in fame & siti; in frigore & nuditate; in labore & fatigatione; in vigilis & ieiunijs; in orationibus & sanctis meditationibus; in persecutionibus & obbrobrijs multis. O quã multas, & graues tribulationes passi sunt Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, & reliqui omnes qui Christi vestigia voluerunt sequi? O quã strictam & abdicatam vitam duxerunt? quam longas & graues tentationes pertulerunt? quam frequenter ab inimico vexati sunt? quam crebras & feruidas orationes Deo obtulerunt? quam magnum zelum, & feruorem ad spiritualem profectum habuerunt? quam forte bellum ad edomationem vitiorum gesserunt? quam puram & rectam intentionem ad Deum tenuerunt? Per diem laborabant, & noctibus orationi diuinæ vacabant. Omne tempus vtiliter expẽdebant. Omnis hora ad vacandum Deo breuis ipsis videbatur. Dati sunt in nostrum exemplum; & plus prouocare nos debent ad virtu-

tum

tum profectum, quàm tepidorum ingens numerus ad relaxationem.] *Hæc à Kempis.*

Meminerimus sẽper finis; & quia semel amissũ non redit tempus. Sine labore, solicitudine, & diligentia nunquam acquiremus virtutes. Si otio emarcuerimus, male erit pro nobis tùm in Anima, tum in Corpore. Si autem dederimus nos ad feruorem; inueniemus magnam pacem, & sentiemus leuiorem laborẽ propter Dei gratiam, & Virtutis amorem.

CAPVT VII.

De Remouenda nimia familiaritate cum Mulieribus.

QVò Virtus Castitatis altior est atque sublimior (vt quę homines Angelis quodãmodo reddit ęquales) eò ad ipsam conseruandam maiori opus est cura & diligentia. In omnibus quidem rebus magni refert parua & minuscula magni facere, nam vt ait sapiens, Eccl. 19. *Qui spernit modica paulatim decidet.* in hac tamen virtute specialiter magis id necessarium est. Quodlibet enim, quamuis paruum, castitatem non parum obfuscat & inquinat. Est enim quasi speculum nitidissimum, quod flatu, & anhelitu leuissimo inficitur, suumque nitorem & venustatem deperdit. Necesse igitur habemus magnam cautelam ad huius tam pretiosæ margaritæ custodiam adhibere.

Cum autem Personæ Deo dicatæ, ac præcipuè Sacerdotes teneãtur ratione sui status ad omnimodam Castitatem, quia tenentur etiam ad Cælibatum vt patet dist. 32. per totam: ideò debent præcauere omnia pericula, in quibus Castitas amitti possit. Hinc est quòd sacri Canones tam sæpè, ac tam seriò Ecclesiasticis personis interdicunt cohabitationem & frequentationem fœminarum vt videre est *dist.* 32. 33. 34. *Item* 18. *d.* 2. *&* 34. *d.* 4. *& tota tota de cohabitatione Clericorum & mulierum, vbi cap.* 1. *sic Habetur.* [Inhibendum

dum eſt vt nullus Sacerdos fœminas, de quibus ſuſpicio eſſe poteſt, retineat. Sed neque illas, quas Canones concedunt, matrem, amitam, & ſororem; quia inſtigante diabolo & in illis ſcelus perpetratum reperitur; aut etiam in pediſſequis earundem; Sed ſi qua de his neceſſitatem habuerit, Presbyteri habeant in vico, aut in villa domum longè à ſua conuerſatione, & ibi ea quæ ſunt neceſſaria ſubminiſtrent. *Et nouiſsime Sac: Conc. Trid. de reform. ſic ſtatuit. ſeſſ. 25. cap. 14.* [Quam turpe ac Clericorum nomine, qui ſe diuino cultui addixerunt, ſit indignum in impudicitiæ ſordibus, immundoque concubinatu verſari, ſatis res ipſa communi fidelium omnium offenſione, ſummoque Clericalis militiæ dedecore teſtatur. Vt igitur adeam, quæ decet continentiam, ac vitæ integritatē miniſtri Eccleſiæ reuocentur, populuſque hinc eos magis diſcat reuereri, quo illos vita honeſtiores cognouerit, prohibet Sancta Synodus quibuſcunque Clericis ne Concubinas aut alias mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio in domo, vel extra detinere, aut cum iis vllam conſuetudinem habere audeant, alioquin pœnis à Sacris Canonibus vel ſtatutis Eccleſiarum impoſitis puniantur, &c.] Ecce quam ſeriò mulierum familiaritas inhibetur.

Et meritò quidem quia tutiſſimum propugnandæ Caſtitatis aſylum & perfugium eſt vniuerſas occaſiones libidinis deuitare. Apoſtolus perpetuus caſtimoniæ cultor, & laudator omnia remedia tuendi Caſtitatem, & contrariū vitium profligandi conſtituit in *fuga*; dum 1. Cor. 6. ait: (*fugite fornicationem*) Quæ verba attentius ponderando *Diuus Auguſtinus* ſic inquit. *ſerm. 2. Dom. 2. poſt. Trinit. qui eſt* 250. [Quod libidinem fugiendam eſſe ſuggerimus, Apoſtolus Paulus euidenter oſtendit, qui cum omnibus vitijs prædicauerit reſiſtendum, dum contrà libidinem loqueretur non dixit. Reſiſtite ſed fugite fornicationem. Ac ſic contrà reliqua vitia Deo auxiliante debemus in præſenti reſiſtere, libidinem

verò

verò fugiendo ſuperare. Ergò contrà libidinis impetum apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam. Nec tibi verecundum ſit fugere ſi Caſtitatis palmam deſideras obtinere: Vnde fratres chariſſimi ab omnibus Chriſtianis, precipuè tamen Clericis ſiue Monachis indigna & inhoneſta familiaritas fugienda eſt; quia ſine vlla dubitatione qui familiaritatem non vult vitare ſuſpectam, citò dilabitur in ruinam. Inter omnia Chriſtianorum certamina ſola duriora ſunt prælia Caſtitatis, vbi quotidiana eſt pugna, & rara victoria. Grauem Caſtitas ſortita eſt inimicum, qui quotidie vincitur & timetur.]

Idem Auguſtinus alibi. [Grauem inimicum ſortita Caſtitas; cui non ſolum reſiſtendum; ſed dimiſſo fræno longius fugiendum; nec eò minus fæminæ fugiendæ ſunt quia religioſæ videntur; quia quantò religioſiores tantò citius alliciunt:& ſub prætextu pietatis latet viſcus libidinis: Experto crede: Expertus loquor:coram Deo non mẽtior: Cedros libani; duces gregum ſub hac peſte cecidiſſe reperi de quorum caſu non magis ſuſpicabar quàm Ambroſ. vel Hieron. impudica turpitudine.] *Hæc Auguſtinus.* Qui opere præſtantiſſimè impleuit quod verbis veriſſimè docuit. Nam vt ſcribit Poſſidonius in eius vita cap. 26. Fæminarum intra domũ eius nulla vnquam conuerſata eſt, nulla manſit, nec quidem germana, quæ vidua Deo ſeruiens multo tempore vſq; in diem obitus ſui præpoſita ancillarum Dei vixit, ſed neque patrui ſui filiæ, & fratris ſui filiæ, quæ pariter Deo ſeruiebant:quas perſonas Sanctorũ Epiſcoporum Concilia in exceptis poſuerunt. Dicebat verò Sacerdotẽ nunquam debere cum ſeruis Dei etiã caſtiſſimis, in vna manere domo, ne aliquod ſcandalum vel offendiculum hoc tali exemplo poneretur infirmioribus, & tentationibus humanis perirent.

Et ſequenti cap. 27. pergit narrare idem Poſſidonius in hæc verba. In viſitationibus verò modum tenebat ab Apoſtolo

solo Iacobo definitum, vt non nisi pupillos & viduas in tribulationibus constitutas visitaret. Et si fortè ab aliquibus fœminis, vt videretur, vel salutaretur, rogabatur, nunquam sine Clericis testibus ad eas intrabat; vel solus nunquam est locutus, nec si secretorum aliquid interesset. Et si forte ab ægrotantibus ob hoc peteretur vt pro eis in præsenti Deum rogaret, eisque manus imponeret, sine mora pergebat. Fœminarum autem monasteria non nisi vrgentibus necessitatibus visitabat. Hæc Possidonius in vita Diui Augustini.

Non minori diligentia mulierum familiaritatem deuitauit Angelicæ puritatis æmulator S. Tomas Aquinas, qui cum inuiolabilis à Domino Castitatis donum obtinuisset; incredibile tamen memoratu est quàm diligenter ille, studioseque omne muneris huiusce perdendi occasionem vitarit, quàm vehementer ille familiariores mulierum cõgressus omnes exhorruerit. Hinc cum fortè matrona quædam eum comiter affata quereretur cur ipse de fœmina natus, adeò familiares fœminarum congressus horreret; *Vel ob hoc ipsum feminas*, inquit, *horreo & fugio, quod illarum vna sim progenatus.*

Quod Diuus Augustinus, & Diuus Thomas circa vitandam mulierũ familiaritatẽ præstiterunt, multi etiã alij sunt imitati quorum nonnulla exempla refert Barbosa de offic. episc. tit. 2. Glos. 8. n. 4. Primum de quodam Eremita, qui in transecundo riuo auxiliaturus matri veste manum obtexit, ne eam attingeret, causamque rogatus: *Caro* inquit, *femina ignis est, manus autem viri stupa; & adue te tangere nolo, ne tentatio aut cogitatio de alga mihi feminis suboriatur.* Secundum de Religioso quodam, qui accusatus apud B. Iordanem Ord. Predicatorum Generalem de contactu fœminæ manu, excusauit se quòd pia illa esset: Cui B. Iordanus. *Bona* inquit *terra est; Bona & aqua; si verò commisceantur puræ lutum efficitur.* Tertium de Christiano adolescente, qui superatis tormentis in amæ-

in amœnissimo horto nudato corpore in molli lectulo extensus fuit à scorto irritandus; Hic cælitus inspiratus præcisam morsu linguam in osculantis se faciem expuit;& sic libidinis sensum doloris magnitudine superauit. Quod facinus etiam quidam Religiosus imitatus est, qui cum viduæ osculandam manum præbuisset, hanc sibi præscidit, vt qua agitabatur tentatione liberaretur. Quartũ de Ioanne Bosnensi Episcopo,qui sollicitatus à meretricula, in eius maxillam tam fortiter colaphum impegit,vt ad terram allideret,quod ei maximam apud Frider. 2. Imperatorem, & aulicos reuerentiam conciliauit.

Et hoc quidem habuerunt Sancti viri Dei; sed quis non admiratione capiatur similia audiens & legens de viris lumine fidei destitutis.Et vt duo ex multis,quæ possem in præsentiarum referre, exempla recenseam. 1. sit de Alexandro Magno. Hic deuicto Dario Rhoxanes amore captus eam vnam vxorem sibi soli duxit. Cæteras omnes Persides tantò modestia antecelluit, quantò fortitudine Persas. Inuitam nullam vidit: quas vidit autem magis etiam aspernatus est, quam quas non vidit. Cumque cæteris omnibus mirè blandus esset, solis venustis superbum sese præbebat. Nam de Darij vxore eleganti in primis forma,nullum nunquam verbum commendandæ eius venustatis emisit,defunctę verò vsquequaq; more regio iusta fecit, ac misericorditer fleuit. Quamobrem Darius, qui primùm admodum commotus fuerat potentiæ eius ætatisq; licentia; simul ac omnia accuratè perscrutatus,id quod erat cõperit,*Non vsq; adeo igitur*, inquit *res Persarum comploratæ sunt, nec prorsus ignauos nos, imbecilles q; dixerit, qui ab huiusmodi hoste superatos audierit*. Ita Seneca de virtutibus & fortuna Alexãdri.Idẽ Alexãder, vt refert Plutarchus, cũ Darij filias haberet captiuas, demissis oculis eas salutabat,idq; rarò,sibi metuens ob illarum insignem formã. Apud familiares autem dicere solebat, *Dolores oculorum sunt*

Persicæ puellæ. 2. exemplum sit de Antiocho tertio. Hic vt refert Plutar. in Reg. Apoph. Cum Dianæ Sacerdotissam vidisset supra modum eleganti forma; cõtinuò soluit Ephesо, veritus ne vis amoris ipsum ad aliquid faciendum impelleret, quod fas non esset:

Prædicta satis essent ad arcendum Sacerdotes à nimia & suspecta familiaritate mulierum: sed nihilominus ex abundanti addamus auctoritatẽ trium insigniũ Ecclesiæ Patrum, & luminum, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum: Sit igitur *auctoritas prima S. Hieronymi, qui scribens ad Nepotianum sic loquitur.* [Hospitiolum tuum aut rarò aut nuuquam mulierum pedes terant. Omnes puellas ac Virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Vide ne sub eodem tecto manseris, nec in præterita Castitate confidas. Nec Dauide sanctior; nec Sampsone fortior; nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper quod Paradisi colonum mulier è possessione sua eiecerit.] *Hæc Hieronymus instruens* Nepotianum, vbi & plura in eandem sententiam subijcit. 2ª. *Auctoritas S. Cypriani lib. de singularitatè Clericorum. sic habentis.* [Quid illic geritur, vbi libertatis sumit mulier in contubernalitate constantiam? quando in domesticis negotijs nunc lacertos, & femora lanificis operibus nudat, nunc æstuans detegit mẽbra, nunc fatigatur, iactatur, aut in vsum aliquando dissoluitur, nunc blanditias exhibet, & quod ventuosius est, psallere delectatur, cuius cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem.] *Hæc Cyprianus.* 3ª. *auctoritas sit melliflui Doctoris S. Bernardi serm. 65. in Cant. qui sic ait.* [Cum fœmina semper esse & fœminam non cognoscere, nonne plus est quã mortuũ suscitare? Quod minus est non potes, & quod maius est, vis credam tibi? Quotidie latus tuum ad latus iuuenculæ est in mensa, lectus tuus ad lectum eius in camera, oculi tui ad illius oculos in colloquio, manus tuæ ad manus ipsius in opere, & continens vis putari? Esto vt sis, sed ego

suspi-

ſuſpicione non careo. Scandalo mihi es, tolle ſcandali cauſam: ſi non vis ſcandalizare Eccleſiam, eijce fæminam]

Ergò ò Dei electi & dilecti Sacerdotes fugiamus noxia conſortia mulierum. Mulier certè dicitur à mollicie, quaſi mollies, quod actiuè intelligitur & paſſiuè, vt facile moliat, & faciliter moliatur. Malleus etiam à molliendo dicitur, & quod ferrum, & alia dura molliat & contundat, ſic & mulier animos quantumcunque duros effæminat & emollit, vt Claudianus ait.

Ferrea laſciuis molleſcunt corda ſagittis.

Eſt igitur malleus mulier, per quam Diabolus mundum mollit, & malleat vniuerſum. Si quis igitur vult ab hoc malleo fugere, mulierum conuerſationem cuitans exeat de fornace ferrea Babylonis. Meminerimus quòd aduerſarius qui B. Iob filios, & poſſeſſionem abſtulerat vniuerſos, ſuam ei reliquit vxorem, non ad ſolatium, ſed ad ſuæ malitiæ propoſitum conſummandum, vt per fæminam vinceret, quem plagis, verberibus, & infinitis tentationum generibus non potuerat ſuperare. Nulla enim videbatur liberior, & opportunior nocendi occaſio, quàm per familiarem inimicum, & domeſticum proditorem. Scriptum eſt enim: Ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui. Sciebat vtique ille inueteratus dierũ malorum quod natura mulieris quanto fragilior, tantò flexibilior eſt ad culpam, & ex quadam deprauatione innata procliuior ad nocendũ. Huius autem cuirationis fidem nobis faciunt pleniſſimam frequens rerum experientia, & multiplicitas exemplorum. Per Feminã namque Ioſeph carceribus innocens mancipatus fuit. Naboth occiſus. Sampſon vinculis conſtrictus. Isboſeth interfectus. Salomon factus apoſtata. Dauid homicida & proditor. Siſara clauo confoſſus. Conſtantinus Imperator Leonis Imperatoris Filius exoculatus. Antigonus proditoriè iugulatus. Cyrus Rex Perſarum capite truncatus. Baptiſta præcurſor

Domini decollatus. Non igitur tutum consortium mulieris, quæ teste Origine caput est peccati; arma Diaboli; expulsio Paradisi; delicti mater; destructio legis antiquæ.

CAPVT VIII.

De Remouendis Commessationibus, & Compotationibus, & Ebrietatibus.

OMnes Christi fideles, & præcipuè qui in sortem Domini speciali priuilegio per Sacerdotale ministerium sunt adsciti, abstinere debent à frequentibus & excessiuis commessationibus, compotationibns, & ebrietatibus propter incommoda & mala quæ inde exoriuntur, ad quod efficaciter moueri possunt. Primò per auctoritates Sacræ Paginæ, Sacrorum Canonum, Sanctorum Patrum, & Philosophorum. Secundò per rationes. Tertiò per exempla. Quartò quia vanæ & futiles sunt excusationes eorum qui prædictis vitijs sunt addicti.

§. 1. *Afferuntur auctoritates Sacrarum Literarum, Canonum, Patrum, & Philosophorum.*

ET primò damnatas inuenimus commessationes, compotationes, & ebrietates pluribus in locis Sacrarum Literarum. Nam Psal. 77. dicitur. *Adhuc esse eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Et Prou. 20. *Tumultuosa res est ebrietas.* Ibid. 23. *Noli esca in conuiuijs potatorum nec in commessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio.* Et paulò infrà. *Cui væ? cuius Patri væ? cui rixæ? cui fouea? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorũ? Nonne his qui commorantur in vino; & studeut calicibus epotandis.* Eccles. 19. *Vinum & mulieres apostatare faciunt etiam sapientes.* Ibid. 27. *In multis escis infirmitas.* Ibid. 37. *Noli auidus esse in omni epulatione, &*

non

non te effundas super omnem escam. Isai. 5. *Væ terræ, cuius Principes manè comedunt. Væ qui surgitis ad ebrietate sectandam. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum; & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Ibid. 28. *Sacerdos & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate; omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu, sordibusq; itaut non esset vltrà locus.* Ioel. 1. *Expergiscimini ebrij, & flete, & vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam perijt ab ore vestro.* Et. Luc. 21. Dominus ipse ait. *Attendite ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate.* Et Apostolus ad Rom. 13. *Hora est iam nos de somno surgere non in commessationibus & ebrietatibus &c.* Ibid. 14. *Regnum Dei non esca & potus.* Idem ad Galat 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio &c. ebrietates, commessationes, & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Idem ad Ephes. 5. *Nolite inebriari vino in quo est luxuria.* Et ad Philip. 3. *Multi ambulant, quos sæpe dicebam (nunc autem & flens dico) inimicos Crucis Christi, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt, quorum finis interitus &c.* Multæ aliæ ad hanc rem adduci possent auctoritates Sacræ paginæ, quæ breuitatis Causa omittũtur.

Post verbum Diuinum, quod in Sacris Literis continetur, secundum locum in dignitate obtinet Scriptura Canonica *Sacri igitur Canones tùm alibi sæpè, tùm præcipuè dist. 35. per totam damnant, & prohibent commessationes, & compotationes. Et vt nonnulla loca in medium afferamus, in cap. Ecclesiæ Principes 2. dist. 35. ita habetur.* [Ecclesiæ Principes, qui delicijs affluunt, & inter epulas, atque lasciuias pudicitiam seruare se credunt, propheticus sermo describit quod eijciendi sint de spatiosis domibus, lautisq; conuiuijs, & multo labore epulis conquisitis, & eijciendi propter malas cogitationes & opera sua. Et si vis scire quo eijciendi sunt euangelium lege, in tenebras scilicet exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. An non confusio, & ignominia est Iesum crucifixum, magistrum

pau-

pauperem atq; eſurientem fartis prædicare corporibus? ieiuniorumq; doctrinam rubentes buccas, tumentiaq; ora proferre? ſi in Apoſtolorum loco ſumus, non ſolum ſermonem eorum imitemur, ſed conuerſationem quoque & abſtinentiam amplectamur.] *Et cap. Vinolentum ibidem ſic habetur.* [Vinolentum Sacerdotem & Apoſtolus damnat, & vetus lex prohibet. Sacerdotes qui miniſtrant in templo Dei prohibentur vinum & ſiceram bibere, ne in crapula & ebrietate aggrauentur corda eorum; ſicera hebręo ſermone omnis potio nuncupatur, quæ inebriare poteſt.] *Et infra:* [Quidquid inebriat, & ſtatum mentis euertit, fuge ſimiliter vt vinum. Nolite ait Apoſtolus inebriari vino in quo eſt luxuria; Et rurſus qui altario deſeruiunt, vinum & ſiceram non bibant. Sponſa Chriſti vinum fugiat vt venenum; Vinum & ebrietas incendium eſt.] *Et cap. Ante omnia ibid. ſic decernitur.* [Ante omnia Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix eſt. Itaq; eum, quem ebrium fuiſſe conſtiterit (vt ordo patitur) aut triginta dierum ſpatio à communione ſtatuimus ſubmouendum, aut corporali ſubdendum ſupplicio.] *Et* 15. *q.* 1. *cap. Sanè. ita habetur.* [Sanè diſcimus vitandam ebrietatem, per quam crimina cauere non poſſumus. Nam quæ ſobrij cauemus, per ebrietatem ignorantes committimus.] *Et paulò poſt.* [Neſciunt quid loquantur qui nimio vino indulgent, iacent ſepulti; ideoq; ſi qua per vinum deliquerint, apud ſapientes Iudices venia quidem facta donantur, ſed leuitatis damnantur auctores.]

Accedant tertio loco auctoritates, Sanctorum Patrũ, inter quos vt Coriphæus primus veniat *fulgentiſſimum illud Eccleſiæ iubar Auguſtinus, qui ſerm.* 231. *de tempore, ſic ait.* [Qui alterum cogit vt ſe plus quam opus eſt bibendo inebriet, minus malum eius erat ſi carnem eius vulneraret gladio, quam animam eius per ebrietatẽ necaret. O infęlicitas generis humani, quàm multi inueniuntur, qui ebrioſos & luxurioſos ãplius

quam

quã oportet, cogũt bibere, & antè oſtiũ pauperibus petentibus vel vnum calicem diſſimulant dare: Nec attendunt quia illud, quod luxurioſis videntur ingerere, Chriſtus in pauperibus deberet accipere, qui dixit. Quod feciſtis vni ex minimis meis mihi feciſtis &c.] *Idem Auguſtinus ſic ait.* [Qui amico ſuo nimium propinat, in anima efficitur inimicus, corpus eius debilitare, & animam probatur occidere; qui enim ebrietatibus incumbunt, vltrà peccatum, quod incurrunt, podagra laborant & ægritudine diuturna macerantur.] Accedat 2. loco *Doctor maximus in exponendis ſacris ſcripturis Hieronymus, qui ſic ait.* [Vinolentia ſcurrarum eſt, & commeſſatorum; venterq; mero æſtuans citò deſpumat in libidines. In vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia eſt. *Affert huius rei exempla* Noe, inquit ad vnius horæ ebrietatem nudat fæmora ſua, quæ per ſexcentos annos ſobrietate contexerat. Loth per temulantiam neſciens libidini miſcet inceſtum, & quem ſodoma non vicit, vina vicerunt.] *His, & alijs concludit idem B. Hieron.* [Nunquam ego ebrium caſtum putabo, & ſi vino conſopitus dormiuerit, tamen potuit peccare per Vinũ. Dicat quiſq; quod volet, ego loquor ſecundùm conſcientiam meam, ſcio mihi abſtinentiam nocuiſſe intermiſſam, & profuiſſe repetitam.] *Audiamus 3. loco aureum eloquentiæ flumen Chryſoſtomum ſerm. contra luxum & crapulam, vbi ſic ait.* [Sicut nauis oneraria, quæ ſupra ſuam magnitudinem vehenda capit, oneris magnitudine grauata ſubmergitur: Ita anima, & corporis noſtri natura ſi plures acceperit cibos quam ferat natura ſua impletur, & iniectorum grauitatem non amat, & in perditionis pelagus demergitur, & nautas, & gubernatores, & eos qui in prora, & alios nauigantes, & ipſum onus cum hominibus perdit. Sicut igitur non tranquillitas maris, non ſcientia gubernatoris, non nautarum multitudo, non præparationis ſtudium, nõ anni pars tempeſtiua, non aliud quidquam naui, quæ ſic in tempeſtate eſt, prodeſt: ita & delica-

ficatis euenit, neq; cogitationum multitudo, neq; eruditio aut admonitio, neq; consilia, neq; timor futurorum, neque aliud quid saluare potest sic periclitantem animam; sed inualescit luxus & amentia per omnia, & sub aquas deferens nolens, volens, eum qui ægrotat defert, & graue facit naufragium.] Ecce quomodo luxus crapula, ebrietas, non solum corporis sed & animæ est procella, in profundum illa demergens, & in mortis adducens naufragium. Audiamus postremo loco Magnum illum Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopum & Romanæ eloquentiæ nectar Ambrosium, *qui lib. de Helia, & Ieiunio cap.* 14. *sic ait.* [Rogas adiucunditatem, cogis ad mortem; inuitas ad prandium, efferre vis ad sepulchrum, cibos promittis, tormenta irrogas: vina prætendis, venena suffundis: Omne enim quicquid nocet, venenum est, tollit sensus, viscera exurit, somnum infert, caput vexat: noxia est ebrietas ad corporis sanitatem, menti etiam crimen adiungit.] Potuerũt ne elegantius, & expressius ostendi ebrietatis incommoda? Sed audiamus etiam Philosophos morales ac Historicos quid senserint de nimio cibo, & potu.

In primis prodeat in medium *Moralis Seneca, qui Ep. l.* 84. *inter alia plurima, quæ aduersus ebrietatem scribit hæc ait:* [Non est animus in sua potestate ebrietate deuinctus: quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, & omne quod in imo iacet abditum effertur, & prodit in medium. Onerati mero quemadmodum non continent cibum vino redundante, ita nec secretum quidem: quod suum alienumque est pariter effundunt.] Athænes in sua historia de tumulentis lib. 10. asserit Alexandrum Magnum ex nimio vini potu in infirmitatem incidisse ac tandẽ ex ea decessisse. Et ibi idem Athæneus refert, quod cum Callisthenes Vir sapientia & eloquentia clarus eodem Alexandro conuiuãte meri poculum, quod ad eum peruenerat, expelleret, rogante quodam cur non biberet; respondit nolle se dum Alexandri poculum biberet,

beret, Esculapio indigere. Alphonsus Aragonum Rex interrogatus cur vino dilutissimo sitim expleret? Respondit vino sapientiam obscurari, ideoque non decere Regem vt immodica cõpotatione id in animo extingueret, sine quo Imperatoris, ac Regis nomen ritè tueri non posset. *Panorm. lib. 2. de rebus gestis Alphonsi.* Fridericus 3. Imperator studiosissimus temperantiæ, ac sobrietatis cultor fuisse dicitur, qui cum audisset Leonoram vxorem (que paterna in domo nunquam vinum gustarat) facile filios parituram, si in Germania tam frigida regione vinũ biberet; dixisse fertur, *malle se sterilem vxorem habere quam Vinosam.* Non ignorauit autem Imperator sapiẽtissimus quam multa vinolentiã mala comitentur. *Ita Æneas Silvius lib. 2. Comm. de rebus gestis Friderici.* Hæc & multa alia sapientum testimonia possent adduci in laudem abstinentiæ & sobrietatis, & in vituperium crapulæ & ebrietatis. Sed veniamus ad rationes.

§. 2. *Afferuntur Rationes.*

NEc desunt rationes ad astruendũ propositũ desumptæ à malis prouenientibus ex ebrietate, quæ breuiter sed ponderosè affert Diuus Augustinus ad Sacras Virgines in quadam descriptione ebriẽtatis, quæ talis est. [Ebrietas est flagitiorum omnium mater, culparumq; materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, subuersio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, amissio temporis, insania voluntaria; prodigalitas bonorum, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela.] Hæc singula quãuis ex allegatis auctoritatibus satis elucescant, paucis tamen adhuc & plenius lubet declarare singillatim ad huius vitij pefectam detestationem.

1. Itaque ebrietas describitur (*flagitiorum omnium mater, culparumque materia, radix criminum, origo vitiorum.*) Quia ex

ebrietate oritur inepta lætitia, multiloquium, ſtultiloquium, turpiloquium, ſcurrilitas, immunditia, mentis & corporis hebetudo, proditio ſecretorum, omnigena libido, & alia huiuſmodi vitia, quæ ſacri Doctores vocare ſolent Gulæ filias. Et quamuis luxuria conſtituatur vitium capitale condiſtinctum à gula & ebrietate; nihilominus aliquo modo etiã pendet à gula, & ebrietate; Quia venter cibo, meroque diſtentus, & æſtuans cito deſpumat in libidines; Et *ſine Cerere & Bacho*, vt quidam dixit, *friget Venus*. Sed quid enumerem vitia particularia? omnia abſolutè vitia ſequuntur ebrietatem; quia cum ſuffocet rationem omnibus alijs facilem præbet ingreſſum in animam; Vnde ſicut interempto cuſtode caſtri facilè illud occupatur; ſic eſt & in animæ arce, cuius cuſtodia rationi eſt concredita; quæ ſi iacet ſepulta, iam omnibus vitijs arx redditur peruia.

2. Ebrietas dicitur (*Turbatio capitis*) imò hic videtur primarius effectus ebrietatis; nẽpe adducere dolorẽ capitis cum turbatione. Lepidum eſt quod referunt de quodam ſtudioſo è Gymnaſio repetente patrios lares. Hic cum in itinere quodam in hoſpitio à ſibi notis exciperetur lautè, & cũ copioſa vini propinatione, poſt compotationem per quàm ſufficientem, vrgebatur cohoratione amica ad hauſtus æquales (vt à multis ſtultè fieri aſſolet ſeptentionalibus in partibus) primò ad ſanitatem hoſpitis & hoſpitæ, iterum ad ſanitatem filiarum eius, rurſus ad ſanitatem ancillæ &c. ſic pergebat ipſe potum iucundè, & hilariter continuare; ita vt ſubſequenti die capitis grauiſſimo torqueretur dolore. Diſceſſit ipſe hunc dolorem ſecum viæ ducens comitem. Cumque in itinere ad fluuium peruenisſet, in quo ada quandũ erat iumentum cui inſedebat, exiguũ aquæ bibit ſobrium illud animal, ſufficienter tamen naturæ. Ille vero ſibilo, geſtu, verbo vrgebat vt amplius biberet, cumque recalcitraret & abnueret, hortabatur vt amore ãcillæ, amore puellarũ, amore hoſpitæ

iterum

iterum & iterum biberet. At frustra. Quid illic? Verè, inquit, longè prudentior es me cum omni studio & doctrina mea. si enim ego heri eodem me modò continuissem, quo tu modo, cum sufficienter naturæ datum erat; ea nunc faucium alteratione, & capitis acri dolore haud torquerer. Sic homo iumentis insipientibus insipientior redditur per crapulam & ebrietatem. Serotina vigilia nimis hilaris, & inepta exundans letitia triste mane parturit, & totũ sæpè amarum reddit diem tum ob conscientiæ remorsum, tum ob corporis hebetudinem, tum ob crumenæ euacuationem, tum ob alia incommoda per crapulam & ebrietatem sequi nata, de quibus dictum est & amplius dicetur.

3. Ebrietas dicitur (*Subuersio sensus*) Quia luce clarius est, & ipsa experientia quotidie testificatur, quod nimia Vini perceptio aufert memoriam, dissipat sensum, confundit intellectum, balbutientem linguam reddit, & vires eneruat.

4. Ebrietas dicitur (*Tempestas linguæ*) Nam illam exagitat huc illucq; in impudica & obscæna, in pernicioſa & nociua verba. Exagitat illã contra proximum, contra Deum, contra amicum, contra se ipsum, contra absentes, & præsentes, contra viuos, & mortuos. Deinde in rixas exagitat & contentiones. O quoties mane ad mentem, & tranquillitatem redeuntes, optarent posse reuocare illas, quas despumarunt confusiones; illas, inquam, spumas conuitiorum, vel blasphemiarum, in quas eorum linguam præcedente vespere exagitauit ebrietatis tempestas.

5. Ebrietas dicitur (*Procella corporis*) quia sicut cymba agitata vento huc illucq; titubans se versat, non se regere potens; eodem modo se gerit homo ebrietate exagitatus. *Hinc Diuus Ambros. de Elia & Ieiunio cap. 16. sic ait.* [Hinc ebrij vanæ imagines, incerti visus, instabiles gressus. Vmbras sæpe transiliunt sicut foueas. Nutat his cum facie terra, subitò erigi, & inclinari videtur & quasi vertatur, timẽtes in faciem ruunt,

& ſolum manibus apprehendunt, aut concurrentibus montibus ſibi includi videntur. Murmur in auribus quaſi maris fluctuantis fragor, & reſonantia fluctu lictora.]

6. Ebrietas dicitur (*Naufragium Caſtitatis*) quia ex illa impudicitias, fornicationes, adulteria, inceſtus hiſq; ſimilia vitia sæpe emanaſſe apud omnes compertum eſt. Et quotidie libidines illæ portentoſæ nõne ex illa originem primam ducunt, quia venter cibo, potuq; repletus æſtuat & in libidinem deſpumat: ſic de populo Iſraelitico Exod. 31. legimus: *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Luſus hic luxuriam indicat, cuius poſtmodum infelix extitit effectus, qui fuit corã vitulo choros agere; & à Deo fornicari. Sic vna ebrietas populi tabulas legis cõfregit, quas 40. dierũ ieiunium obtinuerat. Notum eſt etiam quomodo in Loth naufragium fecerit caſtitas propter ebrietatem, dum duplici ſe contaminauit inceſtu. Nec quoq; ad vnius horæ ebrietatem nudauit femora, quæ per ſexcentos annos obtexerat, propter hoc ludibrium factus filio. Hinc refert Val. Max. de memor. dict. & fact. Rom. lib. 3. Vini vſum Romanis fœminis ignotum fuiſſe: ne ſcilicet in aliquod dedecus prolaberentur; quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconceſſam Venerem eſſe conſueuit.

7. Ebrietas dicitur (*Amiſsio temporis*) quia noctes, dieſq; ebrioſi in popinis conſumunt. Et quod magis dolendum eſt ipſos feſtos ac Dominicos dies in Dei, Sãctorumq; honorem dicatos, in ipſius Dei eiuſq; Sanctorũ iniuriam per ſummam impietatem impendunt. O cæciras hominum, ò veſania mẽtis, ò abuſus intolerabilis. Tempus enim dierum feſtorum ſacrum eſt, tempus Chriſtianis deſtinatum vt diuinam bonitatem ſibi propitiam reddant; vt Sanctorum patrocinia concilient; vt ad eorũ ſocietatem properent; vt ad amiſsam Cæli hæreditatem ſuſpirent; vt remiſſam voluntatem excitent; vt commiſſam deſleant iniquitatem; deniq; vt diuinæ

gra-

gratias agant clementiæ. Interim hæc omnia parui facientes; totos penè dies istos carni dicãt, & sæculi voluptatibus; templum & oratorium Diaboli (vt vtar verbis Marchanti) cauponas scilicet frequentant; ibi cantus eius & psalmi, cantica, nimirum lasciua & iuramenta resonant; ibi sacrificant ventri tanquam Deo; ibi se ostendunt inimicos Crucis Christi, & amari fellis, quo potatus est propter peccata nostra; illius enim amaritudinem crapula sua renouare censentur.

8. Ebrietas dicitur (*insania voluntaria*) quia hominẽ ratione priuans amentem reddit & stultum. Hunc despiciũt Angeli, illudunt Dæmones, irridentur homines, conculcant omnes & ludibrio habent. Certè hoc solum sufficiens esset vt homines ab hoc vitio deterreret. Extat ad hoc propositum celebre dictum apud Apuleium lib. 3. floridorum, Prima, inquit, *Cratera ad sitim pertinet.* Secunda *ad hilaritatem.* Tertia *ad voluptatem* Quarta *ad insaniam.* Voluntaria certè insania, quæ reddit hominem iumentis insipientibus similem, neglecto rationis honore, quo Angelis, Deoq; ipsi similis est effectus. Sed & insipientior redditur iumentis, quandoquidem illa vltrà satietatem haud se ingurgitare videmus, vt supra diximus.

9. Ebrietas dicitur (*Prodigalitas seu effusio bonorum*) Hoc patet experiẽtia, nec id opus est exemplis comprobare, ipsimet ebriosi fatentur & licet fateri nollent, satis id ostendũt vxorum & prolium voces. Hinc scriptum est Eccl. 19. *Operarius ebriosus non locupletabitur.* Et Prou. 21. *Qui congregauit merces, misit eas in saccum pertusum.* Verè ebriosi mittunt merces in saccum pertusum, hoc est in ventrem; quia quicquid per totam hebdomadam congesserunt labore & industria sua, die festo vel Dominico occurrẽte in popinis expẽdunt, & in ventrem conijciunt.

10. Ebrietas dicitur (*Turpitudo morum, dedecusque vitæ*) & sanè

ſanè quid turpius ebrioſo oculis hominum obijci poteſt? hæc turpitudo manifeſtè apparet ex ſignis ebrietatis quæ Hipp: lib. 2. prænot. 8. & Ariſtot. ſect. 3. problem. adducunt. Ebrius enim ſudat magis quàm antea; difficulter ſpirat: ipſe ſe ipſo grauior eſt ac humidior, ſed & lætior quoque niſi caput illi ſupinus doleat; iacet, hiat, ſternit, ridet abſque cauſa, abit in furorem talem quandoque vt alios pulſet; mictio illi inuoluntaria, vrina albida, tortuoſa deambulatio, oculorum inconſueta turbiditas ac luciditas, nimia ac irrationabilis locutio, atque alij turpes effectus ſecundũ naturam, quantitatem, ac qualitatem epoti vini; adeò vt iure meritò ex Pittaci lege, vt refert Ariſt: 2. Polit. cap. vlt. maiori pœna damnarentur ij, qui in ebrietate aliquem percuſſiſſent, quàm ſi ſobrij id feciſſent.

11. Ebrietas dicitur (*Honeſtatis infamia*) quid enim inhoneſtius eo qui nec ipſam honeſtatẽ agnoſcit. Omitto exempla Noe & Loth de quibus ſupra. Certè apud Romanos nõ alia de cauſa Vinum erat mulieribus interdictum, niſi quia vinolenta & commeſſatrix mulier ſi nupta fuiſſet adultera, ſi ſoluta meretrix reputabatur: ob idque vt Tiraquel. refert de leg. conub. par. 9. l. 9. conub. glos. 1. n. 206. contra vini vſum apud mulieres lex à Romolo poſita erat in hæc verba. *Si vinum biberit domi v'i adultera puniunto.*

12. Et vltimo. Ebrietas dicitur (*Animæ corruptela*) eſt enim illa peccatum mortiferum ex genere ſuo, animam mirè commaculans; & velut peſtis contagioſa illã inficiens, ac coram Deo & Angelis eius omnino fœtentem reddens. Non ita fœtet corpus peſtilens coram hominibus, ſicut anima ebrij coram Spiritibus Cæleſtibus. Peſtis è domo procul eijcit omnes eam incolentes; Ebrietas ex anima eijcit cunctos Sãctos habitatores, Spiritum Sanctum cum donis & virtutibus, cunctiſq; pijs deſiderijs; ac ſimul omnia bona opera in ea commaculat. Quid plura Ebrietas conſtituit peccatorem in

certo

certo & ineuitabili æternæ damnationis periculo, idq; ſpecialiter præ alijs peccatis. Alij enim peccatores, ſi mors ingruat, poſſunt cõteri, cum ſint rationis compotes; poſſunt & Sacramentis expiari. Solus ebrius nec Pœnitentiã agere nec aliorum eſt capax Sacramentorum, ita vt ſi lædatur, vel catarrho ſuffocetur, vel nimio vino obruatur (vt audiui de nonnullis) certò certius damnationem debeat expectare. O res igitur infanda. O vitium ſuper omne deteſtabile, deteſtandum. O infelices qui tali vitio detinentur captiui. Sed veniamus ad exempla, ſi fortè per hæc Dominus Deus dignatus fuerit eos qui in eiuſmodi ſordibus ſedent, benigniter eleuare.

§ 3. *Adducuntur Exempla.*

MVlta poſſem adducere exempla in deteſtationem huius peſtiferi vitij, ſed quia ſtudemus breuitati; tribus ſolis contenti erimus.

Primum igitur ſit deſumptum à Thoma Cantipratenſi lib. 2. apum cap. 58. par: 2. ſedebant, inquit, in taberna viri quidam; & cum incaluiſſent mero, varios inter ſe ſermones miſcebant, inciditque quid futurum foret poſt hanc vitã ſermo ille. Tunc vnus. (Vanè decipimur à Clericis dicentibus, animas ſine corpore viuere poſt mortem) hoc dicto, omnibus in riſum concitatis, ſuperuenit homo ſtatura robuſtus & grandis: Vinum & ipſe poſtulabat, quæritque quis ſermo inter eos? (De animabus, inquit ille, ſi quis meã emere velit, optimo pretio darem, & pretium in commune ad bibendum conferrem) Ridentibus omnibus is qui ſuperuenerat, ait: (Talem ego mercatorem quæro. Paratus ſum eam emere; dic pretium) Conuentũ eſt de pretio, ſoluit emptor, bibitur calice pleno. Veſpere facto, ait (Tempus eſt vt quiſque ad ſua reuertatur, ſed antea date iudicium. Si quis emerit equum capiſtri vinculo alligatum, nunquid & ius habet

in

in capistrum) Affirmant omnes. Mox ergo venditorem cum Anima & Corpore in conspectu omnium eleuat, & secum absq; dubio ad inferna traducit. Dæmon enim erat in specie hominis.

Secundum exemplum refertur à Gabriele Prateolo apud Marchantum in sua tuba Sacerdotali, tract. 5. lect. 2. & contigisse ait in Germania in Hakerhouio pago. Duo ibi ingressi hospitium, vinum petierunt, & primo quidem ipsis sat tenue, quod Hornanum vocant. Instituerunt ipsi pro meliori, & obtinuerunt vinum vetus sat probum; sicq; cæperunt inter se scyphis certare, cachinnari, debacchari. Cum incaluissent mero dicit vnus: cui nunc bibam? Respondet alter Bibe Deo, videbis quid responsurus sit. Vitrum arripit miser; & his verbis Deum compellat. (ò Deus audi me, tibi de pleno scypho propino, & nisi rationem feceris, iniuriam mihi feceris) sed de quo ei fundam interrogat ipse socium, cum duplex nobis sit vinum: additq; Hornanum mihi fundendum licet crudum & tenue, sat præstans pro ipso est. Leuans ergo manum ait. (Tibi ò Deus. Miror an reperies bonum? si hoc anno illud melius effecisses melius bibisses) his prolatis confestim irriguit, immobilis factus, sine sensu respirationis quoq; & loquelæ impotens, quamuis oculus clauderet ac aperiret. Socius eo prodigio deterritus fugit; tunc præsentes amouere conati sunt; sed frustra; Vocantur ergo scabini loci, quorum decreto homo funibus & tribus equis extrahi iussus est, sed nihil effectum. Quo circa Magistratus id iusto Dei iudicio fieri agnoscens, tota rei veritate perspecta, ignē admoueri iubet, vt cõtemptor ibidem comburatur, sed ignis nunquam potuit accendi: sic multò tempore ibi stetit immobilis ille, non loquens, nec bibens, neque manducans, vt omnes agnoscerent iudicium Dei.

Tertium exemplum habet Delrio; tom. 2. l. 3. disq. mag. p. 1. 4. 7. & relatum ab eodem Marchanto loc. cit. In Flandriæ

driæ Comitatu Prioratus est, tres vbi nominetenus Monachi degebant, qui non nisi belluari, & libidinari nouerant, quadam die in seram noctem compotatione protracta, vnus minus inter eos scelestus ait (sat Bacho, libinię; datũ, Deo saltem grates agendæ.) Alter procacior respondet (ego Dæmoni gratias ago, & agendum censeo cuius opus agimus) sic mensa cum risu relicta est, & ipsi in cubicula reuersi singuli cum scorto vix decubuerant, ecce tibi in triclinium vi ianua reserata, Dæmon atri, & trucis viri specie habitu venatorio, & cum eo coci duo paruuli obambulabant. Hic lectos circumspicit toruo vultu, deinde horrenda voce: *Vbi qui mihi gratias egit? adsum referam* lecto abstrahit pauitantem, & fermè præ metu animam efflantem. Traditum cocis iubet infigi veru, & luculento igne probè assari parent promptè: assatur infælix; & assi corporis nidore cubiculum impletur. Demum venator ad superstites sub stragulis trepidantes vix viuos. *Digni vos etiam* ait *pari supplicio, nec deest voluntas mihi: Vetor vi maiore: Inuitus abeo, & moneo: resipiscite, aut manent terribiliora.* Disparent laruæ, nec tamen his alijs redijt vel vox nisi clara iam luce. Vbi surrexere collegam inueniunt mortuum; & ne visum inane putes, plenè assum. Haud scio an ab aliquot sæculis quidquam ad exemplum vtilius acciderit. Hæc Delrius. Sed ò blasphemam vocem, ò blasphema mens animam; ò vim ebrioſæ & impuræ consuetudinis extollentem se contrà Deum, quæ meritò confestim tali succidi supplicio commeruerit.

§. 4. *De excusationibus vanis Ebriorum, cum suis Responsionibus.*

DIcunt Ebrij in excusationem suam. Primò Vinum à Deo creatum est, ergò illo oportet vti, & quidem in copia licet; sin secus non liceret se vnquam recreare.

Respondet sapiens Eccles. 35. *Vinum creatum est à Deo non in ebrietatem sed in iucunditatem.* Vnde oportet illo vti non ad

 satie-

ſatietatem & ſupereffluentiam; ſed ad menſuram; quando-quidem vinum moderatè ſumptum multa bona corpori & animæ præſtare poteſt; nam Plato 2. de legibus dicit: à Deo vinum contributum hominibus quaſi optimum præſidium conſeruandi ſenectutem, quòd vino iuueneſcere videatur, & abolere mæſtitiam. *Plinius lib. 23. cap. 1. ſic ait.* [Vino modico nerui iuuantur, copioſiore læduntur, ſic & oculi ſtomachus recreatur, appetentia ciborum inuitatur, triſtitiæ cura hebetatur, vrina & algor expellitur, ſomnus reconciliatur, præterea vomitatem ſiſtit.] *Galen. lib. de compoſ. pharmac. ſecundum locos cap. 7. ita loquitur.* [Vinum nutrit, concoquit, roborar, putrefactioni reſiſtit, & intemperiem à frigiditate & humiditate contractam, citra omnem moleſtiam, ac ſecurè per ſanat.] *Hinc Apoſtolus ad Timotheum ſcribẽs inquit. 1. Tim. 5.* [Noli adhuc aquam bibere; ſed modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.] Ecce ad quid à Deo creatum eſt vinum.

Secundò dicunt. Non ego ebrietatem amo, ſed oportet amicis ſatis facere, ſi enim ad Conuiuium vocatos non tracto liberaliter, & quantum voluerint potum ſubminiſtro, ſine gratia eos dimitto.

Reſpondet *Auguſtinus ſerm. 231. de temp.* [Non ſit tibi amicus, qui te Deo vult facere inimicum, qui & tuus & ſuus eſt inimicus. Si & te, & alium inebriaueris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum. Et ideo ſapienter conſidera iuſtum ſit, vt te à Deo ſepares dum te ebrioſo coniungis. Ad extremum, tu eum noli adiurare, noli cogere, ſed in poteſtate illius dimitte, vt quantum ipſi placuerit bibat; & ſi ſe inebriare voluerit, vel ſolus pereat, & non ambo pereatis.] Hinc in illo magno conuiuio Regis Aſsueri, de quo in lib. Eſther cap. 1. ſcriptura ſacra ſignanter dicit, quòd *nec erat qui nolentes cogeret ab bibendum.*

Tertiò dicunt aliqui. Perſona potens me coegit, & ſocietati

cietati satisfaciendum fuit, nec potui aliter.

Respondet *S. Augustinus serm.* 232 *de temp.* [Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus, & quod implere nolumus, non potuisse nos dicimus. Nolle, in culpa est nostra, & non posse prætenditur. Etiam si ad hoc veniretur, vt tibi diceretur: Aut bibas, aut morieris: melius erat vt caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moriretur. Sed excusatio ista falsò obijcitur. Ipsi enim Reges, & quicunq; sunt alij potentes, quia Deo propitio, & Christiani sunt, & prudentes, & sobrij, & toto corde Deum timentes, si te viderent definiuisse vt eis non acquiescas pro timore Dei inebriari, & si tibi sub hora videantur irasci, postea verò te in grandi admiratione suscipiunt, dicentes: quantum cum illo egimus, quantis eum minis & terroribus fatigauimus, & tamen nunquam eum à sobrietate separare potuimus. Nam & Deus qui te videt propter eius amorem inebriari non velle, ipse tibi gratiam illorum dabit qui, te vt amplius biberes videbantur hortari & cogere. Ille qui ebrietati resistit, si cum Dei adiutorio perseuerare voluerit, & pro ipso ille aliquas pertulerit tribulationes, omnia ei Dominus ad martyrij gloriam reputabit.] *Hæc Augustinus.*

Quartò dicunt alij se siti frequenter premi, oportere eam extinguere; seq; consuetudine bibendi ita implicatos, vt sine maxima difficultate, & nec sine periculo sanitatis desistere neutiquam valeant.

Respondet *Augustinus ibid.* [Qui se de hoc malo desiderat liberare, quẽadmodũ sibi interuallo dierũ potum addendo ad ebrietatis tenebras peruenit; ita paulatim subtrahendo ad sobrietatis lucem redeat.] *Hoc est sanũ consilium Augustini.*

Quintò & vltimo dicunt multi: exiguũ istud est peccatum ebrietatis, contra quod consuetudo obtinuit, & quodammodo præscripsit.

Respondet *Diuus Augustinus ibid. & dixit.* [Tanta infelicitate

tate ſe inebriant homines, quia putant ebrietatem, aut paruum, aut nullum peccatum eſſe, ſed pro illa ignorantia maximè Sacerdotes in die iudicij reddituri ſunt rationem ſi commiſſis ſibi populis, quæ vel quanta mala de ebrietate naſcũtur aſſiduè, noluerant prædicare Qui ergo credit ebrietatem eſſe paruum peccatum, ſi ſe non emendauerit, & pro ebrietate ipſa pœnitentiam non egerit, cum adulteris & homicidis æterna ſine remedio pœna illum cruciabit ſecundum illud Apoſtoli: Neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque molles, neque maſculorum concubitores, neq; adulteri, neque ebrioſi Regnum Dei poſſidebunt. Videte qualiter Apoſtolus ebrios cum fornicatoribus &c. coniunxit. Sciant ergo hi conſuetudine improba peccatum non diminui, quin potius augeri; nam coſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt; non ergo hominum conſuetudo ad praua ducentium, ſed Dei veritas, quæ per Prophetas, per Apoſtolos, per ipſam Domini vocem nobis innoteſcit, ſequenda eſt, niſi interitum & perditionem adamemus. Neque erit illis minus ſupplicium, quin potius ſupplicij incrementum ebrioſi accipient ex multitudine peccantium, & conſortio eorum qui ſimili culpa colligati, ſimili pœna inuoluentur.] *Hæc Auguſtinus.* [Neque verò illi ſolum qui inebriant ſe grauiter peccant, ſed & illi qui ad ebrietatem alios inducunt, vt patet ex verbis Ambroſij de ieiunio cap. 14. ſupra allegati qui eos ſic arguit. *Rogas ad iucunditatem, cogis ad mortem, cibos pro mittis, tormenta irrogas, Vina prætendis, venena ſuffundis. Omne quod nocet venenum eſt.*

CAPVT IX.

De Remouendis Ludis & Venationibus.

DVo continentur in hoc capite. Remotio Ludorum: & Remotio Venationũ. Per Ludos remouẽdos intelligimus Spectacula, Comœdias, Fabulas, Choreas, Ha-

Hastiludia, Saltationes: nec non ludū alearum & taxillorum. Per Venationes intelligimus illas, quæ fiunt cum strepitu & clamore: Vel cum magno sumptu: Vel cum periculo: Vel cum armis.

§. 1. *De Ludis.*

QVod igitur attinet ad Ludos. Interdicuntur Clericis ludi multis in locis Sacrorum Canonum. In primis ludus alearum prohibetur *dist* 35. *cap.* 1. *his verbis.* [Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ atque ebrietati deseruiens, aut desinat, aut certè damnetur; Subdiaconus, aut Cantor similia faciens, aut desinat, aut cōmunione priuetur] Spectacula prohibentur *in cap. non oportet. dist.* 5. *de consecratione his verbis.* [Non oportet ministro altaris, vel quoslibet Clericos spectaculis aliquibus, quæ aut in nuptijs, aut scenis exibentur interesse.] Itèm ludi theatrales prohibentur in *ca. Cum decorem. de vita & honest. Clericorū. sic.* [Interdum ludi fiūt in Ecclesijs theatrales, & non solum ad ludibriorum spectacula introducuntur in eis monstra laruarum, verùm etiam in aliquibus festiuitatibus Diaconi, Presbyteri, ac Subdiaconi insaniæ ludibria exercere præsumunt: *Et infrà.* Fraternitati vestræ mandamus quatenus ne per huiusmodi turpitudinem Ecclesiæ inquinetur honestas &c.] *Et cap. penult. ibid.* [Clerici officia vel commertia secularia non exerceant maximè inhonesta, minus ioculatoribus, & histrionibus non intendant. Et tabernas prorsus euitent, nisi fortè causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas & taxillos non ludant; nec huiusmodi ludis interfint.] *Prohibetur Clericis adesse nuptijs, Choreis & saltationibus per textum in cap. Presbyteri* 34. *dist. vbi sic habetur.* [Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, vel deinceps quibus ducendi vxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum euitent conuiuia: nec his cœtibus misceantur, vbi amatoria cantantur & turpia, aut obscœni

ſcœni motus corporis choreis & ſaltationibus efferuntur: ne auditus aut obtutus ſacris myſterijs deputati turpiũ ſpectaculorum atq; verborũ cõtagio polluãtur] *Nouiſſime Sac. Conc. Trid. ſeſſ. 22. de reſor. cap. 1. ſic ſtatuit.* [Sancta Synodus ſtatuit, vt quæ aliàs à ſũmis Pontificibus, & à Sacris Concilijs, de Clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda, ac ſimul de luxu, commeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcunque criminibus, nec non ſecularibus negotijs fugiendis copioſe ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem in poſterum ijsdem pœnis vel maioribus arbitrio ordinarij imponendis, obſeruentur, nec appellatio executionem hanc, quæ ad morũ correctionem pertinet, ſuſpendat.] Vnde exiſtimo p Conciliũ omnes ludos, luſusq; dan nari in Eccleſiaſticis perſonis; quia vniuerſaliter & indiſtinctè loquitur. Et quamuis nonnuli Doctores apud *Auguſtinum Barboſam de Iure Eccleſiaſtico vniuerſo lib. 1. cap 40. n. 67* arbitrentur non tam ſtrictè Canones eſſe intelligendos; & per illos non prohiberi ludos, qui conſiſtunt in ingenio, aut virtute corporis: Nihilominus etiam prædicti Auctores permittunt huiuſmodi ludos cum infra ſcriptis reſtrictionibus. 1. Vt Eccleſiaſtici ſecretò & in ſuis ædibus ludant; non autem publicè 2. Vt ludus ſit cauſa honeſtæ recreationis; nõ autem cauſa inhoneſtæ voluptatis, aut auaritiæ, aut cupiditatis. 3. Vt in dictis ludis Clerici non habeant laicos admixtos. 4. Vt non inſumant multum temporis in illis; ita vt diſtrahantur à diuinis officijs. Hinc deſumi poteſt regula de ludo Schacchorum ſeu latrunculorum quando, quibus, & quomodo ſit permiſſus, qui ludus quamuis certè ingenio conſtet, ac proinde iuxtà Doctores à Barboſa allegatos permiſſus cenſeatur; non conuenire tamẽ videtur viris ad ſtudia literatũ, & grauiora negotia incumbentibus, quos mentem fatigatam recreare magis decet ceſſatione & quiete, quàm nouo meditationis labore, & forſaſſe intenſiore grauare. Ego certè de me fateri poſſum

possum, quòd nunquam quicquam boni in eo ludo deprehenderim (quamquam magnifacio & ingenium inuentoris, & ingenium professorum) semper enim, si quando (rarò tamen) huiusmodi ludo occupatus fui, non nisi iacturam temporis, defatigationem mentis, & subsequentem inhabilitatem ad magis seria & vtilia reportaui. Et quod mihi semper admirationem intulit, vt plurimum illi qui hunc ludum profitentur, tali exercitationi vacant à prandio & à cæna; quò sanè nihil perniciosius valetudini. Ipsi viderint. Ego autem illis parco. Bonum certè esset omnino abstinere: aut saltem rarissimè tali ludo vacare, tempore scilicet quo corporis sanitas lædi non posset, neque mens admodum defatigari. Si quis in meam venerit sententiam (vt magis in ea confirmetur) audiat exemplum. *ex Baron. tom. 11. annal. ad. an. Dom. 1061. sumptum Ex Petro Damiano ijs planè verbis.* [Hic planè si quod mihi de Venerabili Florentiæ Ciuitatis Episcopo cõtigerit, recolo, alienum esse ab ædificatione non credo. Dum aliquando illi essem comes itineris vespertinum tandem subeuntes hospitium, ego in Presbyteri cellam semoui; is verò in spatiosa domo cum commeantium turba resedit. Mane autem facto à meo agasone significatum est, quòd prædictus Episcopus ludo præfuerat Schacchorum. quod profectò verbum velut sagitta cor meum acutissimè pupugit, & indignationis vulnus inflixit. Hora autem, quæ mihi videbatur electa, conuenio hominẽ, & acriter inuehor. Rectene, inquam, tuiq; erat officij vespere in Schaccorum vanitate colludere; & manum Dominici Corporis oblatricem, linguam inter Deum & populum mediatricem sacrilegi ludibrij contaminatione fedare? præsertim cum canonica decernat auctoritas vt aleatores Episcopi deponantur: Et quid prodesset, quẽ efficaciter auctoritas damnat, etiamsi extrinsecus iudicium non accedat? Ille autem ex diuersitate nominum, defensionis sibi faciens scutum, ait, aliud esse

Schac-

ſcacchum aliud aleam; aleas ergò auctoritas illa prohibuit, ſcacchos verò tacendo eſſe cõceſſos. Ad quod ego ſcacchũ, inquam, ſcriptura non ponit; ſed vtriusq; ludi genus aleæ nomine comprehendit; Quapropter dum alea prohibetur & nominatim de ſchaccho nihil dicitur, conſtat proculdubio vtrumq; genus comprehendi vno vocabulo, vnius ſententiæ auctoritate damnatum. Tunc ille redditis rationibus humiliter acquieuit; culpam nullatenus iterandam certa pollicitatione conſtituit; iniungi ſibi pœnitentiam poſtulauit. Cui mox præcepi vt ter Pſalterium meditando percurreret, ac duodecim pauperum pedes ſub totidem numiſmatum erogatione, eorumq; recreatione lauaret. Hac ſcilicet ratione perſpecta, vt quoniam hæc culpa manibus & ſermonibus commiſſa erat, lauando pauperum pedes, ſuas potius à culpæ contagio manus ablueret, & imprimens alienis veſtigijs ora, pacem ſibi cum Domino, quem per flendos iocos offenderat, reformaret.] Hoc autem diximus, vt quàm inhoneſtũ, quàm abſurdum, quàm deniq; fædum ſit hoc ludibrium in Sacerdote, ex alterius emendatione noſcatur. *Hac Baronius, & refert Dauroutius ſlor. exemp. cap. 4. tit. 6. exemp.* 11. Vnusquiſq; abundet in ſuo ſenſu. Certum eſt quod ſi de perfectione agimus, quam intendimus in hoc opere noſtro, melius eſt abſtinere à tali ludo ſicut à cæteris, quàm illi incumbere. Sed veniamus ad venationes.

§. 2. *De Venationibus.*

QVoad Venationes. Prohibetur Venatio Clericis vt apparet *in titulo de Clerico Venatore. Vbi cap.* 1. *ſic habetur.* [Epiſcopum, Presbyterum, aut Diaconum, canes, accipitres, aut huiuſmodi ad venandum habere non licet, quod ſi quis talium perſonarum in hac voluptate ſæpius detentus fuerit, ſi Epiſcopus eſt tribus menſibus à Commu-

munione; si Presbyter duobus; si Diaconus ab omni officio suspendatur.] *Et cap. seq.* [Omnibus seruis Dei venationes & syluaticas vagationes cum canibus, & accipitres, ac falcones interdicimus.] *Et nouissimè Conc. Trid. sess.* 24. *de reform. c.* 12. *sic ait loquendo de Ecclesiasticis.* [Ab illicitis venationibus, aucupijs, choreis, tabernis, lusibusq; abstineant, atq; ea morum integritate polleant, vt meritò Ecclesiæ Senatus dici possit.] Verum quidem est quod *Glos. in dicto cap.* 1. *de Cleric. Venat. verb. voluptate,* & alij Doctores communiter volunt, sanitatis vel recreationis causa Clericos venationibus vti non prohiberi; dummodo id faciant cum silentio & modestia & rarò; nam in eodem cap. dicitur si ad voluptatem venati fuerint, & sæpius in ipsa voluptate detenti. Nihilominus aliud est loqui de permissione; aliud de perfectione: potest quidem permitti Clericis venatio eo modo quo dictum est, & excusarentur quidem à peccato, sed quòd hoc perfectionis sit, negamus. Vnde Nicolaus Papa in cap. 1. dist. 34. Lanfredum venationi deditum reprehendit, additq; ex Sancto Hieronymo *Venatorem nunquam legisse Sanctum.* Cuius dicti ratio esse potest, inquit *Barbosa de iur. Eccles. Vniuer. lib.* 1. *cap.* 40. *n.* 81. quia Venatores miserandam in animalibus exercendo carnificinam, multum inde sanguinariæ crudelitatis assumunt, & mentem induunt ab omni pietate alienam. Non obstat quod obijcit Glos. verb. Venatorem in eod. cap. dist. 34. de S. Eustachio. Quia benè resoluit dicens quòd deseruiens venationi non est sanctus; sed qui semel fuit venator, potest relicta venatione postea effici sanctus peracta iam pœnitentia. Et certè satis grauè est inquit *Petr. Greg. Syntag. Iur. lib.* 39. *cap.* 10. *nu.* 14. videre hominem diuino cultui deputatum indecorè vagantem, & vociferantem insectari feras. Nam si victus gratia id fiat, cur de ciborum delectu tanta solicitudo? Si turpis lucri causa nonne crudele nimium & horrendum videtur ex facultatibus Ecclesiæ ad vsum pau-

perum relictis canes, aues, venatores & nebulones nutrire? ſic delicias ſæculi quærit cui dictum eſt à Deo. *Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & tolle Crucem tuam quotidie & ſequere me?*

Piſcari autem Clericis licere dubiũ nõ eſt exemplo Apoſtolorũ, quos piſcatores ad ſe Saluator noſter vocauit Matt. 4. Marc. 1. & Luc. 5. qui quidem Apoſtoli non ſolùm ante, ſed etiam poſt vocationem, piſcationem exercuerũt, quamuis non ita frequenter, & aſſiduè vt ante, ſed aliquando, præſertim victus cauſa, vnde *S. Gregorius Homil. 24. in Euang.* quærit cur Petrus, qui piſcator ante conuerſionem fuit, poſt conuerſionem ad piſcationem redijt, cum veritas dicat. Nemo mittẽs manum ſuam ad aratrum, & aſpiciens retrò aptus eſt Regno Dei? Cur repetijt quod reliquit? Reſpondet *idem met Greg. & dicit.* [Quòd ſi virtus diſcretionis inſpicitur, citò videtur; quia nimirum negotium quòd antè conuerſionem ſine peccato extitit, hoc etiam poſt conuerſionem repetere culpa non fuit. Nam piſcatorem Petrum, Matthæum verò telonarium ſcimus: Et poſt conuerſionem ſuam ad piſcationem Petrus redijt; Matthæus verò ad telonei negotium non reſedit; quia aliud eſt victum per piſcationẽ quærere, aliud autem telonij lucris pecunias augere. Sunt enim pleraq; negotia, quæ ſine peccatis exhiberi aut vix aut nullatenus poſſunt. Quæ ergò ad peccatum implicant, ad hæc neceſſe eſt vt poſt conuerſionem animus non recurrat.] *Hæc Gregorius:* Cõceditur itaq; Clericis piſcatio, cum duplici tamen reſtrictione, *vt ait Barboſa loc. cit. n.* 82. Primò vt artem illam piſcandi diebus præſertim ſolemnibus non exerceant, tunc enim Eccleſiaſticis officijs intereſſe debent & inſeruire; in alijs feſtis permittitur præſertim ſi neceſſitas ſuadeat. Secundò vt non aſſiduè id exerceant; non enim Apoſtoli poſtea quã gratiam Dei nouerunt, piſcationibus operam dabãt aſſiduè, vt dictum eſt; imò relictis retibus ſecuti ſunt Chriſtum Dominum.

De-

Debẽt igitur Clerici(quo nomine veniũt omnes Eccle siastici) quantum fieri potest abstinere à venationibs: si autem venari voluerint discant venari Deum, vti faciebat qui dam deuotus Anachoreta, Narrat enim Theodoretus Cyrrhi Episcopus relatus *à Dauroutio florum exemplorum cap. 4. tit. 7. exemp. 3.* in vita Macedonij cognomento Chriptophagi, (sic autem dicti, quod hordaceo pane vescerentur) Ducem quendam militiæ qui venatione delectabatur, montem venaturum ascendisse, quem sequebantur canes, milites, & quæcunque apta sunt venationi. Cum autem procul hominem vidisset, & quisnam esset à domesticis accepisset, confestim equo descendens accessit, ac salutauit, rogauitq; ecquid ille ageret? Tu verò, inquit, cuius rei gratia huc te contulisti? Vt feras venarer, at ille. Et ego, respondit, meum Deum hic venor & capere eum gestio, & videre desidero. Neq; vnquam ab huiusmodi venationis genere desistam. His dictis Dux admiratus virtutem eius abscessit.

Cæterum ex venationibus animaliũ sæpè multa incõmoda sequuntur, imo mors ipsa. Ludouicus Bauarus Imperator venando, & concitatius equitando apoplexia correptus expirauit. Ioannes Maurus Imperator Constantinopolitanus, aprum interempturus sagitta venenata, vulnerauit suam ipsius manum; vnde intrà paucos dies occubuit. Grimoaldus Longobardorum Rex nono die posteaquam medicis curantibus in lacerto venam aperuerat, cum arcu columbam peteret, aperta repentè vena, tantum effudit sanguinis, vt cum sanguine vitam quoq; finiret. Quidam alter miles potentissimus cum multos ex subditis quotidie secum vagari cogeret, & venationibus insudare; & per hoc plerique culturas agrorum, & propria negotia dimittentes, ad paupertatem & inopiam cum vxoribus & liberis deuenirent, accidit vt vna dierum cum priuata domus suæ familia ipse ne mora ingressus feram impeteret; At cum nihil proficeret to-

ta die ; ſed ſemper feram videret ante fugientem , in amentiam verſus , cum ſuis omnibus feram nocte ſequutus eſt. Et ex illa die nullus hominum ſciuit , aut vidit quid de eis factum ſit, aut quo euenerint . Dixerunt nonnulli , & benè credimus quòd , hiſcente terra viui abſorptiſunt , & ad inferna tranſmiſſi , ſicut Dathan & Abiron. Ex Dauroutio loco citato.

CAPVT X.

De Remouendis Litibus , Iurgijs , & Percuſſionibus.

LIs dupliciter accipitur. Vno modo pro Controuerſia quæ vertitur inter actorem & reum in iudicio coram Iudice ; Et hæc propriè dicitur Lis, ſic dicta à limite; id eſt,termino,eo quòd primæ inter homines lites de limitibus fuerint. Alio modo pro contentione & contradictione quæ verbis habetur,& hæc propriè vocatur litigium,vel iurgium. In hoc ſolum differunt Lis & litigium , ſeu Iurgium, teſte Nonnio apud Calepinum verbo lis;quod lenior diſſẽſio, vel diſcordia inter beneuolos, aut propinquos Iurgium: grauior verò diſceptatio inter inimicos Lis dicatur Cic. de Rep. 4. *ſi iurgant , beneuolorum concertatio eſt : nam lis inimicorum non iurgium dicitur.* Et paulo poſt. *Iurgare igitur lex putat inter ſe vicinos , non litigare.* Vtroq́: modo accipiemus nomen litis in hoc capite , ſcilicet tàm pro controuerſia in iudicio, quàm pro contradictione extrà iudicium , quæ dicitur litigium , quando ſcilicet vnus verbis alterius contradicit. In qua quidem contradictione,*vt ait Diuus Thomas.* 2. 2. *q.* 116. *art.* 1. duo poſſunt attendi. Quandoq́; enim cotingit contradictio propter perſonam dicentis, cui contradicens conſentire recuſat propter defectum amoris animos vnientis; Et hoc videtur ad diſcordiam pertinere charitati contrariam: Quandoq́; verò contradictio oritur ratione perſonæ,

quam

quam aliquis cotristare non veretur; Et fit litigium quod amicitię vel affabilitati opponitur(quod iuxtà Ciceronẽ nos appellaremus iurgium)ad quam pertinet delectabiliter àlijs conuiuere. Vnde Phil. dicit in 4.Ethic. quod alijqui ad omnia contrariantur causa eius quod est contristare,neq;quoscunq;curantes,discoli & litigiosi vocantur.

Debent igitur Ecclesiastici omnes præcipuè Sacerdotes cauere à litibus, Iurgijs,& percussionibus multiplici ex capite. Primò propter Auctoritates Sacræ Scripturæ,Sacrorum Canonum, & Sanctorum Patrum. Secundò propter Rationes. Tertiò propter exempla. Et quia non negamus licere aliquando Ecclesiasticis tum lites habere, tum percutere. Ideo Quartò loco tractabimus quando, & quomodo prædicta sint licita.

§. 1. *Adducuntur auctoritates Sacræ Paginæ, Sacrorum Canonum & Sanctorum Patrum.*

INcipiendo igitur ab auctoritatibus Sacræ Paginæ. A iurgio & litigio omnibus Ecclesiasticis abstinendum esse docemur à Spiritu Sancto per Apostolum Paulum frequenter in suis Epistolis. Nam 2. ad Timot.2. sic habetur. *Stultas & sine disciplina quæstiones deuita, sciens quia generant lites. Seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.* Et ad Titum 3. *Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita.* Et 1. ad Corint. 11. *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei.* Et 1. ad Corint. 6. *Iam quidem omne delictum est in vobis; quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patiminis? Sed vos iniuriã facitis,& fraudatis,& hoc fratribus &c.* Sanè Apostolus censuit potius iniuriam patiendã, quam iure contendendum præsertim cũ siniſtra opinione; doctus vtiq; à Chri-

sto,

ſto, qui Matth. 5. inquit. *Et ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Plura enim ſunt mala, quæ ex litibus oriuntur, earumq; prouocatores mali, ſuperbi, & arrogantes cenſentur; nam vt ait Spiritus Sanctus Prouerb. 11. *Inter ſuperbos ſemper ſunt iurgia.* Et cap. 15. *Vir iracundus prouocat rixas, qui patiens eſt mitigat ſuſcitatas.* Et cap. 17. *Semper iurgia quærit malus.* Et cap. 20. *Honor eſt homini, qui ſeparat ſe à contẽtionibus; omnes autem ſtulti miſcentur contumelijs.* Vnde Eccleſ. 28. *Abſtine te à lite & minues peccata.*

Damnantur etiam à Sacris Canonibus litigia & iurgia in Eccleſia ſticis; imò litigioſi prohibentur ordinari, vt inquit *Diuus Antoninus* 3. *part. tit.* 13. *cap.* 3. §. 10. triplici de cauſa. Prima. Quia non ſunt apti ad humilem doctrinam quæ exigitur ab eis. Vnde Hieronymus. *Nihil impudentius arrogantia ruſticorum, qui garrulitatem auctoritatem putant, & parati ad lites in ſubditos tumide intonant.* diſt. 46. §. 1. Secnnda cauſa eſt. Quia litigioſi, vel adulationibus animos Principum ſibi conciliant; vel fratribus ſuis detrahendo infamiæ notam ingerunt; vel ſeditiones facere non ceſſant. Quæ vitia omnia prohibentur Clericis vt diſt. ead. §. 1. & cap. ſeq. Tertia cauſa eſt. Quia cũ ipſi debeant diſcordantes ad concordiam reducere & attrahere, non debent litigando alios ad diſcordiam prouocare. Vnde Cyprian. *Nec ad Cain, nec ad munera eius reſpexit Dominus. Neq; enim Deum placatum habere poterat, qui cum fratre non pacem, ſed Cæli diſcordiam habebat.*

De percuſſionibus, quantùm eas Sacri Canones execrentur fidem facit titulus particularis *de Clerico percuſſore, cuius primum caput ſic habet.* [Si quis in aliquo gradu ſacro percuſſor extiterit, corripiatur à crimine, & ſi non emendauerit, deponatur.] *Et diſt.* 45. *cap. Epiſcopum ita decernitur.* [Epiſcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum percutientem fideles delinquentes, aut infideles inique agentes, & per huiuſmodi volentem timeri, deijci ab officio ſuo præcipimus, quia nuſ-

nuſquam nos docuit hoc Dominus. E contrario verò ipſe cum percuteretur, non repercutiebat: cum malediceretur, non remaledicebat: cum pateretur, non comminabatur.] *Et cap. ſequenti præcipitur vt ſuperiores corripiant ſubditos non verberibus ſed verbis: ſic enim ibi dicitur.* [Cum beatus Apoſtolus arguere, obſecrare, vel increpare in omni patientia præcipiat, extra hanc doctrinam nouimus quoſdam ex fratribus tantis cædibus in honoratos ſubditos efferueſcere, quantas poterant latrocinantium promereri Perſonæ. Et ideo, qui gradus iam Eccleſiaſticos meruerunt, id eſt Presbyteri, Abbates, & Leuitæ, qui exceptis grauioribus, & mortalibus culpis, nullis debent verberibus ſubiacere; non eſt dignum vt paſſim vnuſquiſq; Prælatus honorabiliora membra ſua, prout voluerit, & ei placuerit, verberibus ſubijciat & dolori: ne, dum incautè ſubdita percutit membra, ipſe quoq; debitam ſibi ſubditorum reuerẽtiam ſubtrahat. Et ideò ſi quis aliter quam dictum eſt, prædictos honorabiles ſubditos, licentia perceptæ poteſtatis elatus, malitia animi tantùm, crediderit verberandos; iuxtà modum verborum, quæ intulerit, excommunicationis pariter, & exſilij ſententiam ſuſtinebit.]

Veniendo modò ad ſanctos Patres, *Diuus Auguſtinus relatus à Barb. de Epiſc. munere tit. 2. Glos. 14. loquẽdo de litibus ſic inquit.* [Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrimè finiatis, ne ira creſcat in odium, & trabẽ faciat de feſtuca, & animam faciat homicidam. *Idem Auguſt. relatus in cap. duæ ſunt. diſt. 45.* patientiam & manſuetudinem Eccleſiaſticis perſonis in primis conuenientem docere volens; & quod non debeãt ex quacũq; leui occaſione in litigia, & quod peius eſt in percuſſiones irrumpere; imò quod debeant dimittere: *ſic inquit.*] Duæ ſunt Eleemoſinæ, Vna Cordis, Altera Pecuniæ; Eleemoſina Cordis eſt dimittere ei, à quo læſus eſt: Nam dare aliquid indigenti aliquando quæris, & non habes: indul-

dulgere peccanti quantum volueris redundat tibi.] *Et posteà* Eleemosina Cordis, multò maior est, quàm Eleemosina Corporis. *Et infra* Charitatis Eleemosina sine substantia terrena sufficit sibi, alia verò, quæ corporaliter datur, si non legitimo corde tribuitur, omnino non sufficit. *Et Diuus Gregorius Hom.* 34. *in Euangel. sic inquit.* [Vera iustitia compassionem habet, falsa verò dedignationẽ: quamuis & iusti soleant rectè peccatoribus dedignari. sed aliud est quod agitur typo superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ. Dedignantur etenim, sed non dedignantes.] *Et post pauca* [At contra hi, qui de falsa iustitia superbire solent, cæteros quosque despiciunt, nulla infirmantibus misericordia condescendunt, & quò peccatores esse non credunt, eò deterius peccatores fiunt.] *Et Diuus Hieronymus relatus in cap. recedite dist.* 45. volens ostendere qualiter mansuetudine prouocari debent peccantes; non autem austeritate, iurgijs, & despectu abijci: *sic inquit.* [Recedite, *inquiunt* polluti recedite, abite, nolite nos tangere; Nolite in aliquo nobis communicare. Talis loquela non illuminat cæcum, non sanat ægrotum, non curat infirmum, sed magis occidit, atq; in desperationem periclitantem mittit. Boni etenim rectores ex sua infirmitate aliorum infirmitates pensantes magis per humilitatis & mansuetudinis leuamentum studeant peccantes ab erroris laqueo eruere, quàm per austeritatem in foueam perditionis nutantes propellere. Vnde doctor gentium factus sum, inquit, infirmus infirmis.]

§. 2. *Rationes afferuntur.*

QVod Lites, & Iurgia vitanda sint multipliciter suadetur. Et quidem si Lites accipiantur pro controuersijs quæ iudicijs tractantur, manifestè ostenditur esse eliminandas propter multiplicia mala quæ ex illis consequuntur,

tur, quæ tangit *Petrus Gregorius Tholosanus syn tag. Iuris Vniuersi lib. 47. cap. 1. à n. 10. & seq.* Nam primò Lites sunt veluti seminarium doli, inimicitiarum, & sæpè delictorum. *Clem. dudum. de sepult.* adeò vt sint quodammodo bellum sempiternum inter homines (vt quidam dixit) quod gerunt inter se perpetuò homines neq; indictũ, neq; vllis conditionibus, aut fœderibus dirimendum. Secundò per Lites interpellatur quies, & felicitas seu pax mortalium; vnde Martialis lib. 5. epigram. 21. sic ait.

Si tecum mihi, care Martialis
Securum liceat frui diebus
Si disponere tempus otiosum
Et veræ pariter vacare vitæ
Nec nos atria, nec domos parentum
Nec lites tetricas forumq; triste
Nostamus, nec imagines superbas.

Tertiò magnos sumptus requirunt, quibus splendida patrimonia citò deuorantur reuocatis à lucro exercendo litigantibus, iamq; quæsitis subtili ingenio extortis, aut euanescentibus in mercedes & salaria seu honoraria pragmaticorum, procuratorum, patronorum, tabellionum, & in sportulas Iudicum. Vnde Martialis suadet Sexto potius soluere quam litigare. sic.

Et petit Iudex petit & Patronus,
Soluas censeo Sexte creditori.

Quartò Lites hanc addunt crucem, quòd qui litigant perpetua animi anxietate conficiuntur, quamdiu certant de victoria, quia dubius est Litis euentus. Pulchrè ideo dicebat Beatus Iuo Aduocatorum patronus *vt refert Rebuffus tom. 1. ad leges Galliæ in proem. Glos. 1. num. 154.* quod in controuersijs causarum corporales inimicitiæ oriuntur, fit amissio expensarũ, labor animi exercetur, Corpus quotidie fatigatur, multa & inhonesta crimina inde consequuntur, bona & vti-

lia opera poſtponuntur;& qui ſemper credunt obtinere, frequenter ſuccumbunt; & ſi obtinent computatis laboribus & expenſis nihil acquirunt; vnde tutior eſt pax quàm incerta victoria. Italice. *E meglio vn triſto accordo, che vna buona ſentenza.* Hiſpan: *mas vale mala auenia, que buena ſentencia.* quia ſatis lucratur qui ſe à Litibus eximit. Hinc Cicero laudat Seruium Sulpitium non tàm ob admirabilem,& penè diuinam iuris ſcientiam, quàm quòd ſemper maluerit litium controuerſias tollere, quam actiones inſtituere. Et Iſocrates in ſuo Areopagitico laudat priſcos Athenienſes quòd foro fugerint, ne quidem deſcenderint vnquam niſi coacti, & magno pudore. Erubeſcant litigioſi, qui ſi facilè, & continuè litigauerint calumnioſi præſumuntur. Debent igitur omnes abſtinere à litibus quantum poſſunt;ſed præcipuè Eccleſiaſtici & ſupra omnes ipſi Sacerdotes præſertim ſi ſint Paſtores, quorum partes ſunt potius Lites exortas extinguere, controuerſias componere,& diſcordantes ad concordiam reuocare;nam qui minuit Lites,minuit peccata.

Quòd etiam Iurgia, & Lites ſumptæ pro litigijs ſint à Sacerdote cauendæ, perſpicuè demonſtratur. Tum ex cauſa, vnde proueniunt; non enim aliam matrem agnoſcunt niſi ſuperbiam;Vnde Prou. 15. *Inter ſuperbos ſemper ſunt iurgia*; & vbi fuerit ſuperbia ibi eſt contumelia, nam dum quis nimiũ inordinatè appetit propriam excellentiam,& ſuper alios eſſe;non patitur vt alter eum deprimat;Inde reſiſtit & contendit quantum poteſt; ac dum quis inordinatè appetit humanam laudem; hinc eſt quòd corã alijs toto conatu huiuſmodi laudem promouere & propugnare ſtudet, vt nimirum ſapiens, & rerum gnarus appareat; & ſi alter quiſpiam ei obſiſtit,ipſe incaleſcit, & in verba iurgioſa prorũpit, ne cedere, aut altero minor eſſe videatur. Tũ ex affectu; quia ex huiuſmodi litibus iurgijs, & cõtẽtionibus pax & charitas amittitur,animus amareſcit,fraternus amor violatur,rancor ſubintrat,

trat, ſolitæ ſalutationes ceſſant, diffidentia creſcit, & ſcandalum fratribus cunctis ingeritur. Et qui ſuperbè iurgari & arroganter contraire non deſiſtit, tantum abeſt vt honorem & æſtimationem quam ſperabat conſequatur; vt ſæpè ſæpius illius iacturam non modicam faciat. Nam omnes eum vt capitoſum & opinionis ſuæ tenaciorem, ac ſuo iuri cedere neſcientem exiſtimant. Vnde quiſq; facilè curat ab illius ſe consortio ſegregare. E contra qui iuri ſuo, prout par eſt, cedit, & in id genus contentionibus ac litigijs vinci ſe ſinit, ab ijsq; ſe abducit quantum poteſt, hunc verè nobilem, honeſtum, ac generoſum eſſe teſtatur Sapiens in Prouerbijs 20. *Honor eſt homini qui ſeparat ſe à contentionibus*. Nec immeritò quia is taliter ſe habendo charitatem oſtendit & erga proximum, dum omnem amaritudinis & indignationis occaſionem præſcindit: & erga ſeipſum dum appetitum præualendi, vincendi, & cum honore ſuo emergendi conculcat: & etiam erga Deum, dū peccata, quæ ex contentione ſequi poterant, auertit iuxtà illud ſapientis, *Abſtine te à lite & minues peccata.* Multò igitur melius erit ſi Sacerdos, & quicunq; Clericali militiæ nomen dedit, ab huiuſmodi litibus, iurgijs, & contentionibus abſtinuerit iuxtà præceptum Apoſtoli ſuo diſcipulo Timotheo inculcatum. *Noli contendere verbis: ad nihilenim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium.* Et poſt. *Seruum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes.* vt ſupra diximus.

Quod etiam percuſſiones ſint ſummoperè vitandæ ab Eccleſiaſticis Perſonis clarè patet; Quia Clericalem ordinem dedecet, vt eorum violentæ manus alicui inijciantur, quæ Deo ſolemni ritu ſunt conſecratæ, quæ expanſæ pro populo Numini ſupplicant, quæ tremenda Corporis & ſanguinis Chriſti myſteria peragunt, quæ panem vitæ æternæ, & Sacramenta ſalutis noſtræ fidelibus adminiſtrant. Non docuit nos Dominus percutere, ſed mites eſſe & humiles corde; qui

lia opera poſtponuntur;& qui ſemper credunt obtinere, frequenter ſuccumbunt; & ſi obtinent computatis laboribus & expenſis nihil acquirunt; vnde tutior eſt pax quàm incerta victoria. Italice. *E meglio vn triſto accordo, che vna buona ſentenza.* Hiſpan: *mas vale mala auenencia, que buena ſentencia.* quia ſatis lucratur qui ſe à Litibus eximit. Hinc Cicero laudat Seruium Sulpitium non tàm ob admirabilem,& penè diuinam iuris ſcientiam, quàm quòd ſemper maluerit litium controuerſias tollere, quam actiones inſtituere. Et Iſocrates in ſuo Areopagitico laudat priſcos Athenienſes quòd foro fugerint, ne quec ò deſcenderint vnquam niſi coacti, & magno pudore. Erubeſcant litigioſi, qui ſi facilè, & continuè litigauerint calumnioſi præſumuntur. Debent igitur omnes abſtinere à litibus quantum poſſunt;ſed præcipuè Eccleſiaſtici & ſupra omnes ipſi Sacerdotes præſertim ſi ſint Paſtores, quorum partes ſunt potius Lites exortas extinguere, controuerſias componere,& diſcordantes ad concordiam reuocare;nam qui minuit Lites,minuit peccata.

Quòd etiam Iurgia, & Lites ſumptæ pro litigijs ſint à Sacerdote cauendæ, perſpicuè demonſtratur. Tum ex cauſa, vnde proueniunt; non enim aliam matrem agnoſcunt niſi ſuperbiam; Vnde Prou. 15. *Inter ſuperbos ſemper ſunt iurgia*; & vbi fuerit ſuperbia ibi eſt contumelia, nam dum quis nimiũ inordinatè appetit propriam excellentiam,& ſuper alios eſſe;non patitur vt alter eum deprimat;Inde reſiſtit & contendit quantum poteſt; ac dum quis inordinatè appetit humanam laudem; hinc eſt quòd corã alijs toto conatu huiuſmodi laudem promouere & propugnare ſtudet, vt nimirum ſapiens, & rerum gnarus appareat; & ſi alter quiſpiam ei obſiſtit,ipſe incaleſcit, & in verba iurgioſa prorũpit, ne cedere, aut altero minor eſſe videatur. Tũ ex affectu; quia ex huiuſmodi litibus iurgijs, & cõtẽtionibus pax & charitas amittitur,animus amareſcit,fraternus amor violatur,rancor ſubintrat,

trat, ſolitæ ſalutationes ceſſant, diffidentia creſcit, & ſcandalum fratribus cunctis ingeritur. Et qui ſuperbè iurgari & arroganter contraire non deſiſtit, tantum abeſt vt honorem & æſtimationem quam ſperabat conſequatur; vt ſæpè ſæpius illius iacturam non modicam faciat. Nam omnes eum vt capitoſum & opinionis ſuæ tenaciorem, ac ſuo iuri cedere neſcientem exiſtimant. Vnde quiſq; facilè curat ab illius ſe consortio ſegregare. E contra qui iuri ſuo, prout par eſt, cedit, & in id genus contentionibus ac litigijs vinci ſe ſinit, ab ijsq; ſe abducit quantum poteſt, hunc verè nobilem, honeſtum, ac generoſum eſſe teſtatur Sapiens in Prouerbijs 20. *Honor eſt homini qui ſeparat ſe à contentionibus*. Nec immeritò quia is taliter ſe habendo charitatem oſtendit & erga proximum, dum omnem amaritudinis & indignationis occaſionem præſcindit: & erga ſeipſum dum appetitum præualendi, vincendi, & cum honore ſuo emergendi conculcat: & etiam erga Deum, dū peccata, quæ ex contentione ſequi poterant, auertit iuxtà illud ſapientis, *Abſtine te à lite & minues peccata*. Multò igitur melius erit ſi Sacerdos, & quicunq; Clericali militiæ nomen dedit, ab huiuſmodi litibus, iurgijs, & contentionibus abſtinuerit iuxtà præceptum Apoſtoli ſuo diſcipulo Timotheo inculcatum. *Noli contendere verbis: ad nihilenim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium*. Et poſt. *Seruum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes*. vt ſupra diximus.

Quod etiam percuſſiones ſint ſummoperè vitandæ ab Eccleſiaſticis Perſonis clarè patet; Quia Clericalem ordinem dedecet, vt eorum violentæ manus alicui inijciantur, quæ Deo ſolemni ritu ſunt conſecratæ, quæ expanſæ pro populo Numini ſupplicant, quæ tremenda Corporis & ſanguinis Chriſti myſteria peragunt, quæ panem vitæ æternæ, & Sacramenta ſalutis noſtræ fidelibus adminiſtrant. Non docuit nos Dominus percutere, ſed mites eſſe & humiles corde;

qui cum malediceretur nõ maledicebat; cum pateretur non comminabatur. *Percussorem Episcopum*, ait S. Hieronymus Epist. 53. ad Oceanum cap. 4. *Ille condemnat qui dorsum suum posuit ad flagella, & maledictus non remaledixit*. Sed veniamus ad exempla.

§. 3. *Afferuntur Exempla ad propositum confirmandum.*

QVòd contentiones, iurgia, & verba mordacia sint ab Ecclesiasticis, & à quocunq; qui Christiana professiones censetur, penitus ableganda testatum erit per subsequentia exempla.

Moyses Abbas referente Cassiano Coll. 7. cap. 27. dum disceptaret cũ Abbate Macario, verbũ aliquod mordacius & inconsideratius nescius effudit. Vnde statim vindicẽ Dei manum sẽsit; nam Diabolus tàm fædus & teter, (Deo sic permittente) in ipsum ingressus est, vt etiam fædas & horrendas immunditias ore eijciendas curaret, donec tandem orante pro eo Abbate Macario, is statim emigrauit. Vt hinc appareat qantopere hoc vitiũ Deus detestetur, cum id tàm horrendis modis, tàm feruido seruo suo, tantæq; sanctitatis viro, qualem Abbatem Moysem fuisse constat, castigarit.

Non absimilem castigationis modum legimus in Chronicis Ordinis Minorum; Cum enim frater quidam senex quemdam è confratribus coram nobili Assisinate asperius, & præfractius iratus aliquantulum alloqueretur, ipse etiam inter loquendum statim intra se reuersus pœnitentia motus est fratremq; suum ob illa verba turbatum, secularem autem malè ædificatum cernens, concepta in se ipsum vltione acceptum stercus ori ingessit, ipsumq; masticans aiebat. *Stercus masticet lingua illa, quæ aduersus fratrem suum iræ virulentiam effudit*. Vir autem ille nobilis perspiciens zelum & feruorẽ, quo suam pius ille Religiosus culpam expiauit, tum maxi-

mope-

mopere ædificatus est, & velut extra se raptus; tum maiorem erga fratres affectum concepit, se suaq; omnia in ordinis obsequium ac ministerium obtulit.

De Sancto Thoma Aquinate Theologorum Principe fertur, quod ita cauebat à iurgijs & contentionibus; vt etiam in ipsis scolasticis disputationibus, in quibus sicut Sol inter sydera elucebat, nulli vnquam obstinatè & peruicaciter cõtradiceret, sed incredibili mansuetudine, verborumq; temperantia, neminem despiciendo, sententiam suam proponere assoleret. In disputationibus enim non id sibi propositum habebat vt doctissimus omnium & eminentissimus haberetur; sed tantum vt veritas disceptando erueretur. Ideò de hac re egregiè senex quidã *in Vitis Patrum par.* 2. [Si quis, aut de scripturis, aut de quacunq; causa locutus fuerit, ne contendas cum eo, sed si quidem benè dicit, consenti ei; Si verò malè, dic ei. Tu scias quomodo loqueris; Ait enim Apostolus. (Noli contendere verbis.) Hoc obseruans, & humilitatem possidebis, & odium euitabis. Nam si perstitas cõtendens & vis defendere sermonem tuũ nascetur scandalũ.]

§. 4. *Quando & quomodo sit licitum Ecclesiasticis agere lites; itemq; percutere.*

Hic accipimus lites pro controuersijs iudicialibus; non pro iurgijs, contentionibus, & rixis, istæ enim nunquam licent, cum semper inuoluant aliquod peccatum saltem veniale nisi in casu, quo superior aliquis ad frãgendam audaciam, & comprimendam temeritatem alicuius subditi insolentius se habentis, verbis aliquantulum asperis vteretur. Sed in tali casu non rectè dixeris contentionem & litem nisi ex parte subditi contumaciter se gerentis. Videamus igitur quando & quomodo Ecclesiasticis sit licitum lites agere.

Et qui-

Et quidem prima fronte videretur dicendum nunquam esse licitum lites agere, neq; ad repetendum sua. Ait enim Dominus in Euangelio. *Si vis perfectus esse vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Quia ergò Ecclesiastici iter perfectionis arripiunt, vix licet eis sua habere; multò ergò minus licet eis repetere, quia non debet repeti quod possidere non licet. Item. *Si quis voluerit tunicam tuam tollere, & in iudicio tecum contendere dimitte ei & pallium.* Item Apostolus in Epist. ad Corint. *Sæcularia igitur iudicia si habueritis, omnino peccatum est in vobis.* Itē cap. Episcopus. 14. q. 1. dicitur quod Episcopus nec prouocatus pro rebus transitorijs litiget.

Nihilominus dicimus quod aliquando est licitum lites habere, tunc scilicet quādo Ecclesiastica persona agit in iudicio non ad captandum lucrum; sed ad vitandum damnum, & ad repetendas res Ecclesiasticas tanquam cōmunes, quarum procurationem gerit. Ad obiecta sic respondet Gratianus 14. q 1 Prohibetur perfectis viris in iudicio stare captādo lucrū, sed non euitando damnū. Vel aliter. Aliud est possidere. Aliud est cōmuniū procuratorē esse. Ecclesiastici non possidēt sua, quia res Deo oblatæ non sunt alicuius. Vtuntur enim rebus Ecclesiç nō vt suis, sed tanquā ad dispensandum sibi creditis: sicut ergò isti non sua possident, ita nec sua repetūt; sed res Ecclesiæ quarū procurationem gerunt. Similiter quòd in iudicio prohibentur contendere, sic intelligendum est, videlicet vt non sibi, sed alijs stent coram Iudice. Alijs autem coram Iudice astitisse, & pro eis Iudicem interpellasse nonnullos Sanctorum legimus. Hi autem non sibi stant, sed pauperibus, quorum necessitatibus profutura repetunt, & ita non prohibentur stare coram Iudice. Illud verò Euangelij si quis abstulerit tibi tunicam &c. non est præcipientis sed exhortantis. Ad cap. Episcopus. respondetur quòd Episcopus non debet per se sed per alium litem agere: & si causa Ecclesiæ est mala non debet illam fouere.

De

De Percussione. Noto ex Diuo Antonino in sum. 3 par. tit. 13. cap. 2. §. 9. Quòd triplex percussio prohibetur Clericis. Vna est Spiritualis scilicet cum quis corda infirmorum inutili sermone percutit *dist.* 45. *cap. fin.* Secunda percussio corporalis ad vindictam facilis. *Vnde Gregorius.* [Si quid de quocunq; ad aures tuas peruenerit, quòd te iustè possit offendere, facilè non credas; nec ad vindictam te res accendat incognita; sed præsentibus Ecclesiæ tuæ senioribus est veritas diligenter perscrutanda, & tunc Canonica districtio culpam feriat delinquentis *dist.* 86. *cap. Si quid.*] Tertia percussio corporalis; quam homo facit vel ex ira, aut odio, aut superbia vt magis timeatur; Vel erga non subditos. Si tamen faciat ex charitate, & in subditos est licita. Vnde *Aug. relatus in cap. Et qui emendat dist.* 45. *ait.* [Et qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, misericordiam præstat.] Episcopus tamen propter dignitatem suam neminem debet suis manibus verberare *cap non licet dist.* 86. sed per alium potest; per Clericum tamen si Clericus est verberandus *cap. Vniuersitatis extr: de sent. excom.* Nisi penitus sit incorrigibilis Clericus; tunc enim per Laicum *cap. vt famæ extr: de sent. excom.*

Distinguendum tamen est circa qualitatem personarum, quæ corriguntur. Nam in minoribus constituti licitè verberantur, etiam pro leuibus culpis. *cap. ante dist.* 35. *&* §. *Salomon*: 45. Similiter & Regulares etiam in minoribus constituti secundum regulas suas pro leuibus culpis subijciuntur verberibus *cap. reprehensibilis in fin. extr. de appellat.* Non tamen vsq; ad sanguinem. In maioribus verò constituti non Regulares, non nisi pro maioribus criminibus *cap. Cum Beatus* 45. semper tamen cum seueritate debet esse admixta clementia. Vnde *ead. dist. Leo & Greg: sic dicunt.* [licet non nunquam accidant quæ in Sacerdotalibus personis sunt reprehendenda, plus tamen erga corrigendos agat beneuolentia,

lentia, quàm ſeueritas: plus exhortatio, quàm cõmotio; plus charitas quam poteſtas; cum nemo noſtrum ſine peccato ſit. Moderata etiã debet eſſe caſtigatio: vnde quidam Sapiens ait. Leuiter caſtigatus reuerentiam exhibet caſtiganti: aſperitatis autem nimiæ increpatio, nec correctionem recipit, nec ſalutem, *cap. cum beatus. dicta diſt.* 45. Sicut autem nimia ſeueritas reprehẽditur; ita & nimia remiſſio. *Vnde Greg.* 19. *Mora'.* [Cuncti rectores nec in diſciplinæ vigore benignitatem manſuetudinis; nec rurſus in manſuetudine diſcretionem deſerant diſciplinæ; quatenus nec à compaſſione pietatis obdureſcant cum contumaces corrigunt: nec diſciplinæ vigorem molliant cum infirmorum animos conſolantur *cap. ſunt namq; dicta aiſt.* 45.] Et ad hoc propoſitum inducuntur auctoritates, exempla, & figuræ de ſcriptura in cap. diſciplina diſt. ead.

CAPVT XI.

De Remouendis Negotijs Secularibus.

NEgotium accipi poteſt pro quocunq; opere, vel tractatu, ſiue bono ſiue malo: quemadmodum operatio in bono ſumitur & in malo. Hinc vt inquit Berchorius datur Negotium Virtuoſum, Vitioſum, Doloroſum, & Glorioſum. Primum eſt Negotium moralis bonitatis. De hoc habetur Prou. 31. *Gustauit & vidit quia bona eſt negotiatio eius:* Ideo ſequitur quòd manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum. Secundum Negotium eſt mundanæ cupiditatis. De hoc dicitur Ioann: 2. *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Tertium eſt infernalis pœnalitatis. De hoc in pſal. 91. *Non timebis à timore nocturno, à ſagitta volãte in die, à negotio perambulante in tenebris.* Quartum eſt æternalis fælicitatis; & hoc eſt negotiũ gloriæ beatorum, de quo Prou: 3. *Melior eſt acquiſitio eius negotiatione auri & argenti.*

genti. In hoc loco accipimus Negotium iuxtà secundam acceptionem, id est pro Negotio vitioso.

Debent igitur Ecclesiastici omnes, & præcipuè Sacerdotes abstinere à Negotijs secularibus & vitiosis. Primò propter Auctoritates Scripturæ Sacræ, Canonum, & Patrum. Secundò propter Rationes. Tertiò propter Exempla. Quartò videndum à quibus Negotijs in specie debeant abstinere. Quintò, quæ & qualis Negotiatio sit Clericis permissa.

§. 1. *Inducuntur auctoritates Sacræ paginæ, Canonum, & Patrum.*

NEgotia secularia, quæ Negotiationes propriè appellantur pluribus in locis Sacrarum literarum interdicuntur præcipuè Clericis. Hinc Eccles. 26. dicitur. *Duæ species difficiles, & periculosæ mihi apparuerunt. Difficilè exnitur negotians à negligentia, & non iustificabitur caupo à peccatis labiorũ.* Vult significare sapiens tales difficulter euitare peccata; ideoq; opus esse illis magna cautela. Quod idẽ significasse Psalmistam aliqui putant in illis verbis *Quoniam non cognoui literaturam introibo in potentias Domini, & memorabor iustitiæ tuæ solius.* Vbi Psalterium Romanum legit. Quoniam non cognoui Negotiationem. Et Hebræi legunt. Quoniam non cognoui scripturam, & computationes, ac numeros, quasi dicat; quia non fui addictus libris illis computationum hominem diuersimodè implicantibus, & negotijs animum ac cõscientiam inuoluentibus; ideò mihi facilius erit diuinæ vacare contemplationi, & saluti meæ operam dare. Et Eccles. 27. sic habetur. *Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic inter medium venditionis & emptionis* (hæc est enim negotiatio) *angustiabitur peccatis.* Et Ezech. 28. *In multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam.* Quid clarius poterat dici pro Sacerdotibus, qui sunt sanctificati id est dedicati & consecrati Deo? Vnde di-

cuntur ſancti iuxtà quandam Eccleſiæ Antiphonam. *Sacerdotes Sancti incenſum & panes offerunt Deo; ideo ſancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen eius.* Quibus verbis aduerto quòd Sacerdotes bis dicuntur ſancti, prima vice dicuntur ſancti ex conſecratione, & ex munere quo funguntur, ſecunda vice dicuntur ſancti ex vita & actionibus; quia ex eo quòd ſancti ſunt officio debent etiam ſancti eſſe vita. Hinc Apoſtolus. *Quòd nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſecularibus.* 2. ad Timot. 2. Et 4. Theſſal. 4. *Rogamus fratres operam detis vt quieti ſitis, & negotium veſtrum fiat.* Negotium ſcilicet virtuoſum: Negotium ſalutis animæ, quod debet præferri negotijs huius ſeculi vt non ſitis ſicut ille in Euangelio, qui ad cænam vocatus ire neglexit, ſed abijt ad negotiationem ſuam; Vnde tali negotiatione inuolutus cænam beatitudinis opiparam habere non meruit.

Sed accedamus ad ſacros canonis *In cap.* 1. *diſt.* 88. prohibentur Clerici negotia ſuſcipere; non autem negotia pietatis. *His verbis.* [Decreuit Sancta Synodus nullum deinceps Clericum, aut poſſeſſiones conducere, aut negotijs ſæcularibus ſe miſcere niſi propter curam pupillorum & orfanorum ac viduarum, aut ſi fortè Epiſcopus Ciuitatis Eccleſiaſticarum rerum ſolicitudinem habere præcipiat.] Vbi liquidò patet, quia alia ſunt negotia Secularia, alia Eccleſiaſtica. *Et cap.* 3. *ibid.* Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus; nequaquã ſeculares curas aſſumat: ſin aliter deijciatur. *Et cap. Negotiatorẽ ibid.* Negotiatorẽ Clericũ, & ex inope diuitẽ, ex ignobili gloriosũ, quaſi quãdã poſtẽ fuge. *Et* 21. *q.* 3. *cap.* 1. *auctoritate Concilij Carthaginẽſis* 1. prohibetur ne Clerici ſeculariũ negociorum procuratores ſint. *His verbis.* [Peruenit in Sanctam Synodum, quia de eis, qui in clero connumerantur; quidam propter turpis lucri gratiam alienarum poſſeſſionũ conductiones & ſeculares cauſas ſuſcipiunt, & ſe ipſos quidem à miniſterijs ſanctis per deſidiam ſeparant: ad domos

autem

autem ſecularium concurrunt, & ſubſtantiarum eorum gubernationes auaritiæ cauſa ſuſcipiunt, Decreuit igitur Sancta & magna Synodus, neminem deinceps eorum, hoc eſt non Epiſcopum, ſiue Clericum, aut Monachum conducere poſſeſſiones, aut miſceri ſæcularibus procurationibus: niſi fortè qui legibus ad minorum ætatum tutelas, ſiue procurationes inexcuſabiles attrahãtur; aut cui ipſius Ciuitatis Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum commiſerit gubernacula; vel Orfanorum, aut Viduarum, quæ indifenſæ ſunt, aut earum perſonarum, quæ maximè Eccleſiaſtico indigent adminiculo propter timorem Dei. Si quis verò traſgreſſus fuerit hæc ſtatuta correctioni Eccleſiaſticæ ſubiaceat.] *Et cap. Hi. ibid. ſic habetur.* [Hi qui in Eccleſia Domini ad ordinationem Clericalem promouentur, in nullo ab adminiſtratione diuina auocentur, nec moleſtijs & negotijs ſæcularibus alligentur: ſed in honore ſportulantium fratrum tanquam decimas ex fructibus accipientes, & altari & ſacrificijs non recedant; ſed die ac nocte Cæleſtibus rebus & Spiritualibus ſeruiant.] *Et cap. 1. extr. Ne Clerici vel Monachi &c. ita præſcribitur ex Concilio Moguntino.* [Multa ſunt negotia ſecularia, de quibus pauca perſtringamus, ad quæ pertinet omnis carnalis concupiſcentia. Quicquid plus iuſto appetit homo, turpe lucrum eſt. Munera iniuſta accipere vel etiam dare. Pro aliquo ſeculari queſtu, pretio aliquem conducere. Contentiones vel lites, vel rixas amare. In placitis ſecularibus diſputare excepta defenſione orphanorum, aut viduarum. Conductores ſecularium rerum, aut procuratores eſſe. Turpis verbi vel facti eſſe ioculatorem, vel iocum ſecularem diligere. Aleas amare. Ornamentum inconueniens propoſito ſuo quærere. In delicijs viuere velle. Gulam & ebrietatem ſequi. Pondera iniuſta, vel menſuras habere. Negotium iniuſtum exercere; nec tamen iuſtum negotium eſt contradicendum propter neceſſitates diuerſas; quia legimus Sã-

ctos Apostolos negotiatos fuisse, & in regula Beati Benedicti præcipitur prouideri, per quorū manus negotia monasterij procurentur. Canes & aues sequi ad venandum, & omnibus quibus libet causis superfluis interesse. Ecce talia, & his similia ministris altaris Domini, nec non & Monachis omnino contradicimus, de quibus ait Apostolus: *Nemo militans Deo implicat se negocijs secularibus.*] Ecce quot in locis Sacra Canonum Iura Clericis inhibēt negotia secularia. Accedamus tertio loco ad Sanctos Patres qui etiam & ipsi docent quomodo oporteat Clericos ambulare.

Quantus igitur circa hoc fuerit zelus maiorum testatur in primis *Sanctus Clemens Papa relatus in cap. te quidem* 11. *q.* 1. *his verbis.* [Sacerdotem oportet irreprehensibiliter viuere, & sūmo studio niti, vt omnes vitæ huius occupationes abijciat; ne fideiussor existat; ne aduocatus litium fiat; neuè in vlla aliqua occupatione prorsus inueniatur mundialis officij occasione perplexus; neq; enim Iudicem, neq; cognitorem secularium negociorum Clericum esse oportet, ne præfocatus præsentibus hominum curis non possit verbo Dei vacare; sed hoc exhibeant vacātes Laici: Clericum verò nemo occupet ab his studijs, per quæ salus hominibus datur.]

Consonat dictis ea quæ habet *eloquentissimus Cyprianus lib.* 1. *Epist.* 9. *& refertur in cap.* 21. *q.* 3. [Iam pridem, inquit, in Concilio Episcoporum statutum est ne quis de Clericis & Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo nominaret: quandoquidem singuli diuino Sacerdotio honorati, & in Clericali ministerio constituti, non nisi altari, & sacrificijs deseruire, & precibus atq; orationibus vacare debeant; scriptum est enim. Nemo militans Deo implicat se curis secularibus, vt possit placere ei, cui se probauit. Quod cum de omnibus dictum sit; quantò magis molestijs & curis secularibus obligari non debent, qui diuinis rebus, & spiritualibus occupati, & ab Ecclesia recedere, & ad terrenos &

se-

seculares actus vacare non possunt? Cuius ordinationis & religionis formam Leuitæ prius in lege tenuerunt. Nam Leuitica tribus, quæ templo & altari, & diuinis ministerijs vacabat nihil de portione terræ perciperet; sed alijs terram colentibus, illa tantùm Deum coleret, & ab alijs tribubus decimis, & primitijs sustentaretur. Quod totum fiebat de auctoritate & dispensatione diuina, vt qui operationibus diuinis insistebant, in nulla re auocarentur; nec cogitare aut agere secularia cogerentur. Quæ nunc ratio & forma in Clero tenetur, vt qui in Ecclesia Dei ad ordinationem Clericalem promouentur, nullo modo ab administratione diuina, nec ab altari & sacrificijs recedant; sed die ac nocte Cælestibus rebus ac Spiritualibus exercitijs seruiant. Quod Episcopi antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter prouidentes censuerunt, ne quis decedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret, & si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neq; enim ad altare Dei meretur nominari, qui ab altari Sacerdotes & Dei ministros voluit auocare.]

Quasi omnia, quæ in antecedentibus dicta sunt, compendiosè complectitur *Diuus Isidorus lib. de vita Cleric. relatus in cap. his igitur dist. 23. in hæc verba.* [His igitur lege Patrum cauetur, vt à vulgari vita secluſi à mundi voluptatibus se se abstineant, non spectaculis, non pompis intersint, conuiuia publica fugiant; priuata non tantum pudica, sed & sobria colant; vsuris nequaquam incumbant; nec turpium occupationes lucrorum fraudisq; cuiusquam studium appetant; amorem pecuniæ, quasi materiam cunctorum criminum fugiant; & sæcularia officia negociaq; abijciant, honores per ambitiones non subeant; pro beneficijs medicinæ Dei munera non accipiãt; dolos & coniurationes caueãt; odium, æmulationem, obtrectationem, atq; inuidiam fugiant, non vagis oculis, non effreni lingua, aut petulanti, fluidoq; ge-

stu

ſtu incedant; ſed pudorem, & verecundiam mentis ſimplici habitu, inceſſuq; oſtendant; obſcænitatem etiam verborum ſicut & operum penitus abhorreant; Viduarum & Virginum frequentationem fugiant; contubernia extranearum fæminarum nullatenus appetant; caſtimoniam quoq; inuiolati corporis perpetuò conſeruare ſtudeant; ſenioribus quoq; debitam obedientiam præbeant; ne vllo iactantiæ ſtudio ſemetipſos attollant. Poſtremò doctrinæ, lectionibus, Pſalmis, hymnis, canticis iugiter incumbant. Tales enim debẽt eſſe, qui diuinis cultibus ſe mancipandos ſtudent exhibere, ſcilicet vt dum ſcientiæ operam dant doctrinæ gratiam populis adminiſtrent.]

§. 2. *Inducuntur Rationes.*

MVltiplici de cauſa debent Eccleſiaſtici abſtinere à negotijs ſecularibus, & præſertim à negotiationibus propter cupiditatem turpis lucri. Cauſę ſeu rationes ſumuntur Tùm ex natura ipſius negotiationis: Tùm ex natura ſtatus ipſorum Eccleſiaſticorum.

Et quidem ex natura ipſius negotiationis Primò, quia obnoxia eſt multis fraudibus, dolis, mendacijs, imò & iuramentis, & lucris iniuſtis. Lucrum autem iniuſtum non poteſt eſſe ſine iniuſto damno (*lucrum in Arca damnum in conſcientia*) teſte Auguſtino. Et cum plurimi negotientur vt diteſcant, vix fit, vt diuitiæ feſtinatæ comparentur ſine aliquibus iniuſtis lucris: & licet ipſi negotiatores nolint id agnoſcere; tamen effectus ipſe frequenter id declarat; quia frequenter accidit, vt qui ſubitò per varias & implicatas negotiationes opes acquiſierit, ſubitò iuſto Dei iudicio illas amittat iuxtà illud Prou. 23. *Subſtantia feſtinata minuetur, quæ autem paulatim manu colligitur multiplicabitur.* quia nimirùm opes ſubitò acquiſitæ parum licitis mędijs ſunt partæ; vnde ſta-

tim

tim dilabuntur, vel statim à prodigis filijs dilapidantur, iuxtà illud tritum *Malè parta malè dilabuntur.* Hinc Eccles. 40. dicitur. *Substantiæ iniustorum sicut fluuius siccabuntur, & sicut tonitru magnum in pluuia personabunt.* Sicut torrens aliquis instar fluuij currens subitò aliquando exaresçit, & sicut tonitru dans sonum simul cum pluuia euanescit: ita opes impiorum si aliquando prospero cursu profluant, subitò etiam sæpius fluere cessant; & cum instar tonitrui ad tempus admirationem quamdam habeant, suoq; fulgore ac pompæ strepitu eniteant; diuturnæ tamen non sunt, sed mox euanescunt. Secundò licet nullæ fraudes forent in negotiatione, ex illa tamen impedimentum magnum salutis frequenter oritur, quod homines huius seculi suis negotiationibus totos se immergant, neglectis ijs, quæ Dei sunt, omnesq; suas solicitudines ad id referant nocte dieq; dum surgunt, dum decumbunt, dum incedunt. Quapropter monet hos Sapiens Eccl. 38. *Noli laborare vt diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum; melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni & insatiabiles.* Tertiò. Hoc etiam habet negotiatio periculi, quòd ordinetur ad alendam familiam, non solùm iuxtà statum, sed etiam indelicijs, voluptatibus, & luxu; qui manifestè cernitur in cibis, vestitu, ornatu, alijsq; modis superfluis: & ita fit vt negotiatio sit occasio ambitionis, superbiæ, luxuriæ, gulæ, & aliorum vitiorum. Hinc videmus mercatores, si ditescant, statim velle haberi vt nobiles, volunt filios suos vocari dominos, & modum viuendi in aula volũt in domum suam introducere, & vltra terminos suos conuersari, quibus rectè dicit Abacuc Propheta cap. 2. *Væ qui congregat auaritiam malam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat de manu mali: Cogitasti confusionem domui tuæ.* Certè multi congregant diuitias tali via vt nidum suum in sublimi ferant, familiam suam extollant, & nomen suum in excelsum exaltent: putantq; si potentes fuerint opibus, tutos se fore

se fore ab omni calamitate, ac diù illam potentiam duraturam; sicut auis in excelso nidum construit, putat neminem sibi nocere posse, aut nidum deijcere. Sed rectè dicitur. *Cogitasti confusionem domui tuæ.* quia dum ita eleuantur, omnia eis in perniciem temporalem & æternam conuertuntur; longèq; melius foret illis, & filijs eorum in statu suo tranquillè agere cum bona conscientia, quam sese ita eleuare cum confusione sua.

Ex natura autem status Ecclesiastici decet Ecclesiasticos cæterosq; Dei ministros à negotiationibus abstinere. Quia cum ipsi sint Deo specialiter cõsecrati, debent Deo famulari: & die noctuq; cælestibus rebus ac spiritualibus exercitijs occupari, vt supra dictum est sæpius. Proinde non debent distrahi in alias occupationes: Negotiatio autem maximam adducit secum distractionem, ordinatur enim ad lucrum, opesq; acquirendas: opes autem multa desideria nociua pariunt, vel vt congerantur, vel vt augeantur, vel vt extendantur: Et vt quidam non minus eleganter, ac verè dixit *Opes acquiruntur cum labore, conseruantur cum timore, amittuntur cum dolore.* Non possunt igitur non distrahere animum in varias partes, & terrenis cogitationibus aggrauare ita vt ad cælestia se se erigere difficillimè valeat: è cõtra ad ima facillimè deuoluatur. Hinc Apostolus 1. ad Timot. 6. ait: *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria nociua, quæ mergunt homines in interitũ.* Et paulò infrà docens Timotheum quibus occupationibus vacare debeat subdit. *Tu autem, ò Homo Dei, hæc fuge, sectare verò iustitiam, Pietatem. Fidem, Charitatem.* Hoc monitum Apostoli ad omnes Ecclesiasticos dirigitur, quos instruit in persona Timothei Episcopi, & Pastoris. Illa enim vox *Homo Dei* in scripturis Sanctis ad ministros Dei solet dirigi. Hoc enim titulo gaudent; quia Deo specialiter sunt consecrati, quia eius ad plebem internuncij, quia rerum diuinarum administri, quia

Vica-

Vicarij per quos loquitur operatur, regitq; populum. Hinc in antiquis scripturis hoc nomen tribuitur Prophetis, quos Dei Spiritus regebat. *Homo Dei Rex dicit descende.* dicebat quidam Eliæ. 1. Reg. 4. Et de Samuele 1. Reg. 9. dicitur. *Vir Dei est in hac Ciuitate.* Monet igitur Apostolus cunctos Ecclesiasticos, & quemlibet præcipuè Sacerdotem dicens. *Tu autem ò Homo Dei, hæc fuge, sectare verò Iustitiam &c.* q. d. O Sacerdos memineris te Virum Dei, memineris te esse Christi, vide cui seruis, vide cui consecratus sis, vide quo spiritu duci te conuenit. Vtiq; non spiritu huius mundi vt perituras peritura sectaris, & inhæreas his quæ sunt labentis sæculi: sed Spiritu Dei cuius es vir, cui seruis, cui ideo es consecratus, vt ad diuina & Cælestia totam mentem, totumq; affectum erigas. Quid tibi cum mammona, qui Dei es? An fortè putas duobus te Dominis posse seruire Deo & mãmonę? An in eodẽ Cordis tui tẽplo & altari existimas te posse collocare Dagon & Arcã Dei, fuge, fuge cupiditates auaritiam, illicitas negotiationes, quæ cultum Dagon & mammonæ promouent; & ministerium tuum impediunt, & coinquinant: sectare verò iustitiam, pietatem, & charitatem, in quibus Dei & Christi cultus consistit. Vtere rebus huius sæculi ad Dei gloriam, ad pauperum leuamen, ad tuam necessitatem. Extirpa cupiditatem, & planta charitatem, sicut enim omnium malorum radix est cupiditas, ita & omnium bonorum radix est charitas.

§. 3. *Exempla afferuntur.*

QVam terribilis sit Deus in consilijs super filios hominum; & quam seuerè puniat turpi lucro inhiantes ex infrascriptis patebit exemplis, quæ habet *Dauroutius flor. exempl. cap. 6. tit. 12.* Primum exemplum de quodam Episcopo mortuo miserabiliter super suos thesauros. Reinherus Misnensis Episcopus cum post resectionem intrasset

Digitized by Google

in cubiculum, vbi thesauros suos, (quorum nimis amator erat,) nullo conscio infoderat, quasi paululum acquiescere volens sese inclusit. Cumque iam die vergente in vesperam præter modum, & consuetudinem suam somno indulgere videretur: rem insolitam mirantes cubicularij pulsare ostium cæperunt, sed nec pulsantibus, nec vociferantibus vllum dabatur responsum. Tandem effractis foribus irrumpentes inuenerunt eum fractis ceruicibus colore tetro exanimem ipsis thesauris suis mirabilem in modum incubantem.

Secundum exemplum de quodam, cuius cor pecuniæ dicatum fit præda Diabolo. Auarus quidam pecuniæ amantissimus postquam plurimas diuitias congregasset; & de ijs nihil in pietatis officia impendisset, subita morte raptus est. Cadauere autem eius à parentibus & amicis præsentibus aperto, vt ab ijs dispiceretur quænam tam repentinæ mortis causa fuisset, cor in eo non fuit inuentum. Vnde admiratione rapti singuli adierunt ad mortui cubiculum, vbi thesaurus eius erat: atque cista aperta cor hominis inueniunt inter manus Demonis, qui instar Draconis super hoc sedebat, ac in varias partes discerpebat, dixitq; astantibus. Hoc aurum & argentum pretium est cordis, quod mihi vendidit amicus vester, ideoq; iure meum est, eoq; pro arbitrio vti possum.

Tertium exemplum de prædiuite, qui à terra absorbetur Cum aliquando Beatus Ambrosius Romam proficisceretur, atq; in Hetruria à prædiuite fuisset hospitio exceptus; iactabat ille diuitias, familiam, filios, ac prospera omnia, nihilq; sibi accidisse infæliciter. Id animaduertens Ambrosius, discessum accelerandum instituit, quòd tanta prosperarum rerum affluentia exitum longè infæliciſſimum habitura foret. Hortatus igitur suos est, vt inde mox omnes secum abscederent; ne iræ Dei furorem experirentur. Abeuntibus omnibus mox hospes cum reliqua familia domoq; omni

hia-

hiatu patente absorpti sunt. Et adimpletum est illud. Iob. 21. *Ducunt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descendent.*

§. 4. *A quibus Negotijs in specie debeant abstinere Ecclesiastici.*

QVamuis resolutio huius quæsiti sufficiẽter haberi possit ex iuribus adductis in §. 2. nihilominus maioris perspicuitatis gratia hic referemus particulares casus, quos collegit *Barbosa in suo tractatu de iure Eccles. Vniuer. lib. 1. cap. 4. quod est de vita & honestate Clericorum à nu. 83. & sequentibus vsq; ad finem cap.*

Primò igitur Ecclesiasticæ Personæ præsertim Sacerdotes prohibentur procurare & aduocare seu patrocinari; & omnes causarum actus exercere apud Iudicem secularem cap. nullus 11. q. 1. Possunt tamen apud Iudicem Ecclesiasticum in causa Ecclesiastica aduocare; non autem procurare. Ratio differentiæ, quia Procurator causæ negotium in se suscipit. Aduocatus verò super meritis causæ tantùm iura proponit: Vnde non licet Clerico negotia huiusmodi in foro contentioso in seipsum sumere, quem soli Deo militare conuenit cap. 1. ne Cler. vel Monac.

Dantur tamen casus, in quibus possunt etiam coram seculari aduocare, non autem procurare; (Procuratio enim semper est prohibita in quacunq; causa coram quocunq; Iudice etiam pro se ipsis propter rationem prædictam) Primus casus est in causa propria. Secundus in causa Ecclesiæ suæ. Tertius in causis personarum miserabilium, quæ proprias causas tractare non possunt. Quartus in causa coniũctorum, si alium idoneum habere non possunt cap. 1 & fin. de postul. Quintus etiam in alijs causis, si ipsi tamen Clerici non habeant beneficium, aut patrimoninm, aut aliud vnde sustententur. Ratio. Quia si id licet sibi pro pauperibus, & miserabilibus personis vt illarum necessitati subueniant, multò

magis erit illis licitum vt ſubueniant propriæ egeſtati. Sextus in cauſis vertentibus in curia Romana, vbi conſuetudine receptum eſt; vt non ſolùm ſuo nomine quiſque Clericus litiget; ſed etiam alieno. In prædictis caſibus poſſunt aduocare, vt diximus, & quidem non ſolùm conficiendo Iuris allegationes; ſed etiam comparendo coràm Iudicibus. Septimus in conficiendis domi ſuæ iuris allegationibus in quacunque etiam alia cauſa ibiq; conſilio dando etiam in ſcriptis; quando quidem in ſecundo cap. 1. de poſtul. prohibetur ſolum ne Clericus in ſeculari iudicio compareat; ergò non prohibetur in Camera conſulere: dummodo non obruatur moltitudine negotiorum ita vt non poſſit commodè vacare diuinis.

Secundò Clerici non poſſunt exercere officium Notariatus, ſeu Tabellionatus præſertim in ſecularibus aut prophanis negotijs cap. ſicut re accepimus Ne Cleric. vel Monac. Quod procedit in Clericis in ſacris conſtitutis: In Clericis verò in minoribus procedit ſi beneficium Eccleſiaſticum habeant. Limita. Primò in cauſa hæreſis. Secundò ſi coràm Papa munus exerceant. Tertiò in Curia Romana propter tacitum ſummi Pontificis conſenſum, & tantæ curiæ dignitatem. Quartò etiam in alia cauſa Eccleſiaſtica ſi Clericus non habeat vnde viuat. Quintò in Tabellione qui Clericus factus eſt; nam inſtrumenta ac rogationes veteres poteſt abſoluere; quamuis nouas accipere nequeat; ſi autem recipiat, erunt valida inſtrumenta, ſi nondum fuerit illi interdictum per ſuum ſuperiorem huiuſmodi officium, & prohibitio tranſierit in notitiam populi; poſt autem interdictum & ſufficientem illius notitiam apud populum, non erunt valida. Sextò limita in Clerico tabellione conficiente inſtrumentum in cauſis Spiritualibus & Eccleſiaſticis. Septimò limita vbi adeſt conſuetudo quòd Clericus Notariatus officium exercere valeat.

Ter-

Tertiò Clerici non possunt testificari in causa Ciuili seculari sine permissione Episcopi. Et ideò vbi admittuntur Clerici ad testificandum contrà Laicum coràm Iudice seculari, id semper est intelligendum cum licentia Episcopi, & superioris, nisi tempore pestis; quia tunc non requiritur licentia Prælati propter imminens periculum. Licentia autem danda per Episcopum Clerico vt deponat coràm Iudice seculari debet esse sub hac, vel alia simili forma (*Conceditur N. Clerico deponendi in Curia seculari in tali causa, dummodo non deponat super articulis concernentibus Criminalitatem, Infamiam, Negatiuam, aut Repulsam*) de qua licentia constare debet in actis. Et nihilominus quando conceditur non potest Episcopus facultatem impertiri Clerico iurandi coràm Iudice seculari nisi quod iuret in manibus Vicarij, aut alterius personæ Ecclesiasticæ. Si autem de facto Clericus absque licentia sui Prælati testimonium perhibeat coràm Iudice seculari in causa Ciuili, valet huiusmodi depositio, licet malè fecerit. Similiter non possunt esse testes in contractibus, & vltimis voluntatibus absq; licentia. Testes Laicos ad ferendum testimonium veritatis pro Curiæ Episcopalis informatione potest Episcopus citare sub pæna pecuniaria, & in subsidium sub pæna excommunicationis.

Quartò non possunt esse Iudices in causis criminalibus, nec sententiam sanguinis ferre. Multò minus possunt exercere officium Iustitiarij, aut Vicecomitis. Quinimo quoscunq; honores seculares, aut officia suscipere prohibentur: illis enim interdictum est ne possint esse Locumtenentes Principum secularium in Iurisdictione seculari exercenda absq; consensu Pontificis: nisi fortè iurisdictio temporalis annexa sit Ecclesiasticæ dignitati (vt contingit in Episcopis vel alijs Prælatis habentibus vtramq; iurisdictionem) tunc eam exercere poterunt per se ipsos dummodo non infligant pœnam mortis, aut truncationis membrorum. In causis autem Ciuili-

uilibus, vbi iurisdictionem obtinent; vel vbi sunt arbitri constituti, non proibentur iudicare; quamuis huiusmodi onera, præsertim qui habent curam animarum, debeant euitare exceptis causis, quas suprà de aduocatione expressimus.

Quintò Ecclesiastici prohibentur tutelam, vel curam suscipere nisi pietatis causa, nec ad id de iure coguntur: Quemadmodum etiam Regulares prohibentur. Legitimam tamen tutelam, si voluerint, benè poterunt suscipere.

Sextò studium Medicinæ præsertim Chirurgiæ, & legum Ciuilium Sacerdotibus, Curatis, & in dignitate Ecclesiastica constitutis, sicut & Regularibus prohibetur sub pæna excommunicationis nisi intrà duos menses dimiserint. Contrà quam prohibitionem solus Papa facultatem indulgere potest. Hac pæna non afficiuntur qui priuatim, & in Camera Iuri Ciuili, vel Physicæ operam dant.

Septimò Alchimiæ ars omnino Ecclesiasticis interdicta est à Ioanne 22. propositis pænis in Extrauag. spondet. de crim. falsi. inter communes.

§. 5. *Quæ & qualis Negotiatio sit Clericis prohibita, vel permissa.*

NEgotiatio dicitur *quãdo merces eo animo emuntur vt cariùs postea vendantur seu alio modo distrahantur lucri capiendi causa*; vt notauit Diuus Thomas. Igitur non possunt Ecclesiastici hoc modo negotiari neq; per se, neq; per alios *cap. consequens cap. negotiatio dist.* 88. *cap. Clericus dist.* 94. *tot. tit. Ne Cler. vel Mon. & alibi frequenter*. In quibusdam locis variæ pæne sunt impositæ: imò plurimi Doctores volunt Clericum exercentem negotiationem & mercaturam peccare mortaliter apud Barbolam. Et ratio ipsorum est, quia licet negotiatio per se male non sit; tùm quia mercium pretij latitudo quædam est, vt proinde eadem merx intrà iustitiæ limites minoris emi, ac postea pluris vendi possit; tùm quia mercium pre-

pretia pro temporum ac locorum varietate mutantur: Nihilominus, vt inquit Diuus Thomas, Ecclesiastici non solùm debent abstinere ab his, quæ sunt secundùm se mala; sed etiã ab his quæ habent speciem mali. Quod sanè in negotiatione contingit tùm propter hoc quòd est ordinata ad lucrum terrenum, cuius Clerici debent esse contemptores; tùm etiam propter frequẽtia negotiatorum vitia, quia difficulter exuitur negotiator à peccatis labiorum; vt dicitur Eccles. 26. tum quia negotiatio nimis implicat animum secularibus curis, & per consequens à Spiritualibus retrahit. Ita Diuus Thomas. Notandum tamen, non esse Negotiationem quando aliquis emit rem non vt vendat; se vt teneat: & postmodum propter aliquam causam vendere velit; quamuis carius vendat; potest enim hoc licitè facere: vel quia in aliquo rem meliorauit: vel quia pretium rei est mutatum secundùm diuersitatem loci aut temporis: vel propter periculum, cui se exposuit transferendo rem de loco ad locum: vel eam deferri curando. Ita Diuus Thomas. Sunt tamen aliqui casus, quibus licitum est Ecclesiasticis negotiari, quos refert Barbosa. Primus. Quando Ecclesiastici negotiationem exercent non ad lucrum; sed ad necessitatem vt se, suosq; alant, cum non habeant vnde viuant; & bona ad eorum victum non sufficiunt. In dubio tamen præsumitur negotiatio facta ad lucrum, nisi probetur necessitas. Secundus. Non peccaret mortaliter Ecclesiasticus qui semel aut iterum negotiatus esset. Tertius. Quando Ecclesiasticus mercaturã exercet cum suis animalibus & predijs: potest enim locare animalia v. g. boues & oues si habeat ex decimis vel successione; aut si habens pascua multa, emit eadem animalia vt illa expascat & saginet ad sui, suorumq; sustentationem. Quartus quando Eccle- Eccleclesiastici agros proprios colunt vt fructus vendant: vt lapides vel metalla ex suis fundis cædant, vel eruant siue ea mutent in aliam speciem siue non: vt greges in suis prædijs alant;

atq;

atq; fœtu, lacte, lana pecuniam conficiant; aut ipsa animalia adulta & saginata vendant. Quintus. Quando Ecclesiastici à locis pijs terrena in affectum accipiunt, quia non debent prætextu illicitæ negotiationis molestari, vt Nuncio Neapolitano rescripsit Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Episcoporum & Regularium Præpositorum 19. Ianuarij 1593. Sextus. Quando Ecclesiastici vinum suum etiam minutim vendiderint cum aduertentijs tamen sibi per Episcopum præscribendis. Septimus. Quando Ecclesiastici sua bona patrimonialia, ac beneficiorum, quæ obtinent, excoli faciunt; animaliaq; ad hunc effectum necessaria emunt, venduntq,

Circa hanc materiam extant duæ Decisiones Sac. Congregationis Cardinalium Conc. Tridentini Interpretum decidẽtes & soluentes multa dubia. Quas decisiones refert *Barbosa de Iur. Eccl. Vniu. lib. 1. cap. 40. nu. 127.*

Quæstio est controuersa. An Clericus negotiator ex rebus, quas negotiationis causa aduehit, vel transmittit; teneatur soluere vectigal seu gabellam antequam ter moneatur, vt à negotiatione desistat? In qua duplex reperitur sententia. Vna asserit teneri quamuis trina monitio non præcesserit. Ita *Molin. de Iust. tract. 2. disp. 242. nu. 10. & alij.* Altera, quæ videtur probabilior negat per textum *in cap. Ex literis de Vit. & Honest. Cler.* Ratio. Quia non tenetur soluere donec Iudex declaret negotiationem illicitam, & esse relinquendam; non potest autem hoc fieri absq; monitione, & quidem trina.

Cum non liceat Clericis & Ecclesiasticis omnibus negotiari, multò minus erit licitum exercere officium Carnificis seu Macellarij & Tabernarij *Clem. 1. de Vita & Honest. Clericorum.*

Ca-

CAPVT. XII.

De Remotione Superbiæ, eiusq; specierum.

APostolus scribens ad Titum inter ea, quæ damnat in Ecclesiastica persona est Superbia, dum cap. 1. sic ait. *Oportet Episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem, non superbum &c.* Definitur superbia communiter *Amor seu Appetitus inordinatus propriæ excellentiæ.* Superbia enim nominatur ex hoc quod aliquis per voluntatem tendit suprà id quod est. Vnde dicit Isidorus in lib. Ethimol. *Superbia dicta est à super volo, quasi superbus velit esse super id quod est.*

Quæret aliquis quomodo potest homo esse de facto maior eo, quod est?

Respondeo cum Tolero in sua summa *lib.* 8. *cap.* 3. id fieri tripliciter. Primò in sua cogitatione & iudicio cum vult suo intellectu reputare se suprà id, quod verè in se est. Secundò in aliorum iudicio, cum vult reputari maior, quàm sit. Tertiò in opere cum vult id facere, quod superat id quod verè est quamuis non se iudicet maiorem, sed tantùm sit inconsideratio, qua non aduertit quantus sit, & quantum possit. His ergò modis superbus appetit excellentiam seu celsitudinem. Et quidem inordinatè & cõtra rationem, propter quod habet rationẽ peccati, est enim contra rectam rationẽ quòd voluntas vniuscuiusq; feratur in id, quod non est sibi proportionatum vt inquit Diuus Thomas. Dixi *inordinate & contra rationem* quia non sẽper est superbia velle celsitudinẽ; quando enim id fit secundùm rationem (puta tempore, loco fine, & modo quibus oportet) virtus est Magnanimitatis.

Quamuis Superbia dicatur initium omnis peccati, & mater vitiorum, nihilominus ipsius species seu filiæ resultant specialiter in subscripta vitia, scilicet Vanagloria, Arrogantia, Iactantia, Hypocrisis, Singularitas, Præsumptio,

Proteruia, Ambitio, Contentio, Pertinacia, Discordia, Inobedientia.

Vanagloria est *appetitus inordinatus humanæ gloriæ.* Est autem gloria *clara cum laude notitia.* Cum igitur aliquis de bonis suis laudem hominum quærit inordinatè, tũc afficitur vitio Vanæ gloriæ, quæ vtiq; ex superbia ortum ducit, quia superbus valdè appetere solet humanam laudem tanquam testimonium excellentiæ, quam ipse affectat.

Arrogantia est quædam *vana existimatio sui, per quã quis sibi attribuit quod non habet, idq; temerè & insolenter.*

Iactantia est *manifestatio excellentiæ propriæ suprà id, quod vel in se vel in aliorum existimatione est, verbis inordinatè facta:* quando scilicet se ipsum homo verbis extollit & laudat dicendo de se aliquid suprà id, quod in se est.

Hypocrisis est *Simulatio virtutis.* Est autem Simulatio, *cum quis fingit opere aliquo se non habere quod habet: aut habere quod nõ habet.* Quemadmodum enim mendacium est cum verbis dico aliter, quàm sentio: ità Simulatio est cum opere aliter me exhibeo, qnàm sum, intendens occultare meipsum. Verum quidẽ est quòd non omnis Simulatio est Hypocrisis; sed Simulatio virtutis; cũ quis ostendit aliquibus factis se habere virtutem, q̃ reuera non habet: aut habere vitiũ quod habet.

Singularitas est *ostentatio alicuius boni, quod solus se credit habere.*

Præsumptio (vt diximus suprà cap. 4.) est *suprà se sumptio, quando quis corde elato attentat aliquid temerè, vel suprà vires.*

Proteruia est *quædam animi obstinatio, qua quis alijs subijci dedignatur.*

Ambitio est *immoderata cupiditas honorĩs, vel præeminentiæ* quando scilicet homo vult alijs præferri.

Contentio est *sermo contrarius veritatem alterius oppugnans.* Cum enim vnus verbo vel scripto veritatem alterius oppugnare vult; contendere cum illo dicitur.

Per-

Pertinacia est *animi adhæsio in propria sententia plus, quàm oportet, nolens cedere meliori sententiæ vel consilio.*

Discordia est *quædam voluntatum disgregatio & contrarietas:* quãdo enim circa vnam & eamdem rem alter vult, alter nõ vult, tunc illi duo dicuntur discordes, id est diuersi cordis.

Inobedientia est *quædam animi elatio, qua quis dedignatur parere superioris præcepto.* Et quandoq; est tanta vt inducat contemptum præcipientis, vel prohibentis.

Debent igitur Ecclesiastici, cum sint diuinis ministerijs addicti, abdicare à se superbiam cum omnibus vitijs supradictis, quæ ab illa proximè & propriè procedunt. Atq; vt ordine solito procedamus, ostendemus superbiam esse detestandam. Primò per Auctoritates Diuinæ Scripturæ, Sacrorum Canonum, & Sanctorum Patrum. Secundò per Rationes. Tertiò per Exempla. Quartò de Remedijs contrà illam.

§. Primus. *De Auctoritatibus Sacræ scripturæ, Sacrorum Canonum, & Sanctorum Patrum.*

QVàm detestabilis sit superbia Dominus ipse per Amos Prophetam testatur dicens *cap. 6. Detestor ego superbiam Iacob.* Et cap. 8. *Iurauit Dominus in superbiam Iacob. Si oblitus fuero vsq; in finem opera eorum.* Vnde inter illa septem. quæ Dominus odit, & septimum detestatur Anima eius, Salomon in Prouerbis. 6. primum ponit oculos sublimes; qui non aliud significant quam superbiam. Et per Isaiam. 2. *Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incuruabitur altitudo virorum. Exaltabitur autem Dominus solus in die illa; quia dies Domini exercituum super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur, & super omnes Cedros Libani & sublimes, & erectas, & super omnes quercus Basan, & super omnes colles elevatos, & super omnem turrem excelsam, & super omnem murum munitum, & curuabitur sublimitas hominum, & humiliabitur*

bitur altitudo virorum. Et Iob. 20. *Si ascenderit usq; ad Cœlum superbia eius; & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinum in fine perdetur.*

Contrà Vanam gloriam & Iactantiam dicitur Prouer. 27. *Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua.* Et Isai 3. dicitur. *Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt.*

Contrà Arrogantiam dicitur Prouer. 8. *Arrogantiam & superbiam, os bilingue, & viam prauam detestor.*

Contrà Ambitionem dicit Dominus Matth. 20. *Quicunq; voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.*

Contrà Hypocrisim & Singularitatem dicit Dominus Matt. 23. *Væ vobis scribæ & Pharisæi Hypocritæ, qui clauditis Regnum Cœlorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Et alibi in Euangelio sæpius contrà Hypocritas.

Contrà Præsumptionem & contrà Pertinaciam dicitur Prou. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et ibid. 17. *Ne sis sapiens apud temetipsum.* Et Isai 5. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris.* Et Apostolus ad Rom 11. *Nolo autem vos sapere secretum.* Et ibid. 12. *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.*

Contrà Contentionem & Discordiam dicitur Prou. 18. *Inter superbos semper sunt iurgia.*

Quod attinet ad Sacros Canones. Quia inter alios effectus Superbiæ est vsurpare officium alienum quasi quis præsumat proprijs viribus posse multa agere: & præsertim quando officium vsurpatum continet dignitatem, & potestatem; ideò talis superbia reprobatur cap. *Quoniam dist. 20.* dum ibi dicitur Reges Pontificibus pro æternis, & Pontifices Regibus pro temporalibus indigere. *Hæc sunt verba.* [Quoniam idem Mediator Dei & hominum Homo Christus Iesus sic actibus proprijs & dignitatibus distinctis officia po-

testa-

cestatis vtriusq; discreuit, volens medicinali humilitate hominum corda sursum effetri, non humana superbia rursus in inferna demergi: vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent: & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus vterentur; quatenus spiritalis actio à carnalibus distaret incursibus; & ideò militans Deo minimè se negotijs secularibus implicaret; ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset negotijs secularibus implicatus.]

Et cap. Si quis dist. 30. damnatur superbia, qua quis existimat se esse suprà id quod est; *his verbis.* [Si quis per superbiam tanquam perfectum se existimans, conuentus, qui per loca, & basilicas Sanctorum martyrum fiunt, vel accusauerit, vel etiam oblationes quæ ibidem celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriasq; Sanctorum contemnendas Anathema sit.]

Et cap licet nonnunquam dist. 45. damnatur superbia, qua quis parui facit alios, & in reprehensione vtitur nimia seueritate & minis, *his verbis.* [Licet nonnunquam accidant, quę in Sacerdotalibus sunt reprehendēda personis, plus tamen erga corrigendos agat beneuolentia quàm seueritas, plus cohortatio quàm comminatio, plus charitas, quàm potestas. Sed hi, qui quæ sua sunt quærunt non quæ Iesu Christi, facilè ab hac lege discernuntur. & dū dominari magis quàm consulere subditis quærunt, placet honor, inflat superbia, & quod prouisum est ad concordiam, tendit ad noxiam.]

Quod attinet ad Sanctos Patres. Horribilia planè sunt, quæ de superbia à Sanctis Patribus dicuntur. Nos pauca hic subnectemus ne à nostro breuitatis instituto recedamus

Igitur *S. Gregorius lib.* 34. *Moral. cap.* 17. *sic inquit.* [Superbia cum radix sit omnium vitiorū, vnius virtutis extinctione non est contenta: contrà cuncta animæ membra se erigit, & quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit:

pit: & quasi tyrannus quidam obsessam Ciuitatem intercipit cum mentem superbia irrumpit Quisquis verò eius in se tyrannidem captiua mẽte susceperit, hoc primum damnum patitur, quòd clauso cordis oculo, iudicij æquitatem perdit: nam cuncta, quæ ab alijs benè geruntur, displicent, & sola ei, quæ ipse vel prauè egerit, placent. Semper aliena opera despicit, sẽper miratur quæ ipse facit, quia & quicquid egerit, egisse se singulariter credit; atq; in eo quod exhibet per gloriæ cupiditatem, sibimetipsi tacet per cogitationem; & cum se in cunctis transcendere cæteros æstimat, per lata cogitationum spatia secum deambulãs, laudes suas tacitus clamat. Nonnunquam verò ad tantam elationem mens ducitur, vt in eo, quod timet, etiam per ostentationem locutionis effrænetur. *Et infrà.* Hæc aliter Præpositos tentat, aliter subditos. Prælato suggerit, quòd vitæ meritò super cæteros excreuit: viles, qui subiecti sunt, ostendit ita vt nullum iam quasi dignum respiciat, cui æquanimiter loquatur. Vnde & mox mentis tranquillitas in iram vertitur. Subiectorum cor superbia instigat, vt sua acta considerare funditus negligant, & semper tacitis cogitationibus sui Rectoris Iudices fiant; & dum eius facta despiciunt, dum præcepta contemnunt, ad tantam vsq; insaniam deuoluuntur, vt Deum res humanas curare nõ æstiment, quia ei qui quasi iure reprehenditur, esse se commissos dolent. Sicq; dum contrà Rectorem superbiunt, etiam contrà iudicia conditoris intumescunt; & dum pastoris sui vitam dijudicant, ipsam quoq; sapientiam omnia disponentis impugnant. Sæpe etiam Rectoris sui dictis proteruè obuiant, & eamdem vocis superbiam libertatem vocant; sicut plerique reticent ex timore; & tamen tacere se æstimant ex humilitate.]

Et ibidem paulò post præcedentia verba sic ait. [Quos benè ab intimis prodimus, si paucis in exterioribus ostendamus, cũctis namq; superbia apud se cogitatione tumentibus inest cla-

clamor in locutione, amaritudo in ſilentio, diſſolutio in hilaritate, furor in triſtitia, inhoneſtas in actione, honeſtas in imagine, erectio in inceſſu, rancor in reſponſione. Horum mens ſemper eſt ad irrogandum contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad laceſſendos verò alios importuna, ad ea quæ facere debet & prævalet ignaua; ad ea autem quæ facere non debet, nec prævalet, parata. Hæc in eo, quod ſponte non appetit, nulla exhortatione flectitur; ad hoc autem, quod latenter deſiderat quærit vt cogatur; quia dũ metuit ex deſiderio ſuo vileſcere, optat vim in ipſa ſua voluntate tolerare.] *Hæc Gregorius.*

Et de vana ſeu inani gloria ſic ait S. Baſilius in conſt. Monaſt. cap. 11. [Fugiamus inanem gloriam, dulcem ſpiritualium ſpoliatricem, iucundum animarum noſtrarum hoſtem, tineam virtutum blandiſſimam, bonorum noſtrorum deprædatricẽ, eamdemq; mellis illitu fraudis ſui veneni coloratricem, & mortiferi hominum mentibus oculi porrectricem.]

Et de Ambitione ſic S. Cyprianus Serm. de ieiun. & ten. [Etiam in ſinu Sacerdotum ambitio dormit, ibi ſub vmbra recubat, in ſecreto calami ſe fraudolẽter occultat, per omnia officia, graduſq; diſcurrit.] *Cui conforme eſt quod de illa ſcribit S. Bernardus in Pſalm.* 90. [Ambitio ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, liuoris parens, vitiorum origo, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis, cordium excæcatrix.] *Addit S. Ambroſius lib.* 4. *in Luc. cap.* 4. [Sæpè quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia ſubruere, facit ambitio criminoſos eò pernicioſior quò blandior.

§. 2. *Rationes adducuntur.*

DEbemus ſuperbiam deteſtari, & ab ea quantum poſſumus declinare, propter multiplices rationes. Decem addu-

adducit Berchorius in suo Repertorio verbo *Superbia*. Sunt autem sequentes. Prima, quia est Diuinæ displicentiæ prouocatiua. Secunda, quia internæ iracundiæ concitatiua. Tertia, quia verbalis arrogantiæ suscitatiua. Quarta, quia mentalis sapientiæ excæcatiua. Quinta, quia crudelis violentiæ executiua. Sexta, quia pomposæ excellentiæ declaratiua. Septima, quia verbosæ eloquentiæ generatiua. Octaua, quia criminosæ excrescentiæ augmentatiua. Nona, quia ruinosæ opulentiæ dissipatiua. Decima, quia dolorosæ pestilentiæ introductiua.

Ista enim decem mala, vel cornua facit ista bestia mala superbia, propter quæ debet à nobis refugi, & vitari. Figurata per decem cornua bestiæ quam mulier purpurata equitabat sicut habetur Apocalypsis 17. Quia scilicet superbia, quam equitant magnates huius mundi habet decem cornua supradicta.

Itaq: fugienda est superbia. Primò. Quia est Diuinæ displicentiæ prouocatiua: Deo enim summè displicet superbia; quia superbus est sicut basiliscus, quem mustela parua bestiola persequitur & odit. Vnde Iudit 9. dicitur *Superbi non placuerunt tibi ab initio.* Sicut enim similitudo est causa & mater amoris; sic dissimilitudo est mater odij & rancoris. Et ideò sicut Deus, qui est humilis, alios diligit sibi similes, sic superbos sibi contrarios persequitur & inuadit. Nam sicut dicitur Iacob. 4. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Secundò. Quia est internæ iracundiæ concitatiua. Superbus enim faciliter irascitur, & difficiliter complacatur. Patet de Leone, quod est animal superbum, & tamen ad iracundiam promptissimum. Duo enim corpora rotunda Sphærica vel tumorosa non possunt inuicem copulari; solùm enim in puncto se tangunt; & ideò nunquam tenaciter se coniugunt, imò ab inuicem faciliter se disiungunt. Sic verè

verè tumorosi, superbi, & inflati ità parum se coniungunt per amorem, quòd nũquam possunt per concordiam copulari firmiter; quinimò facillimè solent litibus, & controuersijs ab inuicem separari. Vnde scriptum est Prouer. 13. *Inter superbos sunt iurgia.*

Tertiò. Quia est verbalis arrogantiæ suscitatiua. Superbi enim communiter sunt arrogantes in verbis; nullum enim possunt dicere verbum gratiosum; sed magis arrogans, indignum, & iniuriosum. Elephas qui flectere nequit genua detestabilem promit arrogantiæ barritum.

Quartò. Quia est mentalis sapientiæ excæcatiua. Superbus enim videtur esse cæcus, non enim videt se ipsum. Ventus, & fumus superbiæ oculos intellectus ita hebetat & obfuscat, quod nec se, nec alios videt. Non enim videt superbus vnde venit, nec vbi est, nec quò vadit. Non videt etiam quanta est aliorum sufficientia, quia scilicet seipsum reputat solum, & omnes alios vilipendit.

Quintò. Quia est crudelis violentiæ executiua. Superbi enim naturaliter sunt crudeles, rapinæ & violentiæ professores, simplicium & pauperum oppressores. Vnde Prouer. 22. dicitur, *Arma & gladius in via superbi.* Et Psal. 10. *Dum superbit impius incenditur pauper.*

Sextò. Quia est pomposæ excellentiæ ostentatiua. Superbi enim gestu & habitu sunt elati, quod patet, quia vix hominem dignantur respicere, erecti solent in suis actibus & verbis semper superbiam declarare. Similes hyænæ superbæ bestiæ, quæ collum habet inflexibile, quia superbi collum flectere non dignantur; sed Deus illos flectit. Vnde Daniel. 4. dicitur. *Deus gradientes in superbia potest humiliare.*

Septimò. Quia est verbosæ eloquentiæ generatiua. Superbi enim semper volunt loqui; habere enim volunt omnia verba & de suis factis & diuitijs se iactare. Tympanum enim plenum vento quando est benè siccum, & extentum multum

est sonorum, sic verè qui vento superbiæ est repletus, & ad omne malum per obstinationem extentus, & per defectum Diuinæ gratiæ aridus & siccus, per verbositatem iactantiæ, & superfluæ eloquentiæ communiter est sonorosus iuxtà illud Psalm. 16. *Os eorum locutum est superbiam.*

Octauò. Quia est criminosæ excrescentiæ augmentatiua. Quia scilicet superbia est vitium, quod continuè crescit. Vētus enim quando à mari vel à terra oritur est vapor modicus; sed tandem continuè crescens efficitur aliquando valdè magnus, sic verè superbia à Corde procedens quamuis in sui principio sit modica continuè tamen crescendo fit postea valdè magna iuxtà illud Psal. 73. *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.* Et ventus superbiæ ipsos agitare non cessat quousq; per mortem ipsos interficiat. Vnde de tali obstinatione dicitur Iob. 5. *Cunctis diebus suis impius superbit.*

Nonò. Quia est ruinosæ eloquentiæ dissipatiua. Superbia enim causa est & occasio, quod superborum gloria & opulentia parum durat, & faciliter dissipatur. Montes qui præ alijs partibus terræ eleuantur, terræ motum sæpius quàm valles patiuntur; sic verè elati terræmotum tribulationum incurrunt. Vnde Eccles. 21. *Domus, quæ nimis locuples est, annulabitur superbia.*

Decimò. Quia est dolorosæ pestilentiæ introductiua scilicet mortis æternæ. Nam pro certò non sufficit Deo temporaliter superbos prosternere: quinimò solet eos sagitta mortis æternæ iaculari. Fulmen enim (quod Cæleste iaculum ab antiquis dicebatur) solet magis alta loca percutere; sic iaculum mortis æternę & percussio diuini iudicij solet libentius lædere corda superba. Iob. 40. *Disperge superbos in furore tuo, & omnem arrogantem humilia.* Maiori enim impetu, & conatu impellit fulgur loca fortia, & resistentia, quàm humilia & debilia iux. illud Ierem. 46. *Fortis impegit in fortem.* Sic Deus magis vult resistere sibi resistentibus & superbis, quàm humilibus.

§. 3.

§. 3. *Afferuntur Exempla.*

QVàm detestabile sit vitium Superbiæ; & quàm seuerè Deus in superbos animaduertat patebit consideranti exempla tùm antiqua ex diuinis literis, tùm moderna ex approbatis historicis.

Et vt aliqua ex antiquis prodamus, Eua propter appetitum excellentiæ cum audisset à serpente *Eritis sicut Dij* de ligno vetito comedit, vnde peccauit; & ex illo peccato tot mala inuecta sunt in orbem terrarum.

Superbia gigantum volentium ædificare turrim vsque ad Cælum damnata fuit per confusionem linguarum. *Sic Gen.* 11.

Graui pœna fuit mulctatum elationis peccatum, quando Dauid iussit numerare populum sibi subditum. *Sic* 1. *Reg.* 24.

Superbè nimis nunciari iussit Exechiæ Rex Assiriorum dicens quòd neq; Deus neq; homo posset eum liberare de manu sua. Atq; ob talem superbiam 180. millia de illius exercitu fuerunt ab Angelo vna nocte enecata. 4. *Reg.* 19.

Balthassar filius Nabuchodonosor Rex Babilonis non humiliauit cor suum; sed aduersus dominatorem Cæli & terræ elevatus est, ideoq; interfectus est; & Darius Medus ei successit in Regno. *Dan.* 5.

Nicanor veniens ad pugnandum contrà Iudam & socios eius; ita credebat esse securus de victoria; vt venderet Iudæos antequam in campos eos videret sed ei malè cessit. 2. *Mach.* 8.

Statuto die Herodes Agrippa veste Regia indutus sedit pro tribunali, & concionabatur ad populum: Populus autem acclamabat *Dei voces & non Hominis*. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset glo-

riam & honorem Deo, & consumptus à vermibus expirauit, *Act.* 2.

Sed subnectamus etiam aliqua ex humanis literis ad maiorem superbiæ detestationem & fugam.

Primum exemplum. Quidam Simon de Tornaco celebris Parisijs Doctor, in disputatione de Humilitate Christi, ex superbia datus est in reprobum sensum. Nec enim veritus est asserere tres esse qui mundum sectis suis subiugassent, nempe Moisen, Christum, Mahometum. Moisen infatuasse Iudæos, Christum Christianos, Mahometum Gentiles. His verò pronunciatis statim diuersis oculis pro humana voce mugitum dedit, & epilepsia elisus in terram, die tertiò vindictam accepit, mortuusque manet non nominans nisi Aleidem concubinam suam.

Secundum de Macchiauello. Hic cum rememoraret quòd viri illi illustres Alexander, Plato, Aristoteles assererentur damnati; & alia ex parte quòd illi qui inter Beatos censentur, fuerunt in oculis seculi viles, & abiecti, superbiæ spiritu dementatus in hanc insanam erupit vocem. *Malorum alios illustribus viris, infernum descendere; quàm enim his iustioris in Cælum ascendere.*

Tertium de quodam magni nominis Theologo in Peruēſi Regno. Hic familiaritate cuiusdam mulieris deceptus quę videbatur pati diuina, plena extasibus & reuelationibus; quasi oraculo tantam de se opinionem concepit, vt quamuis integri esset sensus & cerebri, tamen seriò crederet, serioq; affirmaret se & Regem futurum, & Pontificem summum sede Apostolica ad illas regiones translata; concessam quoque sibi sanctitatem super omnes Cælites, atque Apostolos omnes; quin etiam oblatam sibi à Deo vnionem Hypostaticam; sed à se non fuisse admissam: datum se quoq; redemptorem orbis quoad efficaciam (vt ipse loquebatur) quòd Christus tantummodo quoad sufficientiam fuisset. Omnem

statum Ecclesiasticum abrogandum; leges verò alias se editurum faciles & apertas, secundùm quas cælibatus Clericorum tolleretur, multitudo vxorum concederetur, Confessionis necessitas excluderetur. Hæc & alia multa tanta libertate & facundia asseuerabat coràm Episcopo, & Iudicibus Sanctæ inquisitionis citans plurima ex Prophetis, ex Apocalipsi, ex Psalmis, eaq; his commentis adaptans, vt omnes starent attoniti. Atq; cum per plures dies disputatio esset inita cum eo à doctissimis viris, nunquam potuit ad sanam reduci doctrinam. Adeò vt stupendum foret, eò posse adigi mentis humanæ superbiam & pertinaciam. Quapropter nouus ille Rex, Pontifex, Redemptor, & legislator igni traditus est, & in cineres redactus. Prædicta tria exempla ex probatis auctoribus refert *Iacobus Marchamius in sua tuba Sacerdotali tract. 1. sect. 4.*

§. 4. *De Remedijs contrà Superbiam.*

MVlta remedia à Sanctis Patribus afferuntur contrà vitium Superbiæ. Mihi videntur præcipua esse quinq; à nobis infrà ponenda.

Primum igitur est attenta consideratio locorum Sacræ Scripturæ, quæ adduximus in §. 1. & aliorum, quæ passim occurrunt, quibus ostenditur quàm sit detestabile vitium, quantum Deo displiceat, & quàm seuerè Deus superbos puniat. Item consideratio casuum commemoratorum, & rationum, & auctoritatum, quæ attulimus in præcedentibus paragraphis.

Secundum remedium est agnitio propriæ vilitatis. Tùm quoad Corpus: Tùm quoad Animam.

Quoad Corpus considerando qualis Homo fuerit in sua nativitate: Qualis sit in præsenti tempore: Qualis in morte futurus. Sperma fuit fœtidum; nunc fœcus est stercorum: postmo-

postmodum erit esca vermium. [Considera ò Homo (*inquit Diuus Bernardus.*) Vnde venis & erubesce. Vbi es, & ingemisce. Quò vadis & contremisce. Cum superbientibus Angelis Deus non pepercerit, puta sinè impunè superbire putredo & vermis? Nihil illi fecerunt, nihil operati sunt tantùm cogitauerunt superbiam, & in momento, in ictu oculi irreparabiliter ceciderunt, & è Cælo præcipitati sunt. Si sic actum est cum Angelis, quidde te erit terra & Cinere? Illi in Cælo superbierunt, tu verò in sterquilinio. Quis non tolerabiliorem in diuite superbiam, quàm in paupere dicat? Si ergò tàm durè in beatos illos Angelos animaduersum est, quoniam eleuatum fuerat cor eorum, quàm grauia de te exigẽtur supplicia & misero & superbo?] *Hæc Bernardus.* Quæ sanè consideratio si Cordi figatur, non potest non elidere humanæ mentis superbiam. Faciunt etiam ad rem hæc Carmina.

Vnde superbit Homo, cuius conceptio culpa
Nasci pœna, labor vita, necesse mori?
Post Hominem Vermis, post Vermem fœtor & horror
Sic in non Hominem vertitur omnis Homo.

Quoad Animam considerando se esse oneratum peccatis, mole corporis aggrauatum, terrenis intricatum curis, carnalium desideriorum fœce infectum, implicitum mille erroribus, expositum mille periculis, mille timoribus trepidum, mille difficultatibus anxium, mille suspicionibus obnoxium, mille necessitatibus ærumnosum, procliuem ad malum, difficilem ad bonum. Certè his omnibus consideratis non est verendum ne quis se nimis humiliet, aut nimis humiliter de se sentiat.

Tertium remedium contrà superbiam (si fortè de bonis nostris operibus, & de nostris talentis hæc insurgat) erit cõsideratio incertitudinis, quam de bonitate ipsorum operum nos habemus. Nemo euidenter & certò scit an toto vitæ suæ tempore vel vnum opus meritorum fecerit; Tùm quia non

potest

poteſt eſſe meritoriũ opus ſine gratia; nemo autẽ ſcire certò poteſt ſe eſſe vel fuiſſe in gratia: Tùm etiam quia ſæpè vitia ſpeciem virtutum præſeferunt; ſæpe inanis gloria, vel intentio diſtorta opus alioqui bonum corrumpit, ſæpe iuſtitia noſtra ante oculos Iudicis iniuſtitia eſt; Alia enim ſunt iudicia Hominum, Alia iudicia Dei. *Nihil mihi conſcius ſum.* (inquit Apoſtolus 1. *Cor.* 4.) *Sed non in hoc iuſtificatus ſum.* De talentis autẽ queſo quam ſuperbiam captare poſſumus? Cum omne bonum (ſi quid eſt in nobis) ſit à Deo. *Gratia Dei ſum id quod ſum.* (dicebat Apoſtolus 1. *Cor.* 15.) quomodo poſſumus gloriari & ſuperbire de eo quod noſtrum non eſt?

Quartum remedium eſt Vitæ & Mortis Chriſti meditatio. Ad hoc *inquit S. Gregorius lib.* 34. *Mor. cap.* 17. Vnigenitus Dei Filius formam infirmitatis noſtræ ſuſcepit ad hoc inuiſibilis non ſolùm viſibilis; ſed etiam deſpectus apparuit; ad hoc contumeliarum ludibria, irriſionum opprobria, paſſionumq; tormenta tolerauit, vt ſuperbum non eſſe hominem doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitatis virtus eſt, propter quam ſolam veraciter edocendam is qui ſine æſtimatione magnus eſt, vſque ad paſſionem factus eſt paruus.] *Hæc Gregorius.*

Et S. Baſilius de Humil. inquit. [Vniuerſam Domini diſpenſationem ad humilitatẽ nos inſtruere deprehendimus. Cum infans eſſet mox in ſpelunca, nec lecto ſed præſepi imponitur. Deinde in domicilio fabri, & matris pauperculæ enutritur ſubditus matri, & illius Sponſo. Docetur audiens quorum egebat, ſubditur Ioanni Baptiſtæ, baptiſmum ſuſcipit Dominus à ſeruo. Nemini aduerſariorum reſiſtit; nec inenarrabilem ſuam poteſtatem in quemquam vibrat, ſed quaſi potentioribus cedit. Principibus Sacerdotum in forma rei ſiſtitur, ad Præſidem ducitur, iudicium illius ſuſtinet, & cum poſſet calumniatores arguere, ſilentio tolerat illorum calumnias. Conſpuitur à ſeruis ac viliſſimis famulis. Morti traditur,

ditur, eiq; hominum iudicio turpissimæ.

Quintum remedium est consideratio ipsiusmet superbiæ & superborum; quia nec illa, nec illi, possunt cuiquam placere. Non Deo, quia ipsum habent aduersarium, nam Deus *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* 1. Pet. 5. Non humilibus, quia humilitatis amatores planè exhorrent superbiam. Non etiam alijs superbis, quia eo ipso nomine quo quis sese exaltat, & extollit, iam sibi aliorum conciliat inuidiam superborum, qui hoc metuunt, ne ille excellentior ipsis, aut beatior habeatur. Nec tandem sibi placebit ipse superbus, siue in hoc seculo cum ad se reuersus vilitatem suam agnouerit, nihilq; inuenerit quo verè gloriari possit: neq; in futuro cùm ob superbiam in æternum ardebit. Quapropter quodam loco Deum sic loquentem introducit *S. Bernardus*, ¶O Homo si te videres tibi displiceres, & mihi placeres: Sed quia te non vides, tibi places, & mihi displices. Veniet dies quando nec tibi nec mihi placebis: mihi, quia peccasti: tibi, quia in æternum ardebis. Soli Diabolo tua placet superbia, qui superbus est valdè, qui ex speciosissimo Angelo præ superbia in teterrimum Dæmonem est commutatus, teq; simili modo sibi similem tentat efficere. *Ita Bernardus.*

CONCLVSIO ET ADHORTATIO AD ECCLESIASTICOS.

CVm igitur Ecclesiastici Dei ministri debeant à se omnia prædicta vitia, & impedimenta remouere, quid est quod in plerisq; heu contrarium deprehenditur? quid est (*vt Diui Bernardi verbis vtar ser. de conuer. ad Cler. cap. 29.*) quòd curritur passim ad Sacros ordines, & reuerenda ipsis quoq; spiritibus angelicis ministeria homines apprehendunt sine reuerentia, sine consideratione. Neq; enim signum regni occupare cœlestis, aut illius timent imperij gestare coronam, in quibus auaritia regnat, ambitio imperat, dominatur superbia,

perbia, sedet iniquitas, luxuria etiam principatur: in quibus & pessima fortè appareat intrà parietes abominatio, si iuxtà Exechielis prophetiam parietem fodiamus, vt in domo Dei videamus horrendum. Si quidem post fornicationes, post adulteria, post incestus, nec ipsa quidem apud aliquos ignominiæ passiones, & turpitudinis opera desunt: vtinam non fierent quæ vsq; adeò non conueniunt, vt nec Apostolũ hæc scribere, nec nos dicere oporteret, vt nec dicentibus crederetur quod humanum aliquando occupauerit animum tàm abominanda cupido. Nunquid non olim ciuitates illæ spurcitiæ huius matres diuino prædamnatæ iudicio, & incendio sunt deletæ. Nunquid non gehennalis flamma moram non sustinẽs execrabilem illam præuenit tollere rationem, quod ipsius specialiter essent peccata manifesta præcedentia ad iudicium? Nunquid non & ipsam vt pote conscium tantæ confusionis tellurem absumpsit ignis, sulphur, & spiritus procellarum? Nunquid non in locum horribilem solum omne redactum est? Amputata sunt hydræ capita quinq; sed heu innumera surrexerunt. Quis reædificauit vrbes flagitij, quis turpitudinis mænia dilatauit, quis extendit propagines virulentas? Væ, væ, inimicus hominum sulphurei illius incendij reliquas infælices circumquaq; disperfit, execrabile illo cinere Ecclesiæ corpus asperfit, & ipsorum quoq; ministrorum eius nonnullos sanie fætidissima, spurcissimaq; resperfit. Heu genus electum, regale Sacerdotium, gens Sancta, Populus acquisitionis, quis inter tua illa primordia tàm diuina, & spiritualibus affluentem charismatibus Christianæ religionis ortum, credere potuisset posse talia in te aliquando reperiri? Ingrediuntur cum hac macula tabernaculum Dei viuentis, inhabitant cum macula, templum Sanctum Domini polluentes, iudicium multiplex accepturi, quod & tam grauissimas conscientias gerunt, & nihilominus sese ingerunt in Sanctuarium Dei. Tales n. non modò non placant

Deum, ſed magis irritant, dum videntur in cordibus ſuis dicere. Non requiret. Irritant planè, & interſum reddunt ſibi; vereor ne in his, quibus eum repropitiare debuerant. Vtinam magis turrim inchoaturi, ſedētes computarent ne fortè ſūptus non habeant ad perficiendum. Vtinam qui continere non valent, perfectionem temerariè profiteri, aut cælibatui dare nomina verentur. Sumptuoſa ſiquidem turris eſt, & verbum grande, quod non omnes capere poſſunt. Eſſet autem ſine dubio melius nubere quam vti, & ſaluari in humili gradu fidelis populi, quàm in Cleri ſublimitate & deterius viuere, & diſtrictius iudicari. Caueamus ergo dilectiſſimi (vt cum eod. Bern. ibid. cap. 17. eloquar) caueamus mala opera, nec includētis ſagenæ fiducia, liberè intrà Eccleſiam delinquamus: hoc ſcientes quia non omnes quos ſagena trahit, piſcatorum vaſa recipient, ſed erit cum ad littus venerint, eligent bonos in vaſa, malos autem foras mittent. Neq; hoc contenti lumborum cingulo, accēdamus etiam lucernas noſtras, & inſtanter operemur bonum: cogitantes quod omnis arbor non modò quæ malum fecerit fructum, ſed etiam quæ bonum non fecerit, excidetur, & in ignem mittetur, illum vtiq; ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. Cæterum ſic declinemus à malo, vt faciamus bonum; inquiramus pacem, non gloriam proſequamur. Illa enim Dei eſt, & eam alteri non dabit. Gloriam, inquit, meam alter non dabo. Et dicebat homo ſecundum cor Dei. Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Recordemur etiam ſcripturæ dicentis: ſi rectè offeras, & non rectè diuidas, peccaſti. Recta eſt fratres, illa noſtra diuiſio, nemo detractet. Alioquin ſi cui forſitan minus placet, ſicut non noſtram eſſe; ſed Angelorum. Priores enim Angeli cecinerunt. Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Seruemus ergo in vaſis oleum, ne fortè (quod abſit) clauſas iam nuptiarum ianuas fruſtrà pulſantes,

ver-

verbum audiamus amarum,& de intus nobis ſponſus reſpõdeat . Neſcio vos. Adhuc tamen mors poſita eſt non modò ſecus iniquitatem, ſterilitatem, vanitatem; Sed & ſecus introitum ipſius etiam voluptatis. Quo circa opus eſt fortitudine aduerſus tentamenta peccati, vt rugienti leoni reſiſtamus fortes in fide, & ignita ipſius iacula hoc ipſo clypeo viriliter repellamus. Opus eſt iuſtitia, vt operemur bonum. Opus eſt prudentia ne cum fatuis virginibus reprobemur. Opus deniq; temperantia, ne voluptatibus indulgentes audiamus aliquando quod miſer ille epularum pariter & veſtium ſplendore finito, dum miſericordiam precaretur audiuit: Memento fili quod recepiſti bona in vita tua,& Lazarus ſimiliter mala, nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris. Planè terribilis Deus in conſilijs ſuper filios hominum; Sed ſi terribilis eſt,etiam miſericors inuenitur, dum futuri formam iudicij non occultat. Anima enim quæ peccauerit, ipſa morietur: & palmes qui fructum non fecerit excidetur. Virgo cui defuerit oleum,à nuptijs excludetur: & qui bona receperit in hac vita, cruciabitur in futura. Quod ſi fortè contingat in vno quolibet ſimul hæc quatuor inueniri, ea planè extrema deſperatio eſt. *Hæc Sanctiſſimus, & deuotiſſimus Bernardus vbi ſupra.* Ergo dum tempus habemus operemur bonum. Satagamus vt per bona opera terram noſtram vocationem & electionem faciamus; ſic enim abundanter miniſtrabitur nobis introitus in æternum Regnum Domini noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Amen.

DISTINCTIO TERTIA.

De positione illarum rerum, quæ bonitatem inducunt in Ecclesiasticos.

Summa totius Distinctionis.

QVæ ad Bonitatem, & perfectionem in Ecclesiasticis desideratam maximè conducere videntur ad duo veluti summa genera reduci possunt, nempe Primò ad ea, quæ sunt veluti præambula & tanquam media ad illam assequendam. Secundò ad ea, in quibus ipsa bonitas cosistit, seu ex quorum complexione ipsa Ecclesiastica bonitas perfectioq; resultat. Primi generis sunt Lectio Spiritualis, Oratio mentalis, Officium diuinum, Confessio Sacramentalis, & Sanctissimum Missæ Sacrificium. Secundi generis sunt illæ virtutes, quas Apostolus scribens ad Timotheum, & ad Titum requirit in viris Ecclesiasticis præsertim in dignitate constitutis, videlicet Fides, Spes, Charitas, Prudentia, Iustitia, Castitas & Pudicitia, Patientia, Mansuetudo, Sobrietas, Benignitas, Hospitalitas, nonnullæq; aliæ. De quibus omnibus partim in hac Distinctione, partim in sequenti parte huius operis agendum est. Sante omnia prælibandum est aliquid de Residentia Ecclesiasticorum; est enim tanquam præuium quoddam fundamentum, sine quo nec assurgere, nec consistere vllo modo potest turris Ecclesiasticæ perfectionis. Sit igitur.

CA-

CAPVT. I.

De Ecclesiastica Residentia.

DE Residentia Ecclesiasticorum *Sac. Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. de Reform. statuit vt infrà.* Cum præcepto, inquit, diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere; pro his sacrificium offerre; verbiq; diuini prædicatione; Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum, aliarumq; miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cæterà munia pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab ijs præstari & impleri possunt; qui gregi suo non inuigilant neq; assistunt, sed mercenariorum more deserunt. Sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, vt diuinorum præceptorum memores, factiq; forma gregis, in iudicio & veritate pascant & regant. Ne verò ea, quæ de residentia sanctè & vtiliter iàm ante sub fel. rec. Paulo. 3. sancita fuerunt in sensus à Sacrosanctæ synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius decreti quinq; mensibus continuis ab esse liceat; illis inhærendo declarat Sacrosancta synodus omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesijs quibuscunq; quocunq; nomine & titulo præfectos etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia, vel Diœcesi residentiam, vbi iniuncto sibi officio defungi teneãtur; neq; abesse posse nisi ex causis & modis infrascriptis. Nam cum Christiana Charitas, Vrgens necessitas, Debita obediẽtia, ac euidens Ecclesiæ vel Reip. vtilitas aliquos non nunquam abesse postulent, & exigant; decernit eadem Sacrosancta synodus has legitimas absentiæ causas à Beatissimo Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel eo absente, suffraganeo Episcopo antiquiori residente; qui idem Metropolita-

politani abſentiam probare debebit, in ſcriptis eſſe approbandas; niſi cum abſentia inciderit propter aliquod munus & Reip. officium Epiſcopatibus adiunctum; cuius quoniam cauſæ ſunt notoriæ, & interdum repentinæ, ne eas quidem ſignificari Metropolitano neceſſe erit: ad eundem tamen cum Concilio prouinciali ſpectabit iudicare de licentijs à ſe, vel à ſuffraganeo datis; & videre ne quis eo iure abutatur; & vt pœnis canonicis errãtes puniantur. Interea meminerint diſceſſuri, ita ouibus ſuis prouidendum, vt quantum fieri poterit ex ipſorum abſentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem qui aliquantiſper tãtum abſunt, ex veterũ canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reuerſuri ſunt: Sacroſancta ſynodus vult, illud abſentiæ ſpatium ſingulis annis ſiue continuum ſiue interruptum extrà prædictas cauſas, nullo pacto debere duos, aut ad ſummum tres menſes excedere; & haberi rationem, vt id æqua ex cauſa fiat, & aſq; vllo gregis detrimento; quod an ita ſit, abſcedentium conſcientiæ relinquit, quam ſperat religioſam & timoratam fore cum Deo corda pateant; cuius opus non fraudulenter agere ſuo periculo tenentur. Eoſdem interim admonet, & in Domino hortatur ne per illius temporis ſpatium Dominici aduentus, Quadrageſimæ, Natiuitatis, Reſurrectionis Domini, Penteco ſtes item, & Corporis Chriſti diebus, quibus refici maxime, & in Domino gaudere Paſtoris præſentia oues debeant, & ipſi ab Eccleſia ſua Cathedrali vllo pacto abſint, niſi Epiſcopalia munia in ſua Diœceſi eos alio vocent.

Si quis autem, quod vtinam nunquam eueniat, contrà huius decreti diſpoſitionẽ abfuerit, ſtatuit Sacroſancta ſynodus (præter alias pœnas aduerſus non reſidentes ſub Paulo 3. impoſitas & innouatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit) eum pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione

non

non sequuta, illos sibi detinere posse, sed teneri, aut ipso cessante per superiorem Ecclesiasticum, illos fabricæ Ecclesiarum aut pauperibus loci erogare: prohibita quacunq; conuentione, vel compositione, quæ pro fructibus malè perceptis appellatur; ex qua etiam præd cti fructus in totum aut pro parte ei remitterentur: non obstantibus quibuscunq; priuilegijs cuicunq; Collegio aut fabricæ concessis.

Eadem omnino etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pænas de Curatis inferioribus & alijs quibuscunq; qui beneficium aliquod Ecclesiasticã curam animarum habens obtinent, Sacrosancta synodus declarat & decernit, ità tamen vt quandocunq; eos causa prius per Episcopum cognita, & probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis gratisq; concedendam vltrà bimestre tempus, nisi ex graui causa non obtineant. Quod si per edictum citati etiam non personaliter contumaces fuerint, liberum esse vult ordinarijs per censuras Ecclesiasticas & sequestrationem & subtractionem fructuum aliaq; iuris remedia etiam vsq; ad priuationem compellere, nec executionem hanc quolibet priuilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cuiuscunq; beneficij, pactione, statuto, etiam iuramento, vel quacunq; auctoritate confirmato, consuetudine etiam immemorabili. quæ potius corruptela censenda est, siue appelatione, aut inhibitione etiam in Rom. Cur. vel vigore Eugenianæ Constitutionis suspendi posse. Postremò tàm decretum illud sub Paulo. 3. quàm hoc ipsum in concilijs Prouincialibus, & episcopalibus publicari Sancta synodus precipit: cupit enim quæ adeò ex Pastorum munere, animorumq; salute sunt, frequenter omnium auribus, mentibusq; infigi; vt in posterum, Deo iuuante, nulla temporum iniuria, aut hominum obliuione, aut desuetudine aboleantur.

Ex

Ex predicto decreto Sac. Conc. colligitur resolutio multarum quæstionum, quæ in hac materia fieri solent, nempe quid sit Residentia? Quo iure inducta? quæ Personæ teneantur residere? sub quibus pænis? Quando possit dispensari in residentia? Quis possit dispensare? Quomodo prouidendum gregi in absentia Pastoris? & similia.

Colligitur enim primò Quòd Residentia sit assistentia pastoralis in loco beneficij pro adimplendis muneribus pastoralibus. Secundò Quod sit inducta iure Ecclesiastico fundato in Iure diuino; nam cum iure diuino pastores teneantur pascere gregem Verbo, Exẽplo, & Sacramentorum administratione iuxtà illud Ioa. 20. *Pasce oues meas*. Consequens est vt teneantur ad medium, sine quo talis finis haberi non potest; hoc autem medium est assistentia personalis. Nec dicatur quod quis possit pascere gregem per alterum. Quia respondetur Pastorem animarum non esse Dominum illarum; sed ministrum Domini, qui est Christus Iesus; vnde non potest absens per alterum exercere suum ministerium; hoc enim pacto vsurparet sibi id quod est proprium Domini; & ipse non esset minister & dispensator sed Dominus. Colligitur Tertiò Quòd teneantur ad residentiam omnes quibus animarum cura commissa est, quales sunt Patriarchæ, Archiepiscopi, & alij, de quibus supra in decreto. Quartò Quòd teneantur residere sub pæna peccati mortalis, amissionis fructuum, & etiam priuationis beneficij iuxtà maiorem, minoremue contumaciam. Quintò Quod causæ, in quibus superior possit dispensare circa residentiam, sunt quatuor, videlicet Christiana Charitas, Vrgens necessitas, debita obediẽtia, & euidens vtilitas Ecclesiæ vel Reip. preter dictas causas possunt Pastores etiam abesse per duos vel tres menses, vt dicitur in decreto; dummodo id fiat ex aliqua rationabili causa. Sextò Quod in Episcopis dispẽsat summus Pontifex, vel Metropolitanus vel Episcopus suffraganeus antiquior:

& in

& in alijs pastoribus inferioribus dispensat episcopus seu quiuis alter superior. Septimò Quòd in casu absentiæ nullum oues patiantur detrimentum; & illis prouideatur de Vicario idoneo & sufficienti.

CAPVT. II.

De Lectione Spirituali.

MAgna planè ac mira semper extitit Sacrę lectionis vtilitas, ac talis vt ex illa tanquam è fonte diuina adiuuante gratia tota Ecclesiasticorum perfectio initiatiuè emanet. Non enim potest non esse certum quod Spiritus Sanctus per os Dauid eloquitur dicens. Psal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & seruus tuus dilexit illud*. Quis enim nesciat lucernam vnicũ esse medium noctis tempore ad declinandum à prauauia, & ad rectam tenendam? Dum sumus in hoc sæculo atq; dum corporeis hisce vinculis detinemur, haud dubium quin simus caliginoso quodam loco circumsepti, ac tenebrosa quadam nocte circumfusi. *Nox ill Sæculum* dicit D. Ambrosius; indigemus ergo lucerna, vt rectè ambulemus ne impingamus: vt declinemus à malo, & faciamus bonum: Ecce lucerna, *Verbum Dei*. Hinc Princeps Apostolorum dicebat. *Habemus propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco*. Porrò hæc lucerna debet à nobis applicari vt eius beneficium sentiamus. Applicatur autem per Lectionem, quæ ideò dicitur Spiritualis, quia debet esse librorum Spiritualium, & ad excitandum spiritum ordinata. Igitur de hac ostendemus Vtilitatem imò Necessitatem. Primò per Diuinarum Literarum Auctoritates, tum Sacrorum Canonum, tum Sanctorum Patrum. Secundò per Rationes. Tertiò per Exempla: Quartò videbimus quorum librorum lectio sit amplectenda, & quorum respuenda. Quintò & vltimo Quinam modus in dicta lectione Spirituali sit adhibendus.

§. 1. *Afferuntur auctoritates Sacræ Scripturæ, Sacrorum Canonum & Sanctorum Patrum.*

IN primis magnus ille populi Iſraelitici Dux & Legislator Moyſes mandat filijs Iſrael vt continuò verſentur in lectione & meditatione legis diuinæ,& mandatorum Dei his verbis *Deuteron. cap. ſexto.* [Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in cordie tuo: & narrabis ea filijs tuis,& meditaberis ſedens in domo tua: & ambulans in itinere dormiens atq; conſurgens. Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos, ſcribesq; eam limine, & in oſtijs domus tuæ. *Et Prouerbiorum cap. 1. dicitur.* Audi fili mi diſciplinam Patris tui,& ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo, *Et ibidem cap.* 2.[Fili mi,ſi ſuſceperis ſermones meos,& mandata mea abſconderis penes te &c. tunc intelliges timorem Domini,ſcientiam Dei inuenies.] *Ibid.cap* 3 [Fili mi ne obliuiſcaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum cuſtodiant;lõgitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi.] *Et 1. ad Timoth. cap. quarto.* [Attende lectioni,& exhortationi, & doctrinæ. Noli negligere gratiam quæ eſt in te.] *Et 2. ad Timot. 3.* Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum &c. *Et Colo. 3.* Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter.]Sanè lectio Spiritualis maximè neceſſaria eſt Eccleſiaſticis tùm ad profectum proprium; tùm ad inſtructionem populorum. Vnde Malach. 2. dicitur. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem de ore eius requirent; quia Angelus Domini exercituum eſt.* Monentur itaq; Sacerdotes vacare lectioni librorum diuinorum & Spiritualium vt ſciant quid ſibi & populis ſibi commiſſis ad ſalutem conſequendam neceſſe ſit, ne fortè in illud Domini impingant. Oſeæ.4. *Quia tu ſcientiam repuliſti, & ego repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi.*

Quàm

Quàm necessaria etiam sit Ecclesiasticis lectio librorum Spiritualium ex Sacrorum Canonum ordinatione cuidēter apparet per omnia illa loca, in quibus damnatur ignorantia in ipsis Ecclesiasticis; *vt est dist.* 34. *per totam, in qua notabile est Caput sextum, in quo sic legitur.* [Omnes psallentes repromittimus Deo. In iustificationibus tuis meditabor: non obliuiscar sermones tuos. Quod omnes quidem Christianos obseruare saluberrimum est, sed præcipuè hos, qui hierarchicam consecuti sunt dignitatem &c. Substantia enim Sacerdotij nostri sunt eloquia diuinitus tradita, id est, vera diuinarum scripturarum disciplina, quemadmodum magnus perhibet Dionysius.] *Et cap. multis. dist.* 44. corrigitur à Diuo Gregorio Episcopus quidam eò quòd lectioni non vacaret, sed Conuiuijs. *Et dist.* 36. *cap. qui Ecclesiasticus. §. erecta habetur.* [Ecce quòd Sacrarum literarum oportet Episcopum habere peritiam; Vnde in veteri testamento inter cætera ornamenta Pontifex rationale ferebat in pectore, in quo scribebatur manifestatio & veritas, quia in pectore Pontificis manifesta debet esse cognitio veritatis. Adeò commendatur hæc Sacrarum lectio scripturarum, vt vt in ipsamet mensa adhibendam esse iubeant Sacri Canones. *Vnd. dist.* 44. *cap. conuiuia ita habetur.* Conuiuia quæ ex intentione impendendæ Charitatis fiunt, rectè vestra fraternitas in suis Epistolis laudat. Sed tamen sciendum est, quia tunc ex Charitate veraciter prodeunt, cum in eis nulla absentium vita mordetur; nullus ex irrisione reprehenditur, nec in eis inanes sæcularium negotiorum fabulæ; sed verba Sacræ lectionis audiūtur &c.] *Idem præcipitur in Concilio Tridentino sess.* 2. *his verbis.* [Et quoniam oportet Episcopos esse irreprehensibiles, sobrios, castos, domi suæ benè præpositos, ante omnia quilibet in mensa seruet sobrietatem, moderationemq; ciborum: deinde cum eo in loco sæpe otiosi sermones oriri soleant; vt in ipsorum Episcoporum mensis diuinarum Scripturarum lectio admisceatur.

Auctoritatibus Sacræ Scripturæ, & Sacrorum Canonum adstipulantur etiam auctoritates Sanctorum Patrum. Inter quos *magnus ille Mediolanensis Archiepiscopus sic ait.* [Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? Christum audias? Illum alloquimur cum oramus. Illum audimus cum diuina legimus oracula. Quid nobis cum fabulis? ministerium altari Christi non Hominibus deferendũ accepimus. *Diuus Hieronymus epistola ad Eustochium virginem, sacram hanc lectionem etiam atq; etiam illi commendat dicens.* Tenenti codicem somnus obrepat, & cadentem faciem pagina Sancta suscipiat. *Et Diuus Augustinus ad Demetriadem Virginem sic ait:* Ita scripturas Sanctas lege vt semper memineris Dei illa verba esse, qui legem suam non solum scribi, sed etiam impleri iubet. *Et Diuus Bernardus in Epistola ad Fratres &c.* De quotidiana lectione aliquid in vetrem memorię dimittendũ est, quod fidelius digeratur, & rursus reuocatum crebrius ruminetur, quod proposito conueniat; quod intentioni proficiat, quod animum detineat, vt aliena cogitare non libeat. *Et pius ille ac deuotus Thomas à Kempis in doctrinali iuuenum cap.* 6. [Ecclesiasticus sine libris, quasi miles est sine armis; equus sine frenis; nauis sine remis; scriptor sine pennis; auis sine alis; sutor sine subulis; faber sine malleis; sartor sine acu, & filis; sagittator sine iaculis; viator sine baculo; cæcus sine ductore.

§. 2. *Asseruntur Rationes.*

NOn desunt Rationes ad struendam Sacræ lectionis necessitatem. Prima ratio sit. Quia ex illa fructus innumeri, & vtilitates maximæ consequuntur. Breuiter illas colligit, atq; enumerat *Thomas de Kempis hisce verbis.* [Docent ignaros, arguunt otiosos, excitant torpentes, extimulant dormientes, corrigunt errantes, erigunt corruentes, terrent

rent ridentes, cõsolantur lugentes, laudant humiles, vituperant superbientes, confortant debiles, reprimunt præsumentes, mitigant turbatos, lætificant tristes, iustificant pios, damnant peruersos.] *De eadem re loquens S. Gregorius ait* nos dum Sacram scripturam legimus (idem quoq; de alia quacunq; lectione spirituali intelligendum) animæ oculis quoddam veluti speculum obijcere, vt in eo quales interius simus perspiciamus. Hic siquidem cognoscimus & videmus omne quod habemus tùm bonum, tùm malum: deinde quantum in via spiritus progredimur, quàm etiam procul à perfectionis meta absumus. In ijs interdum mirabilia Sanctorum gesta, & opera referuntur, vt ijs lectis ad eorum imitationem prouocemur; & ne, visis illustribus illorum victorijs ac triũphis; in tentationibus ac laboribus fracti, debilitatiq; fatiscamus. Aliàs ibi non solùm virtutes ipsorum, sed & graues lapsus enarrantur, vt in illis quid nobis imitandum, in his verò quid cauendum, ac metuendum sit videamus. Sic in Sacris literis aliàs nobis in exemplum proponitur Iob spumæ instar allisione, & in medio tentationũ excrescens: aliàs verò Dauid, qui eisdem ingruentibus diffluxit, ac dilapsus est: vt ille nos tribulationibus obrutos animet, & in spem erigat; hic verò in summa prosperitate & consolationibus humilia nos sapere, timere, ac nunquam de nobis ipsis præsumere, aut confidere; sed magna cum circumspectione & cautela in omnibus ambulare doceat. *Vnde benè S. Augustinus ait ad Demetriadem Virginem.* [Optime veteris lectione diuina, si eam tibi adhibeas speculi vice, vt ibi velut ad imaginem suam anima respiciat, & vel fæda quæq; corrigat quæ ibi reperiuntur, vel pulchra plus ornent; & ijs, quæ ibi leget, exemplis, & virtutibus sese condecoret.]

Secunda Ratio. Quia Sancti Patres solent lectionem hanc spiritualem auditioni verbi Dei assimilare; quòd esto lectio tantæ non sit energiæ, quanta viua vox; alias tamen vtilitates

tes includit, quibus aliquando conciones carent. Primò. Quòd prædicatorem quis ſemper & omni tempore in promptu habere non poteſt vti bonum aliquem librum. Secundò. Quòd benè dictum eſt in concione ſtatim pertranſit, ac proinde tantum effectum non facit: At verò quicquid boni liber continet, ſæpe ruminari, & ponderari poteſt ac per conſequens maioris eſt roboris, & efficaciæ. Tertiò bonus liber, bonus & ſincerus eſt conſiliarius; nam quod amicus vel conſiliarius dicere mihi interdum non audet, liber intrepidè dicit ac ſuggerit, vitiorum meorum ac defectuum me commonens modò me obiurgans, modò exhortans. Quartò per lectionem conuerſor & colloquor cum ijs, qui librum conſcripſerunt; hinc aliquando cum Bernardo, ſubinde cum Gregorio, modò cum Baſilio, aliàs cum Chryſoſtomo (& ſic de cæteris) colloqui potero, & veluti præſentialiter loquentes auſcultare perindè acſi tunc illorum eſſem diſcipulus.

Tertia Ratio. Quia maximi Sanctorum, & ipſimet Sacrarum Religionum Fundatores plurimi fecerunt hanc piorum librorum lectionem. Diuus Benedictus ſuis in Regulis præcipit Monacis vt quotidie ſimul cõgregati aliquid lectionis ſpiritualis deguſtent. Diuus Bernardus hoc ſtudium ſuæ ſorori commendat. Diuus Bonauentura ſuis Fratribus idem imponit. De Diuo Dominico, ac Diuo Thoma Aquinate legimus aſſiduos fuiſſe in peruolutandis Sanctorum Patrum collationibus à Caſſiano collectis. Doctor gentium Diuus Paulus morti iam erat vicinus, & tamen libros ſacros ad ſe afferri mandat; abſq; dubio illis volutandis ſeſe impendebat, quamuis infuſa diuinitus ſcientia non careret. S. Bonifacius Epiſcopus & Martyr Apoſtolus Germaniæ iugiter Euangelij codicem ſecum ferebat, adeò vt nec in martyrio illum dimiſerit; nam cum impij contrà ſe vibrarent enſem, ipſe codicem hunc quaſi clypeum illis obiecit: & illuſtri miraculo factum eſt, vt, licet enſe peracuto per medium ſectus

ſit

sit liber, nulla tamen litera per talem sectionem sit abolita. De S. Cecilia perillustri Virgine & Martyre Romana legimus; quòd Euangelium Christi semper in pectore suo gerebat. Infinitum esset singulos enumerare Deo deuotos viros ac mulieres, qui piorum librorum lectioni addicti fuere. Nimirum experiẽtia magistra discebant quàm magnos fructus inde cumulatè perciperent.

§. 3. *De Exemplis eorum qui per lectionem sacram ad Sanctitatem peruenêre.*

QVàm plurima possent huc adduci exempla eorum, qui per sacrorum librorum lectionem ad Deum conuersi, Ecclesiæ Dei sanctitate præluxere; sed ne à breuitatis instituto recedamus pauca in medium afferemus. Testis igitur in primis sit S. Chrysantus, qui adolescens adhuc cum in Gentilium erroribus versaretur, cupieretq; veram salutis viam agnoscere casu incidens in libros Euangeliorum ex illorum lectione illuminatus est. Testis etiam illustrissima illa fœmina nomine Domna tempore Maximiani Christianorum immanissimi persecutoris, quæ gentilitijs Deorum sacrificijs præfecta cum incidisset in Acta Apostolorum, & ex eis pietatem prægustasset; cupiens pleniùs ad Christianam fidem instituí, noctu conuenit Cyrillum Nicomedienſis Ecclesiæ Episcopum, à quo Religionem edocta, signoq; Crucis, ex more dato nomine, consignata, effectaq; cathecumena Agapium Diaconum ab eodem cathechistam accepit; tantumq; profecit vt pro Christo sanguinem effundere mereretur. Testes insuper aulici illi, de quibus D. Augustinus in confessionibus, qui legendo vitam magni illius Abbatis Antonij incitati ad stupenda illius sectanda vestigia, illicò in eodem loco, in quo librum casu inuenerant, ac legerant, nouæ vitæ propositum conceperunt, religioniq; nomina dederunt. Testis

ſtis ipſemet Auguſtinus, qui ex lectione illorum verborum Apoſtoli ad Rom. 13. *Non in commeſſationibus & ebrietatibus; non in cubilibus & impudicitijs; non in contentione & æmulatione: ed enduimini Dominum Ieſum Chriſtum*, vltimam manum ſuæ ſimpoſuit conuerſioni: ſtatim enim ſimul cum fine illorum verborum quaſi luce veritatis infuſa cordi eius omnes dubitationum & perplexitatum nebulæ diffugerunt. Teſtis S. Ioãnes Columbinus qui ex lectione vitæ S. Mariæ Egyptiacæ initium dedit conuerſioni ſuæ. Teſtis deniq; S. Ignatius Loiola, qui legendo Sanctorum vitas dum in lecto ægrotus decumberet, huiuſmodi lectione ſenſim ita immutatus eſt vt abiectis armis (erat enim miles) mundoq; contempto totum ſe diuino famulatui manciparit, eamq; inſtituerit Societatem, quæ in Eccleſia Dei vbiq; terrarum fructus parit vberrimos.

§. 4. *Quinam ſint libri legendi, & quinam reſpuendi.*

NEmini dubium eſſe poteſt inter libros legendos principem ſibi locum vindicare eum librum, qui Biblia nuncupatur, id eſt liber librorum eò quod contineat verbum Dei, & Spiritu Sancto dictante ſcripta ſint ea omnia quæ in illo continentur. Secundum locum ſibi vendicant libri Sacrorum Canonum, atq; Eccleſiaſticarum ſanctionum, quibus addere poſſumus libros Theologiæ moralis; quamuis iſtorum lectio potius ordinata videatur ad ſcientiam quàm ad pietatem: magis ad eruditionem quàm ad deuotionem: & ad illuminandum potius intellectum, quàm ad inflammandum affectum. Vnde iſtorum lectio non tàm propriè videtur appellari poſſe ſpiritualis eò quòd de ſe non eſt nata gignere & fouere ſpiritum in lectore; eſt tamen omnino neceſſaria in Sacerdote, qui tenetur ſcire vt poſſit populos docere. Tertio loco veniunt libri Sanctorum Patrum, atq; Eccleſiæ Do-

Doctorum, qui Ecclesiam Dei sanctitate, sapientia, multiplicique; doctrina illustrarunt, quales sunt libri Gregorij, Ambrosij, Augustini, Hieronymi, Basilij, Chrysostomi, Bernardi, Bonauenturæ & similium. In quarto loco reponimus libros, qui propriè sibi vendicant nomen spiritualium, quales sunt Thomæ à Kempis, Ludouici Blosij, Ioannis Climaci, Alphonsi Rodriguez, Ludouici à Ponte, Blasij Palmæ, præcipuè Ludouici Granatensis & similium. Ad quintum locum spectant Historiæ Ecclesiasticæ, & præsertim Vitæ Sanctorũ.

Libri autem, quorum lectio summopere cauenda est, sunt omnes illi, qui aut sanam fidem; aut bonos mores possunt peruertere; de quibus agitur *dist. 37. per totam vbi cap. 1. sic statuitur.* [Episcopus gentilium libros non legat, hæreticorum autem pro necessitate aut tempore.] *Et cap. 2.* reprehenduntur Sacerdotes, qui omissis Euangelijs Comædias legunt. *Et cap. 15. sic dicitur.* [Ideò prohibetur Christianus figmenta legere Poetarum, quia per oblectamenta inanium fabularum mentem excitant ad incentiua libidinum. Non enim solum thura offerendo dæmonibus immolatur; sed etiam eorum dicta libentius capiendo.

§. 5. *De Modo in Lectione Spirituali adhibendo.*

MOdus, quo in lectione spirituali vti debemus, quatuor hisce vocabulis continetur, videlicet. Deuotè. Modicè. Intentè. Attentè.

Et primò quidem Deuotè. Tunc autem deuotè habebimus lectionem Spiritualem, si Deum præsentẽ nobis recolamus; si ante lectionem cor ad Deum eleuemus; si gratiam ab eo poscamus vt, quod lecturi sumus, in vtilitatem nostram cedat; si tali proposito accedamus vt ex prælectis ad virtutem magis inflammati, atq; circa agenda magis illuminati reddamur; si denique in ipsa lectione Deum veluti nobis colloquentem audiamus.

Modicè. Vt non multi libri, nec multa eodem tempore legantur, nec multæ ſimul paginæ quodammodo deuorentur; ex prolixa enim, & veluti tumultuoria lectione defatigatur potius, quàm recreatur ſpiritus. Hoc maximè aduertẽdum eſt ijs, qui omnem felicitatem ſuã in eò collocare videntur, quòd multa legant, & multos libros euoluant. Quemadmodum enim non multorum ciborum ingeſtio, ſed paucorum, ſi tamen ſalubres ſint, bona digeſtio corpus humanũ alit, enutritque: ita nec animæ vitam fouent multa lecta ſed prælectorum ſedula ruminatio. Et quemadmodum non ea, quæ copiosè & præcipitanter; ſed quæ lentim & paulatim è Cælo decidit aqua terram inebriat: ita non copioſa & feſtinata; ſed modica & tardata lectio mẽtem fæcundat. Hinc optimum etiam datur conſilium, vt non paſſim difficilia & obſcura, ſed facilia; & non inuoluta & intricata; ſed plana & deuota pro lectione ſpirituali perlegantur: difficilia enim mq; & implicata deuotionem extinguere potius quam excitare; atq; ſpiritum defatigare potius quàm recreare conſueuerunt.

Intentè. Vt ad legendum accedamus intentione non tàm quærẽdi ſcientiam quàm ſaporem & guſtum voluntatis; nàm ſola intellectus ſcientia arida eſt, niſi voluntati applicetur vt per eam ſcilicet affectus moueatur, foueatur, & animi deuotio conſeruetur. Et hoc in primis notandum. Magna quippe differentia eſt inter lectionem, quæ purè tantum ad diſcendum; & inter lectionem quæ ad proficiendum ſuſcipitur: inter eam, quæ propter alios; & inter eam, quæ propter ſemetipſum ab aliquo inſtituitur. Si quidem prima eſt quodam veluti ſtudium; altera eſt propriè lectio ſpiritualis. Quocirca ſi, dum legimus, illud ſolum ſpectemus vt aliquid addiſcamus vel notemus quod poſtea alijs prædicemus, erit huiuſmodi lectio ſtudium ſolummodo ad aliorum vtilitatem inſtitutum.

At-

Attentè. Vt lectio non sit festinata (vti historiam aliquam legere solemus) neq; oscitanter habita; sed distincta, lenta, & cum matura quadam legendorum excussione. Bonum ergo & consultum est, vt incidentes in pium aliquem locum aliquantulum hæreamus in illo, & veluti stationem aliquam figamus tùm lecta ruminando, tùm voluntatem per illa mouendo & concitando ad eum fermè modum, quo fit in meditatione. Atq; ita facere suadent vitæ spiritualis magistri, docentq, in lectione spirituali imitari nos debere bibentem gallinam; hæc namq; cum aquæ pauxillum bibit, statim caput attollit, dein rursus aliquantulum sumens, rursus caput eleuat.

CAPVT III.

De Oratione.

AD lectionem spiritualem sequitur Oratio, imò lectio iter parat & sternit ad orationem; nec sine præuia lectione vt plurimùm possumus orationem præsertim mentalem habere. Non minus autem, imò magis necessaria est Ecclesiasticis oratio quàm lectio; & quidem magis præferenda, quemadmodum finis præfertur medijs. Est autem oratio *Eleuatio mentis in Deũ, per quam vel mala deprecamur; vel bona nobis alijsq; petimus; vel Deo benedicimus.* Ita eam describit S. Ioannes Damascenus. Quæ descriptio parum differt ab ea, quam tradit S. Augustinus dum ait. *Quid est oratio nisi ascensio Animæ de terrestribus ad Cælestia, inquisitio supernorum, inuisibilium desiderium?* Cæterùm duplex est, Vocalis scilicet & Mentalis. Vocalis præcipua est officium diuinum seu Horæ Canonicæ, de quibus cap. seq. Hic agimus de oratione in genere prout abstrahit à Vocali & Mentali; cuius tamen excellentiam, valorem & necessitatem ostendemus. Primò per Auctoritates Diuinarum Scripturarum, Sacrorum

rum Canonum, & Sanctorum Patrum. Secundo per Rationes. Tertiò per Exempla. Quartò agemus de Modo. Quintò de Loco. Sextò de Tempore orationis. Septimò de Oratione mentali in ſpecie. Octauò Reſpondetur querelis dicentium ſe nec poſſe, nec ſcire orare mentaliter. Nonò de Orationibus iaculatorijs. Decimò de examine cõſciẽtiæ

§. *Primus. De Valore & Neceſſitate Orationis per Auctoritates Diuinarum Literarum, Sacrorum Canonum & Sanctorum Patrum.*

INfinita propemodum loca ſunt in ſacris literis, in quibus excellentia, valor, & neceſſitas orationis commendatur. Nonnulla in medium afferemus, quæ pro noſtro inſtituto ſatis erunt. Igitur in primis Pſalmo 16. dicitur. *Auribus percipe orationem meam.* Et Pſalmo 36. *Subditus eſto Domino & ora eum.* Et Pſalmo 101. *Reſpexit in orationem humilium.* Pſalmo 118. *Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo.* Ibidem. *Clamaui in toto corde meo exaudi me Domine.* Pſalmo 140. *Dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Pſalmo 144. *Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate.* Et Eccleſiaſtici capite 31. *Qui diligit Deum exorabit pro peccatis, & continebit ſe ab illis, & in oratione dierum exaudietur.* Ibidem 16. *Non impediaris orare ſemper.* Ibidem 35. *Qui adorat Deum in oblectatione ſuſcipietur, & deprecatio illius uſq; ad nubes propinquabit. Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, & donec propinquet non conſolabitur, & non diſcedet donec Altiſſimus aſpiciat.* Et Danielis cap. 6. *Inuenerunt Danielem orantem & obſecrantem Deum ſuum.* Et Tob. 12. *Bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſina magis, quàm theſauros auri recondere.* Et 1. Machab. 11. *Orauit & reuerſus eſt in prælium.* Ibidem 3. *Congregatus eſt conuentus ut oraret & peteret miſericordiam.* Et

Matth.

Matth. 21. *Omnia quæcunq; petieritis in oratione credentes accipietis.* Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Marci 13. *Videte, vigilate, & orate: Nescitis enim quando tempus sit.* Luc. 21. *Vigilate omni tempore orantes vt digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante Filium Hominis.* Et 1. Thessalon. 5. *Sine intermissione orate.* Et Luc. 15. *Oportet semper orare & non deficere.* Et Iacob. 5. *Tristatur quis in vobis oret.*

Omnia præfata sacræ paginæ loca, & multa alia quæ possent afferi, satis apertè ostendunt tùm valorem & excellentiam, tum necessitatem orationis. Quòd si omnibus & singulis personis conuenit orare quantò magis Ecclesiasticis, qui ad hoc specialiter deputati sunt vt orent pro populo, quippe qui mediatores constituti sunt inter Deum & plebem? Sed accedamus ad Sacros Canones, qui fortè expressius indicant orationem Ecclesiasticis, & præsertim Sacerdotibus esse necessariam.

Accedendo Igitur ad sacros Canones, *distinct. 36. cap. 3. sic habetur.* [Si quis vult Pontifex non tàm vocabulo esse, quàm merito, imitetur Moysen, imitetur Aaron. Quid enim dicitur de eis? Quod non discedunt de tabernaculo Domini. Erat ergo Moyses indesinenter in tabernaculo Domini. Quod autem opus eius erat? Vt aut à Deo aliquid disceret, aut ipse populum doceret. Hæc duo sunt Pontificis opera, vt aut à Deo discat legendo scripturas diuinas & sæpius meditando; aut populum doceat. Sed illa doceat, quæ à Deo ipse didicerit non ex proprio corde vel humano sensu; sed quæ Spiritus Sanctus docet. Est & aliud opus, quod facit Moyses. Ad bella non vadit, non pugnat contrà inimicos; Sed quid facit? Orat, & donec ille, orat vincit populus eius. Si relaxauerit, & remiserit manus, populus eius vincitur & fugatur. Oret ergo & Sacerdos Ecclesiæ indesinenter vt vincat populus, qui sub ipso est, hostes inuisibiles Amalechitas,

chitas, qui ſunt Dæmones impugnantes eos, qui volunt piè viuere in Chriſto.

Et cauſa 1. quæſt. 1. cap. ipſiſic habetur. [Ipſi Sacerdotes pro populo interpellant, & peccata populi comedunt, quia ſuis precibus & oblationibus ea delent atq; conſumunt: quantò digniores fuerint, tantò facilius pro neceſſitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur.]

Et cauſ. 12. quæſt. 1. cap. duo ſunt. ita dicitur. [Duo ſunt genera Chriſtianorum. Eſt autem vnum genus, quod mancipatum diuino officio, & deditum contemplationi & orationi ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare conuenit vt ſunt Clerici, & Deo deuoti videlicet conuerſi, Cleros enim Græcè, latinè Sors. Inde huiuſmodi homines vocantur Clerici, id eſt ſorte electi: omnes enim Deus in ſuos elegit. Hi namq; ſunt Reges, id eſt ſe & alios in virtutibus regentes, & ita in Deo regnum habent. Et hoc deſignat corona in capite. Hanc coronam habent ab inſtitutione Romanæ Eccleſię in ſignum regni quod in Chriſto expectatur Raſio verò capitis eſt tẽporalium omnium depoſitio. Illi enim victu & veſtitu contenti nullã inter ſe proprietatem habentes debent habere omnia communia. Aliud verò genus eſt Chriſtianorum vt ſunt Laici &c.]

Et de conſecratione diſt. 5. cap. Nunquam ſic habetur. [Nunquam de manu tua, & oculis tuis recedat liber: dicatur Pſalterium ad verbum: Oratio ſine intermiſſione: vigil ſenſus ſit, nec vagis cogitationibus patens: Corpus pariter & Animus tendatur ad Dominum &c.]

Sancti quoq; Patres magnam requirunt in Eccleſiaſticis præſertim in Sacerdotibus vitæ puritatem & integritatem eò quod illis incumbat neceſſitas ſemper orandi Deum pro populo. Nam *S. Ambroſius ſup. 1. Tim. 3. ſic inquit.* [Sacerdotes die ac nocte pro plebe ſibi commiſſa oportet orare: mundiores ergo debent eſſe cæteris, quia actores Dei ſunt. Si n. ple-

Digitized by Google

plebeis hominibus orationis cauſa ad tempus abſtinere præcipitur, quãtò magis Sacerdotibus qui ſemper orationi vacare debent.

Et S. Auguſtinus ſerm. 2. in Pſal. 36. ſic ait. [Talem eſſe oportet Domini Sacerdotem, vt quod populus pro ſe apud Dominum non valet, ipſe pro populo mereatur quod popoſcerit impetrare; quia ſcriptum eſt. Si peccauerit populus orabit pro eo Sacerdos; ſi autem Sacerdos peccauerit quis orabit pro eo?

Et S. Gregorius lib. 1. Regiſt. cap. 24. [Qua enim fiducia pro peccatis alienis ad Deum interceſſor venio, apud quem de proprijs ſecurus non ſum: Si fortè quiſpiam apud potentem virum, qui ſibi iratus & mihi eſſet incognitus, interceſſorem ſuum me fieri quæreret, protinus reſponderem. Ad intercedendum venire nequeo, qui notitiam ex ſedula familiaritate non habeo.]

Atq́, ita concludit S. Gregorius neceſſarium eſſe, vt munere ſuo benè fungatur Sacerdos, orationi incumbat, per quam ſtabilis firmiſſimaq́; cum Deo amicitia conſtituitur, & conſtituta roboratnr.

§. 2. *De Rationibus.*

ADſtruitur Valor, Excellentia, & Neceſſitas orationis per Rationes; quæ deſumuntur ab eſſentia & natura ipſius orationis explicata in deſcriptione Diui Damaſceni ſu prà in principio huius capitis allata.

Prima igitur ratio eſt. Quia *per orationem mala deprecamur.* Duplicis autem generis mala nos tenent ſcilicet Mala Pœnę, & Mala Culpæ. Et quidem quoad Mala pœnæ. Heu quot innumeris hæc vita noſtra referta eſt malis tàm ex parte animæ, quàm ex parte corporis. Ex parte quidem Animæ in intellectu eſt Cæcitas, Error, Ignorantia: In Voluntate, pro-

procliuitas ad malum, rebellio, malitia, obſtinatio. Vitia quoq; in nos vndiq; irruere tentant, & vitiorum occaſiones nos circumdant à Carnis concupiſcentia, à Mundo, à Satana: imò ab ipſis creaturis quæ factæ ſunt in laqueũ animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium. Ex parte quoq; Corporis vita noſtra innumeris, grauiſſimisq; eſt obnoxia malis, & vndiq; conſurgunt ſingulis diebus miſeriæ. Homo homini aduerſatur, pleraq; animalia, ipſa elementa in eius nocumentum conſpirare videntur; incommoda multa patitur ab aere, aqua, igne, terra. Hinc morbi, ſterilitates, peſtilentiæ, conflagrationes, inundationes, paupertas, ſitis, fames, bella, percuſſiones, & mille caſus infelices. Quodnam igitur nobis maius, præſentius, meliuſq; remedium in omnibus hiſce malis poteſt ſuppetere, quàm ſemper ad Deum auxilij cauſa confugere? eum ex toto corde rogando nobis vt faueat, & in omnibus periculis ac neceſſitatibus opituletur iuxtà illam Regis Ioſaphat orationẽ, qui dum ſe ab hoſtibus vndequaq; cinctum intueretur, ſic orabat ad Dominum 2 Par. 20. *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui vt oculos noſtros dirigamus ad te Deus.*

Et de malis culpæ quid dicam? Nonne hæc ſunt peccata? Nonne hæc ſunt debita, quibus obſtricti ſumus Deo? Quomodo poterimus pro tot, tantiſq; debitis ſatisfacere Deo? Certè nullo modo. Sicut ergo debitor, qui multa debet, nec habet vndè ſatisfaciat, & pro debitis eſt in carcere, nullum habet remedium niſi quòd creditoris miſericordiam humillimis precibus interpellet: ita pariter cum nos, *qui in multis offendimus omnes Iacob.* 3. multa peccatorum debita contraxerimus, noſq; met infernali carceri obligauerimus, nec habeamus aliqua merita & virtutes, quorum valore ſatisfacere valeamus de condigno; nullum aliud ſuper eſt remedium, niſi vt ad Deum, & ad Sanctos eius per humilis

oratio-

orationis auxilium confugiamus. Vnde *Celestinus Papa in epistola quadam decretali contra Pelagium cap. 9. inquit.* [Ad huius orationis necessitatem vobis indicandam melius nihil dicere scio, quàm quòd prædecessor meus Zosimus dixit: quod est, inquit, tempus in quo eius auxilio non indigemus? In omnibus igitur rebus, causis, & negotijs est orandus est protector Deus, eiusq; gratia postulanda: Superbum est enim vt Humana Natura adeò misera & fragilis aliquid de se præsumat.

Secunda Ratio. Quia *per orationem bona nobis, alijsq; petimus.* Sed quænam bona? Omnia bona prædictis malis contraria. Ex parte Animæ solidam fidem, viuam spem, perfectam charitatem, veram sapientiam, (iuxtà illud Iacobi Apostoli.) *Si quis indiget sapientia postulet à Deo nihil hæsitans* vt nobiscum sit & nobiscum laboret, & sciamus quid acceptum sit coram Deo omni tempore. Et breuiter ex parte Animæ petimus per orationem à Deo omnia dona nobis necessaria, quæ de sursum sunt, & descendunt à Patre luminũ. Ex parte quoq; Corporis sanitatem, robur, pacem, felicitatem, & alia temporalia; sed sub conditione (si expediant saluti animæ nostræ) non enim absolutè ea petere debemus. Hæc verò tam spiritualia quàm temporalia bona nobis alijsq; petimus; nec enim pro nobis solummodo fieri debet oratio, sed & pro omnibus quamuis inimicis & infidelibus. Sic orauit Stephanus pro Paulo persecutore, & adeò accepta fuit oratio, vt illius promeruerit conuersionem, vt asserit Diuus Augustinus. Monet autem Apostolus fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarũ actiones pro omnibus hominibus. Quid mirum? Oratio est enim clauis aperiens Dei thesauros, vt ex illis innumera nobis communicẽtur dona. Canalis est, per quem gratiæ auxilia & munera ad nos defluunt quasi stillicidia stillantia super terram. Vnde S. Augustinus ser. 226. Clauis Cæli dicit. *Oratio iusti clauis*

eſt Cæli, aſcendit precatio, & deſcendit Dei miſeratio. Rationem reddit Diuus Thomas 2. 2. q. 88. art. 2. Quia, inquit, ex diuina prouidentia non ſolùm diſponitur qui effectus fiant, ſed etiam ex quibus cauſis & quo ordine proueniant. Inter alias autem cauſas ſunt etiam quorumdam cauſæ actus humani: Vnde oportet homines agere aliqua non vt per ſuos actus diuinam diſpoſitionem immutent, ſed vt per actus ſuos impleant quoſdam effectus ſecundùm ordinem à Deo diſpoſitum. Et idem etiam eſt in moralibus cauſis. Et ſimile eſt etiam de oratione.

Tertia Ratio. Quia *per orationem Deo benedicimus.* Non .n. omnis oratio eò tendit vt bona precemur, vel mala deprecemur: imò præcipuè vt Deum laudemus, benedicamus, & quantum in nobis eſt, glorificemus; ſicut & Beati in Cælis: & ſæpè ad hoc noſtra debet oratio tendere vt excitemus nos ad conſiderationem diuinæ bonitatis, ſapientiæ, potentiæ, charitatis, aliarumq; infinitarum perfectionum, & de acceptis beneficijs gratias agamus. Huc collimant plurimi pſalmi, in quibus Pſaltes totus occupatur in extollenda Dei potentia, magnificentia, ſapientia, bonitate, miſericordia & ſimilibus. Hæc oratio ſummopere Deo placet; qui propter hoc ſæpe laudat labia Sponſæ: Et hoc eſt Sacrificium de quo per Pſaltem *Pſal.* 49. dicit. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Et iterum per Iſai. 43. *Populum iſtum formaui mihi, laudem meam narrabit.* Hic populus eſt noua Chriſti Eccleſia, quæ continuò laudibus diuinis cantandis debet vacare. Vnde & nomine totius Eccleſiæ Clerus quotidie diuinis laudibus debet intendere, de qua re capite ſequenti.

Sed dicet aliquis. Vbinam neceſſitas orationis ad Deum? Omnis enim oratio fit aut vt intimemus ei, à quo petimus, id de quo indigemus: aut vt flectamus animum illius qui oratur, vt faciat quod ab eo petitur. Sed Deus eſt omniſcius, & eſt immutabilis; ergo non eſt neceſſe vt per orationem

nem aut significemus ei id, quo indigemus, aut illum flectamus.

Respondetur quod est necessaria oratio non vt manifestemus nostras indigentias & nostra desideria Deo; neq; vt illum flectamus: sed vt nos ipsi consideremus in nostris indigentijs ad diuinum auxilium esse recurrendum: & vt impetremus id, quòd Deus disposuit per orationes tanquam per causam secundam esse implendum. Ita S. Thomas loco citato.

§. *Tertius. Exempla afferuntur.*

QVanta sit Excellentia, Valor, & Necessitas orationis patebit per nonnulla exempla quæ adducemus tùm ex sacris literis, tùm ex alijs Auctoribus. Et primò ex Sacris literis, Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua eò quòd esset sterilis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebecæ. *Gen.* 15. Adorauerat populus Iudaicus vitulum conflatilem, & ait Dominus Moysi: Dimitte me vt irascatur furor meus contrà eos. Cui Moyses. Quæso ò Domine quiescat ira tua, & esto placabilis super malitia populi tui, & placatus est Dominus. *Exod.* 32. Eodem Moyse orãte in mõte Iosue Amalechitas deuicit. Iosuè quoq; orante Sol & Luna steterunt immoti; donec ipse vlciseretur de inimicis suis. *Ios.* 10. Anna Helcanæ vxor ob sterilitatem opprobrium passa oratione fit fæcunda. 1. *Reg.* 1. Per orationem Ezechias sanatur, & salutem animæ & corporis adipiscitur. 4. *Reg.* 20. Per orationem Stephani Saulus efficitur Paulus, & Doctor gentium, & Prædicator orbis. Elias Homo similis nobis passibilis oratione Cælum claudit & apperit *Iacob.* 5. Ex alijs Auctoribus Ecclesiasticis. Diuus Gregorius Thaumaturgus oratione sua montem transtulit & flumen exicauit. Iacobus Episcopus Nisibis oratione sua defendit ciuitatem ab exer-

citu Persarum, qui strictè illam obsidebant sub Sapore Rege; & mulionibus & vilicibus vincuntur hostes; nam simul cum ipsa precatione talium animulculorum aereus exercitus nubis instar confertim in illos inuolat, & in elephantorum proboscides, quæ veluti tibiæ directæ eminebant, equorumq; & aliorum iumentorum aures & nares irruit: illi verò animulculorum eorum non ferentes congressum nullo seruato ordine cum impetu discurrentes miscentur, fugientesq; turpiter concidunt. Aniani Episcopi oratione Vrbs Aurelianensis in Gallijs defenditur ab Attila Hunnorum Rege, qui maximo arietum impulsu nitebatur illam expugnare; & iam trementibus ab ictu arietum muris, iamq; ruituris ecce auxilium Domini imploratum precibus Beati Episcopi; nam Ætius & Theodoricus Gotthorum Rex, ac Torismũdus eius filius cum exercitibus suis ad Ciuitatem accurrunt, aduersumq; hostem reijciunt, ac repellunt. Itaq; liberata obtentu Episcopi Ciuitate, Attilã fugant. Laurentij Iustiniani primi Venetiarũ Pathriarchę precibus ira Domini placatur in Venetos, quorum Resp. videbatur deplorata tempore Philippi Mariæ Mediolanensium Ducis, qui graui bello ipsos Venetos vrgebat. Bonifacij adhuc pueri, tamen sanctissimi, & misericordia in pauperes insignis precibus horreum tritico impletur. Christiani orationis beneficio à Deo Opt. Max: pluuiam impetrant, quam à suis Dijs infideles obtinere non poterãt tempore Marci Aurelij Antonini Imperatoris, dum esset in expeditione contrà Marcomannos & innumera barbarorum multitudine circumdaretur, sitiq; grauissima ipsius exercitus laboraret. Vnde ipse Imperator edictum promulgauit ne in posterum Christiani molestarẽtur causa Religionis. S. Scholastica suis precibus impetrauit à Domino pluuiam, tempestatemq; ad effectum ne Diuus Benedictus eius frater, cuius pia conuersatione ac diuinis colloquijs fruebatur, ab ipsa discederet; sed à pluuia impeditus commoraretur.

tur. Theodosius Iunior Imperator non pugnando sed orando ingentem barbarorum exercitum deuicit; nam Dux eorũ nomine Rugas fulmine percussus interijt, secutaq; pestis maximam partem eorum interemit. Et cum hoc non videretur satis, ignis etiam de Cælo descendens plurimos, qui videbantur remansisse, consumpsit. Plura consimilia exempla referre pretermitto, quæ passim videri possunt apud collectores exemplorum. Præsertim apud Dauroutium.

§. *Quartus. De Modo orandi. seu de conditionibus Orationis.*

VT orationis efficaciam sentiamus, eiusq; fructum percipiamus quædam ex parte nostra requiruntur. videlicet.

Primò. vt petentes aliquid Deum nonnisi in nomine Saluatoris petamus. Ait enim ipse Dominus Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Petere autem in nomine Saluatoris est ea tantùm petere, quæ ad salutem nostram faciunt, aut ad Dei Gloriam. Quicquid petimus (*ait Augustinus tract.* 102. *in Ioan.*) aduersus vtilitatem salutis, non petimus in nomine Saluatoris. *Et rursus idem Augustinus.* Non petimus in nomine Magistri quicquid petimus preter regulam ipsius magisterij id est præter eam formam, qua nos docuit orare, quam orationem vocamus Dominicam. Ad hanc enim formam omnia quæcunq; rectè peti possunt referuntur. Petenda igitur quæ bona sunt, quæ salutaria, quæ ad Dei gloriam conducibilia. Inquit enim Diuus Iacobus. *Petitis & non accipitis eò quòd malè petatis vt in concupiscentias vestras insumatis.* Vnde signanter dicit Christus Dominus. *Si quid* id est si *aliquid*. Illud autem solum dicitur *aliquid*, quod ad vitam æternam pertinet, in cuius comparatione alia omnia nihil sunt, vt Augustinus super illum locum dicit. Temporalia petenda sunt nonnisi in ordine ad vitam æternam, & sub bene-

pla-

placito Diuinæ voluntatis, vt idem Augustinus dicit. Videndum ergo in primis vt orationis obiectum sit bonum, finis laudabils, intentio pura.

Secundò. Vt Deo acceptus & amicus sit qui orat, Nam dum Christus dicebat. *Si quid petieritis &c.* loquebatur Apostolis. Non enim dixit si quis petierit. Sic alibi apertius ipse nos docuit. *Si manseritis in me* (per fidem) *& verba mea in vobis manserint* (per executionem) *quodcunq; volueritis petetis & fiet vobis.* In statu peccati mortalis nullas exaudiri orationes (intellige ex iustitia & pacto promissionis Euangelicæ. Cæterùm Deus adeò bonus est, vt ex sua liberalitate & gratia acceptet etiam orationes peccatorum non quidem vt sint meritoriæ vitæ æternæ; sed vt prosint ad temporalia, & etiam vt disponant ad veram conuersionem & ad iustitiam) In statu, inquam peccati mortalis nullas exaudiri orationes ex iustitia manifestè sacra pagina docet pluribus in locis. Isaiæ cap. 1. *Cum multiplicaueritis orationes vestras non exaudiam vos; manus enim vestræ sanguine* (id est peccatis) *plenæ sunt.* Et Psalmo 65. *Si iniquitatem aspexi in corde meo non exaudiet Dominus.* Et Prouerbiorum. cap. 28. *Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Enim verò cum Deus ratione amicitiæ piorum vota exaudiat, qui mortaliter peccandò amicitiam cum Deo dissoluit nec dignus nec idoneus est qui audiatur. [Hoc enim perinde est (*ait S. Basilius in cap. 1. Isaiæ*) ac si quis postquam filium alicuius vnicè dilectum occidisset, ille manus adhuc filij sanguine cruentatas ad patrem porrigeret veniam ab eo postulans. Annon enim æquum erat vt saltem manus cruentas prius abstergeret? quolibet peccato mortali filium Dei iterum crucifigis. Ablue cruentas manus antequam Deo Patri eas orando porrigas.] *Ita Basilius.*

Tertiò vt oratio fiat cum affectu & attentione. Petere enim spectat propriè ad affectum Cordis. Quare Christus

in

in alio Euangelio petere, quærere, pulsare, pro eodem posuit. Quemadmodum arbores, quæ radices altius miserunt, quemcunq; ventorũ impetum excipiunt, nec facilè aut frangi aut euelli possunt; sic orationes quas animus de suo imo reddiderit, fortiter & validè affixæ efferunt sese in excelsũ, nullaq; distractione conuelluntur. Porrò distractiones inter orandum partim ex naturæ fragilitate naturales sunt; partim ex ignauia nostra proficiscuntur; partim à Satana inducuntur. Iam verò contrà has omnes distractionum causas & pericula vnum præstãtissimum remedium est quod tradit *S. Basilius inquiens.* [Certissimè credat quisq; orat, Deum ante oculos habere. Si enim Principem aliquem virum qui alloquitur, inciuile putabit oculos ab illo deflectere; indignum iudicabit oscitanter & dormitabundè cum illo loqui; scelus nefarium esse non dubitabit si interim de eo prodendo cum alio tractet, quantò magis ab his in oratione cauebimus, & omnem somnolentiam excutiemus, omnem irreuerentiam deuitabimus, omnes turpes & alienas cogitationes longissimè arcebimus, si certò persuademur Deum nos præsentem alloqui cum oramus. *Hæc Basilius.* Certè Sacerdotes Ethnici Romanorum, vt attentionem maximam seruarent, velato capite semper sacrificabant, & auguria faciebant clamante interim præcone (*Hoc age*) Memorabile est id quod Alexãdro Rege quadam vice sacrificante narratur accidisse. Vnus ex nobilibus pueris thuribulum tenens cum in eius brachium carbo ardens delapsus esset, quo ita vrebatur, vt adusti corporis eius odor ad circumstãtiũ nares perueniret, brachium tamen immobile tenuit dolorem silentio premens ne sacrificium Alexandri aut excusso thuribulo impediret, aut edito gemitu perturbaret. Væh nobis, qui ad minimum culicis morsum & orationem interrumpimus, & in sacrificio hæsitamus. Est aliud etiam remedium contrà distractiones vt homo ante orationem paulisper meditetur quid & quomodo

velit

velit orare, & cum fame quadam ſpirituali ad orandum accedat. Qui ante horam comeſtionis non ita ſe geſſit vel ieiunando, vel corpus exercendo vt cum fame accedat, profectò in menſa appetitum verum non inuenier. Hinc ſapiens ait Eccleſ. 18. *Ante orationem præpara animam tuam, ne ſias ſicut is qui tentat Deum.*

Quartò. Vt cum humilitate oremus ſicut nos docuit Abraham, qui antequam Deum alloqueretur ſe puluerem & cinerem appellabat. *Cum ſim puluis & cinis loquor ad Dominum?* Idemque declarauit Manaſſes: nam peccata ſua coràm Deo confeſſus obtinuit miſericordiam. Vnde Spiritus Sanctus in Prouerbijs cap. 18. primum orationi gradum aſſignat humilem culparum cognitionem dicens. *Iuſtus in principio orationis accuſator eſt ſui.* Itaque quemadmodum ſpinis & ſentibus à prædio euulſis ſolet eiſdem prædium ſeu Vinea vallari, & communiri ne animalia ingrediantur, & abſumant quod ſeminatum & plantatum eſt: ita ex peccatis & tribulis peccatorum ab Anima vi pœnitentiæ extirpatis, & humili ac dolẽte illorum memoria reuulſis efficitur quaſi ſepes, & vallum opponitur ne feroces & immundi ſpiritus animam noſtram inuadant & perturbent orantem, neue ſemen bonum, quod Deus plantauit, arripiant. Hanc humilitatem orationi neceſſariã Sacræ literæ varijs in locis annunciant. Iudith cap. 9. *Humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.* Pſal. 36. *Subditus eſto Domino & ora eum.* Et Pſal. 101. *Reſpexit in orationem humilium.* Eccl. cap. 35. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, & donec propinquet non conſolabitur & non diſcedet donec Altiſſimus aſpiciat.* Modum autem ſe in oratione humiliandi oſtendit Daniel quando orans ſic Deum alloquebatur. *Propter temetipſum inclina Deus meus aurem tuam & audi. Neq; enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.*

Quintò. Vt in oratione firmiſſimam Diuinæ bonitatis & meri-

meritorum Christi fiduciam habeamus, qua speramus consequi quod petimus. *Fiduciam habeamus ad Deum.* (inquit D. Ioannes 2. 3.) *& quicquid petierimus accipiemus ab eo.* Videtur Ioannes illud *Quicquid*, quo omnia complectimur, didicisse à Christo cum dixit. *Quicquid orantes petitis credite quia accipietis & Fiet vobis.* Quæ Christi sentẽtia fuit quasi subscriptio facta in papiro nihil superius scriptũ habente vt possemus superscribere quicquid nobis libuisset, securi & certi ad exhibitionem & ostensionem illius, summam in ea contentam nobis in mensa diuini, vt ita dicam, collibistæ & nummularij Dei esse soluẽdam. Sed, vt dixi, opus est fiducia consequendi quod petimus vt S. Iacobus adnotauit. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Nam si dubitares iniuriam faceres diuinæ liberalitati & omnipotentiæ, sicut fecit Moyses quando virga percutiens petram dubitauit. *Irritauerunt eum ad aquas contradictionis &c. distinxit in labijs suis.* Psal. 105. Textus Græcus legit *dubius fuit.* Alij autem interpretantur *perplexus fuit.* Omnesque communiter per illud verbum *distinxit* arbitrantur, Moysem hæsitasse: quemadmodũ in disputationibus si proponitur argumentum falsum, respondemus (Nego) si verum (Concedo) si dubium (Distinguo.) Ita Moyses distinxit in labijs suis, id est dubitauit, verba proferens quibus dubius animus eius indicabatur, quæ diffidentia grauiter Deum offendit, eaq; de causa Moysen puniuit. At licet Moyses diffideret: habemus tamen in Sacris literis exempla aliorum hac sancta fiducia adeò insignium vt ad culmen & ad summum eius gradũ peruenisse videantur. Talẽ fiduciam habuit Iudith quando admirabili fortitudine & animi constantia præcidit caput Holoferni. Talem exhibuit Dauid quando persequente ipsum Rege Saul ad speluncam confugit, & in ea se cum militibus suis abscondit, certò sciens illàc Saul cum exercitu transiturum & posse ab illo facilè occidi, velo intrà speluncam claulo ostio sepeliri; deposito tamen metu,

& ſpe in Deum erecta diuinum imploranit auxilium fidēter ſperans ſe in tantis anguſtijs poſitum liberatum iri, quod vtiq; vt petierat præſtitum eſt. Talem oſtendit Abraham quando iubente Deo vt filium ſuum Iſaac ſibi ſacrificaret ipſe obediens procedebat ad mōtem cum filio, cultro, igne, mandatum Dei executurus; & tamen adhuc ſperabat dandam ſibi in illo filio ita copioſam generis poſteritatem vt numerum ſtellarum ſuperaret ſicut promiſerat illi Deus. Talem fiduciam habuere multi alij, de quibus tàm Sacræ literæ, quàm Eccleſiaſticæ hiſtoriæ teſtantur, vt legentibus palam eſſe poteſt.

Sextò. Vt ſimus aſſidui & perſeuerantes in oratione. Idcircò namq; Deus aſſiduas à nobis orationes expetit atq; differt poſtulata concedere, vt eò ſæpius ad eum ſicut filij ad Patrem, & quidem ſuorum amantiſſimum, recurramus. Solent matres vt filiorum ſuorum in ſe amorem magis vel exerceant, vel probent, vel inflamment ſeſe in aliquo domus angulo abſcondere, & eiulantem interea paruulum, matremq; vocibus querulis inclamantē tenerè auſcultare, & aliquamdiù ſurdis quaſi auribus ſed amantiſſimis audire, tandemq; expanſis vlnis ad paruulum accurrere, cumq; millies deoſculari. Planè ſic Deus ſuorum preces ac lachrymas quaſi facie auerſa, quaſi obdormiens, quaſi ſurdis auribus ſolet excipere; tandem verò vbi & eorum patientiam, & ſuam dilectionem ſatis exercuit, plena manu etiam plus quàm petitur elargitur. Sic cum muliere Chananæa. Sic cum cæco clamāte in via. Sic cum Hemorrhoiſſa in Euangelio Chriſtus egit. Huius perſeuerantiæ in oratione exēpla illuſtria habemus etiā in veteri teſtamento. Eliſæus pallio percuſſit aquas vt diuiderentur, & liberum tranſitū cōcederent, non ſunt diuiſæ; perſeuerauit in oratione, & iterum percuſſit aquas & obediuerunt.

Moyſes cum ſemel myſtica virga petrā percuſſiſſet, aqua

non

non est egressa, sed ictu rursus inflicto erupit illicò magna & perennis aquarum scaturigo. Elias quando à mortuis excitauit filium viduæ nõ statim id adeptus est orare incipiẽs: Secundò & tertiò Deum precatus est, & obtinuit quod cupiebat. Ioas cum Elisæum ægrotantem inuiseret, iuberetq; Propheta afferri arcum eius & sagittas, vt illas Ioas per fenestram versus orientem mitteret, tres sagittas iaculatus, ter percussit terram, sed fatigatus arcum deposuit, cu Elisæus iratus dixit. Si percussisses quinquies, percussisses Syriam ad consumationem. Sic accidit orantibus; sæpe namq; non impetratur quod desideratur, quia deficimus & non instamus, nec perseueramus flagitando.

Ex omnibus supradictis colligitur Modus orandi, qui breuiter consistit in hoc, scilicet vt petamus salutaria; Sanctè, Attentè. Humiliter, Fiducialiter, Perseueranter.

§. 5. *De loco Orationis.*

OMnis locus potest esse idoneus ad orandum. Ratio est. Quia in omni loco est Deus; & in omni loco potest eleuatio mentis imò & vocis ad Deum haberi; ita vt dicat Apostolus. 1. *Tim.* 2. *Volo viros in omni loco orare leuantes puras manus.* Quasi dicat in agris, syluis, officinis, itinere, naui, mensa, lecto licitum est orare, & hoc tanquam vtile suadeo. Non impedit locus, quo minus ad Deum pergat oratio, gratáq; sit, & exaudiatur. Daniel orat in lacu leonum, & accepta est eius oratio. Manasses in Carcere vinculis constrictus, & curuatus orabat; sed eius oratio erecta & libera diuino se sistit conspectui & exauditur. Ezechias in lecto orat. Ionas in ventre cæti. Iob in nefando sterquilinio. Sic & Martyres nostri in medijs flammis sicut & pueri Babilonici orabant & benedicebant Dominum. Ita feci sse fertur Beata Agnes. Imò Virgines Sanctæ ad loca infamia, ad lupanaria perductæ in illis

locis oculos & manus ad Deum leuabant.

Quamuis enim omnis locus, vt dixi, aptus esse possit orationi; longè tamen aptior est is, qui à tumultu, & turbis remotior est. Hinc de anima fideli dicit Deus per Isaiam 5. *Ducam eam in solitudinem, ibi lactabo eam, ibi loquar ad Cor eius.* Dum enim Homo & Corde & Corpore ab hominum se segregat conuersatione, & externarum rerum occupatione, aptior fit rebus diuinis, Cæleſtibusq; consolationibus percipiendis. Quapropter antiqui Patres deserta loca petebant vt ibi toti Deo vacarent, & totam vitam in diuinis contemplationibus & orationibus Domino liberius consecrarent. Sed non omnibus concessa est solitudo Corporis, ideò curare debemus saltem solitudinem Cordis, sine qua solitudo corporis in oratione etiam parum prodest, inquit enim S. Gregorius. *Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit Cordis.* Vnusquisq; Dei adiuuante gratia potest sibi secretum cōstruere cubiculū in interiori animæ domo vbi clauso ostio oret Patrem in abscondito. Sic de Beata Catharina Senensi legimus cum à Parentibus impediretur particularem aliquē locum habere ad orationem designatum, ipsam in secreto sui cordis cubiculo Deo inspirante cellulam fabricasse, in qua cum ipso Deo deliciabatur, eoq; fruebatur magno suæ animæ gaudio & pace.

Si quis tamen commodè templa, & loca Deo consecrata adire potest, facere id debet, nam cæteris paribus acceptior est Deo oratio, quæ fit in templis & locis consecratis. Ratio est. Quia ad hoc consecrantur vt sint domus orationis, & promittit Dominus se exauditurum orantes in dictis locis. Hinc Deus respiciens tempus nouæ legis, & Ecclesiæ suæ nouæ ex gentibus congregandæ dicit per Isaiam. *cap. 56. Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ, holocausta eorum & victimæ placebunt mihi, super altare meo.* In figura huius rei cum Salomon complesset illam

tem-

templi sui consecrationem ignis de Cælo descendit, & deuorauit holocausta & victimas, & Maiestas Domini impleuit domum, *vt habetur* 2. *Par.* 7. *Videbant q; omnes filij Israel descendentem ignem, & gloriam Domini super domum*. Hoc enim signo Deus significabat sacrificium sibi gratum esse, vt factum est in sacrificijs Abel, Aaronis, Eliæ, Manuæ & aliorum. Itaque per ignem & gloriam Domini descendentem post templi consecrationem figurabatur etiam in tempore noui testamenti Deum specialiter futurum in locis diuino cultui consecratis, ibiq; sacrificium laudis & orationis fore ei gratissimum. Nam si de antiquo templo multò magis de nostris verum est illud quod Deus dixit Salomoni. Ibid. *Elegi mihi locum istum in domum sacrificij: si clausero Cælum, & pluuia non fluxerit & præcepero locustæ vt deuoret terram, & misero pestilentiã, conuersus q; populus meus deprecatus me fuerit, exaudiam eum in loco isto.* Atq; eò tendunt omnes cæremoniæ ab Ecclesia institutæ pro Ecclesijs consecrandis, vt specialiter Deus se propitius exhibeat orantibus in istis locis ritu sacro electis, eiq; sacrificatis.

Ex his colligitur impiè Hæreticos templorum consecrationem; eorumq; ornatum, ritusq; sacros, quibus in domum Dei & domum orationis eriguntur, irridere, locaq; sacra polluere: & vanè allegare illud dictum Diui Pauli Apostoli Act. 17. *Deus in manufactis templis non habitat, neq; humanis manibus colitur; & cum Cæli & terræ sit Dominus, vbiq; coli & adorari potest.* Scimus enim non habitare Deum in templis manufactis quasi illis alligatus sit, vel contentus in eis: aut quasi indigẽs templis mãnu & opera hominum fabricatis vt ibidem subijcit Apostolus, *non indigens aliquo*. Scimus quiam eum vbiq; præsentem per essentiam, præsentiam, potentiam vbiq; coli & adorari posse. Sed & nouimus eum modo quodam speciali in aliquibus locis esse; ibi velle coli, ibiq; specialius operari, quàm in alijs locis. Non in omni loco vidit Iacob

sca-

ſcalam illam Cæleſtem, per quam Angeli deſcendebant & aſcendebant, cui etiam innixus erat Dominus promittens ei ſpecialem protectionem. Non in omni monte iubetur Abraham filium ſuum immolare; ſed in monte à Domino electo, qui & mons viſionis appellatur. Non in omni loco videt Moyſes rubum ardentem & incombuſtum, in quo loquitur ei Dominus & dicit. Exod. 3. *Locus in quo ſtas terra ſancta eſt. Solue calceamenta de pedibus tuis antequam appropies huc.* Deniq; reſponſa & oracula non dabantur à Domino in omni loco; ſed propitiatorium & aream elegit ſibi Dominus in qua ſpecialiter habitabat, & exaudiebat. Hæc autem omnia in figura contingebant illis, & typum gerebāt templorum noſtrorum, quibus ſpeciali modo Deus inhabitat, & myſteria ſua reuelat, ac propitium ſe exhibet: ac propterea vocantur Domus Dei.

Eſt & alia ratio cur debeamus frequenter & lubenter loca Deo conſecrata petere ad orandum, nimirum quia cæteris paribus vtilior & efficacior eſt oratio quæ cum fratribus habetur, quàm quando ſolus quis orat. [Eſt enim (*inquit Diuus Chryſoſtomus*) plus aliquid ibi verbi gratia Concordiæ, conſpiratio; copula amoris, & charitatis; Sacerdotum clamores; præſunt enim ob eam rem Sacerdotes vt populi orationes, quæ per ſe ſunt infirmiores, validioribus complexæ ſimul in Cælum euehantur.] Orationes ergo noſtræ in Eccleſijs communi amoris fraterni copula factæ, eleuantur per ſpiritum Eccleſiæ, per gemitum Columbæ, per merita Sponſæ, per totius Corpori Chriſti myſtici coniunctas vires, Et ſi quid deeſt ſupplet gemitu ſuo grata Deo Columba hoc eſt Eccleſia; ſupplent Sanctorum patrocinia, quorum reliquiæ in locis iſtis & altaribus ſacris requieſcunt.

§. *Sextò. De tempore Orationis.*

TEmpus omne orationi potest esse idoneum, idq; voluit significare Christus dum dicit. Luc. 18. *Oportet semper orare & non deficere.* Et Apostolus 1. Thes. 5. *Sine intermissione orate. In omnibus gratias agite.* Et Regius Propheta Psal. 33. *Benedicam Dominũ in omni tempore.* Quasi dicat omni tempore tàm in morbo quàm in sanitate: tàm in egestate quàm in copia: tàm in desolatione quàm in consolatione: tàm in tentatione quàm in pace: tàm in humiliatione quàm in exaltatione: tàm in aduersis quàm in prosperis. Sæpe enim maius donum Dei est morbus, inopia, desolatio, aduersitas, quam sanitas, copia, pax, diuitiæ, honores, voluptates, & prosperitas.

Quamuis autem omne tempus idoneum sit orationi; maximè tamen congruum & opportunũ est tempus matutinum & vespertinum. Aperit nimirum oratio matutina detersis tenebris fenestras animæ diuino lumini: vespertina verò claudit cordis fenestras & illas munit contrà stygias tenebras, & mentem protegit à negotio perambulante in tenebris; sicut & matutina à sagitta volante in die, ab incursu & dæmonio meridiano. Horologium vt rectè dirigatur & dirigat solent eius pondera ad terram semper vergentia matutino & vespertino tempore erigi; & ab hoc pendet totius horologij motus & progressus. Ita pariter vt animæ horologium rectè procedat, cum carnis pondus continuò ad terram vergat, & animam secum deprimat, opportuna est verspertina matutinaq; oratio, per quam pondere isto depressa ad terrena anima sursum eleuetur ad Cælestia, & congrua secundùm Deum reuolutione moueri possit & incedere.

De Matutina oratione sepe mentio fit in Sacris literis. Sic Psalles dicit Psalmo 118. *Praeuenerunt oculi mei ad te diluculo,*

vt

ut mane surgeret eloquentiæ. Tunc nimirum melius mens est dispo-
sita ad considerãda & percipienda diuina post aliquã quie-
tẽ corporis; minus obnoxia distractionibus cum nec dum se
implicuit diurnis curis: & liberiùs in Deum volat cum nec
dum pennæ eius occupationum diurnarum puluere respersæ
sunt & depressæ. Hinc monet sapiẽs. Eccles. 32. *Hora surgen-
di mane te inuces, præuerte autem prior in domum tuam, & illic auoca-
re, illic ludæ, & age conceptiones tuas.* Quasi dicat. Ingredere in
domum interiorem in aulam mentis tuæ, illic vaca, illic am-
bula, statim vbi experrectus fueris illic lude, & delectare
cum Sponso animæ tuæ sacris vacans amplexibus. Illic age
conceptiones tuas, & benedicito Dominum qui fecit te, &
inebriat te omnibus bonis suis. In eundem sensum interpre-
tari possumus illud Canticorum cap. 7. *Manè surgamus ad vi-
neas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt.* Cum
euigilamus hoc sit primum negotium nostrum, hæc prima
colendæ vineæ nostræ cura, animæ scilicet nostræ, vt possit
producere flores bonorum desideriorũ, & fructus bonorum
operum. Primo ergo mane illud considerationi nostræ oc-
currat, vt sarmenta inutilia abscindamus ab hac vinea, &
eam circumfodiamus per conscientiæ examen, & per contri-
tionis sarculum expurgemus. Vocemus & Sanctos operarios,
qui nos ad eam colendam adiuuent, inuocemus matutino
tempore auxilium Angeli nostri custodis, Beatissimæ Virgi-
nis, & Sancti nostri tutelaris. Nec verò propter occurrentes
occupationes debet facilè hac matutina oratio prætermitti,
à qua ferè pendet operum totius diei directio, foelixq; pro-
gressus.

De Carolo V. scribit Surius & refert Marchantius in suo
Horto Pastorum. Quòd singulis diebus mane duas ferè
horas precibus impendere solitus esset, grauissimis licet im-
perij hellijq; negotijs impeditus; non enim suis fidebat viri-
bus potentissimus Princeps sed totus à summi Numinis ope

& au-

& auxilio pendebat, quod ſibi precibus tàm longis quotidie conciliare ſtudebat.

De veſpertina ſiue nocturna oratione ſæpe etiam mentio fit in ſcripturis ſacris. Nam in Pſal. 133. dicitur. *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta & benedicite Dominum.* Tunc benedicendus Deus pro beneficijs, quæ per ſingulos dies, imò per ſingula momẽta de manu eius accipimus. Eius enim nutu vitæ noſtræ momenta decurrunt. *In manibus tuis ſortes meæ*; ſiue (vt alia lectio habet) *tempora mea*, dicebat Dauid Pſ. 30. Tunc ſi quid maculæ per diem humana fragilitate contraximus, recenſeamus, & amara cordis contritione eleuamus lauando per ſingulas noctes lectulum conſcientiæ noſtræ aſperſione pœnitentiæ. Ad hoc hortatur nos Spiritus Sanctus dum per Prophetam dicit. Pſal. 4. *Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.* q. d. quæ per diem vel ſola ipſa cordis praua cogitatione in Deum aut proximum peccando commiſiſtis ſtatim noctu cum ſoli eſtis in ſilentio & quiete recogitate, rationem & pœnas à conſciẽtia exigite per veram cordis compunctionem vt ſic coràm Deo vos continuò ad mortem iudicium q; præparetis, quaſi ea nocte à Domino euocandi. Multi enim ſani cubile ſuum petentes ſubitanea ſunt morte præuenti, & peccato mortali obnoxij ad inferos nocte illa deſcenderunt, de quibus verum eſt illud Iob. 21. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad infernadeſcendunt.* Propterea etiam ſcriptum eſt. Ephes 4. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Quod quidem Diuus Ambroſius etiam vniuerſaliter intellegit, de omnibus ſcilicet peccatis. Sol non occidat ſuper iram, ſuper auaritiam, ſuper calumniam veſtram &c.

§. Septimus. De Oratione Mentali.

CVm Ecclesiastici & præsertim Sacerdotis officium sit sublimia inter mysteria quotidie versari, illa vix digne tractare, suoq; muneri satisfacere valet, nisi sacræ meditationis exercitio adiuuetur. *Est autem meditatio* (quam alij orationem mentalem appellant) *pia & affectuosa rerum diuinarum, aliarumue consideratio, qua hominem ad laudandum Deum, ad virtutes Christi, Sanctorumq; sectandas, ad bonum amplectendum, & fugiendum malum efficaciter promouet.* Dixi *affectuosam* quia non tàm in actione intellectus quàm in affectione voluntatis consistit, quatenus eius beneficio ad amorem Dei, odium peccati, & rerum caducarum contemptum promouemur. Vnde Propheta regius in hoc orandi genere exercitatus dicebat. Psal. 38. *In meditatione mea exardescet ignis.* Hoc est, feruor, animiq; promptitudo excitabitur vt fugiam noxia, & amplectar vtilia; vt negligam temporalia, & persequar æterna. Hoc orandi modo vsi sunt quotquot extitere sanctitate insignes, rerumq; Cælestium contemplatione conspicui.

Partes Meditationis sunt quatuor, nempe Præparatio, Repræsentatio, Consideratio, Colloquium seu Petitio.

Præparatio est qua Homo se ad meditandum componit, cuius necessitatem Sapiens his verbis indicat. Eccles. 18. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Est autem hæc Præparatio duplex. Remota & Propinqua. Remota est primò prælegere meditationis materiam ex aliquo libello ad hoc inseruiente. Multi auctores contexere meditationum materias vt Granata, A ponte, Brunus, Bellentanus, & alij. Quisque eum sequatur autorem, qui sibi magis arriserit. Secundò ipso tempore meditationis cogitationes omnes, & curas excludere quantùm

fieri

fieri potest: meditatio enim postulat mentem quietem & trã-quillam. Propinqua verò præparatio est cum iamiam inchoãda est meditatio primùm aqua se benedicta aspergere, si in promptu sit, ac signo se crucis munire: deinde, recogitando se compariturum coràm Diuinæ Maiestatis throno vt cum ipso Deo colloquatur reuerẽter in genua prolabi, moxque humiliter postulare ab ipso Deo gratiam referendi omnes vires, actionesq; animi ad suæ Diuinæ Maiestatis gloriam & honorem, implorato etiam ad hoc B. Virginis, Angeli custodis, aliorumq; Sanctorum auxilio.

Repræsentatio (quæ à multis dicitur Imaginatio) est, qua homo ante punctorum considerationem repræsentat sibi, id est ob oculos ponit, locum, personas, earundemq; actiones in mysterio meditationis expressas. Vt si mediteris de Crucifixione Christi imagineris te intueri montem Caluariæ; Christum Cruci affigi; turbam hominum circumstare sicut à pictoribus depingi solet. Similiter si mediteris de morte, fingas te aspicere te ipsum vel alium in lectulo decumbẽtem pallidum & morti vicinum. Hæc repræsentatio valet tùm ad cauendas animi distractiones: tùm etiam ad concitandum affectum doloris, compassionis, & metus, & similium. Non tamen diu hærendum in hac repræsentatione, sed tamdiu, quamdiu sentis te piè moueri ad amorem, pœnitentiam, lætitiam vel aliud. Quòd si materia meditationis sit de re, in qua nulla sit circumstantia loci, temporis, personarum &c. puta quia est de aliqua sententia vel verbis scripturæ Sacrę, tunc statim à præparatione fieri potest transitus ad considerationem, de qua mox dicetur.

Considetatio est operatio intellectus, qua homo sedulò expendit omnia, quæ in singulis punctis continentur cum desiderio inde fructum aliquem spiritualem carpendi. Maximè autem discurrit & ratiocinatur circa circumstantias vt si meditetur de aliquo puncto Passionis Domini attendat

Quis sit qui patitur nempe Filius Dei Conditor Cæli & terræ. *Quid patiatur* nempe cruciatus maximos. *Pro quo patiatur* nempe pro te vili & ignaua creatura. *Qua de causa* nempe ad liberandum te à damnatione æterna &c.

Colloquium siue Petitio est interna & humilis collocutio cum ipso Deo. Vbi enim sedulò quæ in punctis continentur expenderis, & te ad amorem, dolorem, vel alium affectum moueris & accenderis, facilè occurret quid per colloquium à Deo petere debeas. Ordinariè autem petere potes maius lumen ad cognoscendum Deum & te ipsum: peccatorum remissionem; dolorem verum de ijsdem: perturbationum animi expugnationem: in literis & pietate progressum: deniq; virtutes omnes, quæ Deo te reddant gratiorem. Potest hoc colloquium instituì vel ad Deum, vel ad singulas Sactissimæ Trinitatis Personas, vel ad Christum crucifixum. Ad B. Virginem etiam, aliosue Sanctos Patronos; imò & ad hos omnes.

Cæterùm tanti momenti est hic orandi modus, vt sine tali oratione vita spiritualis vix conseruari queat. Loquor de oratione quæ mente fit ruminando & attentè ponderando vel prælecta, quæ im memoria habentur: vel ea quæ actu leguntur; siue tali mentis ponderationi coniungatur vox exterior, quæ aliquando valdè iuuat ad affectum excitationem, siue non adiũgatur. Hanc innuere volebat Diuus Bonauentura *de progress. Relig. cap.* 7. quando dicebat. *Sine orationis studio omnis Religio est arida, imperfecta, & ad ruinam promptior.* Cuius dicti veritatem ipsa experiẽtia satis superq; ostendit. Nam si oratio omittatur quàm primum omnia pessumeunt; statim namq; subingredi incipit tepor, & anima ignauescere, debilitari, languere, ac vigorem illum & constantiam mentis, quam habebat amittere: statim omnia illa sancta proposita, & cogitationes priores nescio quo pacto euanescunt: è contrà omnes passiones effrenes repullulare, & reuiuiscere

uiscere incipiunt: tùm quoq; vanis quibusdam homo capi se comperit delectationibus & confabulationibus: risus, lætitias exteriores, & alia id genus vanitates captare; & quod omnium deterrimum est, illicò etiam vanagloriæ, iræ inuiduæ, ambitionis, concupiscentiæ carnis aliorumq; id genus vitiorum, quæ emortua, & extincta antea videbantur, appetitus reuiuiscit. Quare benè dicebat S. Franciscus. *Gratia orationis viro Religioso maximè desideranda est; nullus enim sine ea in Dei seruitio fructus sperari potest.*

§. 8. *De vanis illorum excusationibus qui orationem mentalem refugiunt.*

NOn omnes idem possunt in exercitio mentalis orationis; sed diuersi diuersis donantur à Deo hac in re donis. Quidam speciali Dei beneficio ad contemplationis etiâ altissimæ verticem pertingunt. Nemo tamen est, sincerè sese adijciens huic rei, quin aliquid possit, aliquidq; proficiat. Vnde nemo dicere debet. *Non possum orare mentaliter, non possum meditari.* His.

Respondet primò Thomas à Kempis. Si non potes cum Ioanne sublimia & diuina cõtemplari procide cum Magdalena ad pedes Iesu & corde contrito, ac spiritu humiliato pete tuorum tibi veniam peccatorum. Si non vales cum Paulo ad tertium Cælum euolare, mane cum eo apud Iesum crucifixum non in carne gloriando, sed carnem cum vitijs & cõcupiscentijs crucifigendo. Si non potes montes excelsos comtemplationis cum ceruis, id est viris perfectis scandere, ingredere petram cum erinacijs, vt ibi spinas peccatorum relinquas. Si non habes alas aquilæ volantis ad sydera, habeas pennas simplicis columbæ nidificantis in maceria meditando Sacrosancta Iesu Christi vulnera: Plus sanctitatis reperit humilis Franciscus in passione Christi, quàm omnes

Sa-

Sapientes & Philoſophi in contemplatione Cæli.

Reſpondet ſecundò Beatus Ægidius S. Franciſci ſocius. Si non potes niſi diſtractas orationes & meditationes peragere, tamen offer; quia Deus etiam in tabernaculo acceptabat pilos caprarum. Oportet ergo non obſtantibus diſtractionibus in præſentia Dei perſeuerare, & tempus orationi deſtinatum non interrumpere. Oportet hanc ipſam miſeriã cum humilitate agnoſcere, & repræſentare gemendo cum Propheta. *Cor meum dereliquit me, Domine ad adiuuandum me reſpice.* Haud dubium oratio hæc fructuoſa erit. Addo, quando tẽpore meditationis cor noſtrum ita fugit à nobis vt illud in alicuius myſterij conſideratione figere nequeamus, magnum ſaltem huius rei deſiderium à nobis eliciendum erit, quo ſuppleatur defectus. quia vt docet Bloſius. *Deus non minus voluntate ſanctoq; deſiderio letatur, quàm ſi tota anima amore liquefacta plenè ſibi iungeretur.*

Reſpondent tertiò alij Patres Spirituales communiter, mentalem orationem ſeu meditationem plurimum adiuuari, ſi quis piæ lectioni intendat, & inter legendum inhæreat ſingulis ſententijs, vt & intellectum illuminet & affectum moueat: voluens & reuoluens quæ legit non animo ſciendi, ſiue ſtudio doctrinæ; ſed ſtudio animum deuotione impinguandi, diuinoq; amore ſuccendendi. Quacunq; ratione finis habeatur orationis quid refert? Hęc bona eſt oratio; mò hęc eſt via ad ſublimiorem contemplationem. De S. Thereſia accepimus per quindecim & amplius annos vix potuiſſe meditationi animum addicere niſi hac via, libellum ſcilicet pietatis & deuotionis legendo, & poſt ſingula, quæ legebat, mentem in Cælum Deumq; eleuando, ac deinde deficiente intellectus conſideratione, & voluntatis motione iterum ſe ad librum conuertendo, donec Deus ad ſublimiora illam euocauit. Itaq; qui aliter neſcit meditari, libellum de contemptu mundi ſeu de imitatione Chriſti Ioannis Gerſonis ſeu vt alij

malunt

malunt Thomæ à Kempis, aut alium quecunq; similē in manus sumat, & singula, quæ legit, attendat, cum sapore gustet, masticet & comedat. Imitetur animalia munda, quæ in pascuis ruminant. Imitetur gallinam, quæ dum bibit ad singulas aquæ stillas caput attollit. Imitetur columbam, quæ ad singula grana oculos in Cælum leuat.

§. *Nonus. De Orationibus Iaculatorijs.*

AD Spiritualem profectum valdè conducunt orationes iaculatoriæ, quæ nihil aliud sunt quam quædam breues orationes ex psalmis vel aliunde selectæ, quæ ceu ardentia iacula, & sagittæ ex intimo corde vibratæ in momento ad Deum subitò efferuntur & emittuntur. Ab alijs vocantur aspirationes eò quòd his anima se ad Deum subleuat; quod idem est ac ad Deum aspirare. Hocce orationum genus frequens ac familiare priscis illis erat Ægyptijs monachis vt refert Ioannes Cassianus: Et has ipsi per magni faciebant, tùm quia caput non lædūt propter sui breuitatem; tum quia cum feruore quodam & spiritu elenato emittuntur, & subitò ante Dei conspectum se fistunt: Atq; ideò nullum Dæmoni relinquunt locum perturbandi eum qui illas concipit; aut obijciendi aliquod in corde eius impedimentum.

Exercitij huius praxim S. Basilius in eo ponit, vt qualibet ex re Dei recordandi occasionem capiamus iuxtà illud Psal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore semper laus eius in ore mea.* Comedisne Deo gratias age. Vestem induisne Deo gratias age. In agrum aut hortum prodisne benedic Deum, quia illa creauit. Contemplaris Cælum aut Solem aut reliqua omnia creata? Vniuersorum Creatorem lauda. Inter dormiendum quoties somno excitaberis, toties cor ad Deum sustolle; & sic de ceteris.

Aliquando bonum erit dolorem de peccatis concipere, di-

dicendo ex corde hæc aut ſimilia verba. *O vtinam te nunquam offendiſſem.* Vel *Ne permittas Domine vt poſthac te amplius offendam.* Vel *Da potius vt moriar quàm vt peccem.* Vel *Dei vtinam Diuina tua Maieſtas mille potius mortibus moriar quàm in vllum lethale peccatum incurram.*

Aliquando immenſas illi pro beneficijs acceptis tàm generalibus, quàm particularibus gratias agendo: vel virtutes poſtulando; modò patientiam in aduerſis; modò humilitatem in proſperis, modò continentiam, ſobrietatem, & temperantiam in hominum conuictu & conuerſatione; modò alias virtutes pro neceſſitate cuiuſq;

Aliquando per aliquos amoris actus, & per magnam cum ſanctiſſima Dei voluntate conformitatem poteſt quis cor ad Deum eleuare dicendo hæc, aut ſimilia. *Diligam te Domine fortitudo mea, Domine firmamentum meum &c.* Vel *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Vel *Non mea voluntas ſed tua fiat. Quid enim mihi eſt in Cælo, & à te quid volui ſuper terram?*

Hæ aliæq; id genus aſpirationes, & orationes iaculatoriæ perutiles ſunt etiam ad exercitium præſentiæ Dei ſemper colendum: optimæ autem eſſe ſolent illæ, quas animus à Deo motus & excitatus per ſe ipſe concipit etiam verbis incompoſitis & inordinatis.

§. *Decimus. De Examine Conſcientiæ.*

QVamuis nonnulla de hoc examine innuerimus ſuprà §. 8. cum de tempore orationis veſpertinæ egimus: nihilominus hæc materia fuſius & diſtinctius in hoc loco eſt pertractanda. Duplex igitur eſt conſcientiæ examen. Aliud Particulare. Aliud Generale.

Particulare eſt quod inſtituitur ſuper aliquod particulare vitium ſuperandum. Quotidiana quippe experientia videmus vnumquemq; noſtrum communiter aliquod vitium ve-

luc

lut caput & præcipuum habere quod nos violenter post se trahat ac rapiat ob magnam scilicet, qua erga ipsum afficimur, inclinationem. Sunt enim quædam passiones, quas prædominantes vocant, quæ nobis violenter dominari & quò nolumus inuitos nos impellere videntur. Hinc aliquando audimus nonnullos dicentes; *hunc ni defectum haberem nihil prorsus videtur esse quod me turbaret & affligeret*. Circa hoc ergo potissimum examen particulare est instituẽdum. Et optimum esset si quotidie haberetur, discutiendo seipsum quoties cogitatione, verbo, & opere in talem defectum seu in actus talis vitij puta Superbiæ, Iræ, Luxuriæ, Impudicitiæ, Gulæ, Inuidiæ, vel alterius similis incidit. Et si deprehenderit se incidisse, concipere dolorem, & iterum proponere emendationem in posterum.

Generale examen singulis vesperis ante cubitum debet haberi de omnibus peccatis illa die perpetratis tàm in commissione quàm in omissione. Hoc examen quinq; partes seu puncta complectitur. Primum est, Deo pro acceptis ab illo beneficijs gratias agere recolendo breuiter ipsam acceptorum beneficiorum memoriam. Secundum Gratiam à Deo poscere ad peccata, & defectus in quos prolapsi sumus agnoscendos. Tertium inire cum Anima nostra rationem discurrendo per cogitationes, per verba, per opera. Quartum eorum, quæ perpetrasse nos comperimus à Deo veniam petere ob eadem dolendo, & pœnitendo. Quintum Emendationem cum auxilio gratiæ Dei proponere, & dicendo. *Pater noster* tandem omnia concludere. Hanc praxim ponit Alphonsus Rodriguez parte 1. tract. 7. cap. 10.

Vtilitas prædictorum examinum imò necessitas tanta est, vt ab omnibus Religionum Fundatoribus in ipsorum regulis mirificè commendetur. S. Basilius enim, qui ex antiquis regulas Monachorum conscripsit; ijs in regula præcepit vt hoc examen quoti die instituant. Idem quoq; in sua regula præ-

ſcribit S. Auguſtinus, Suos etiam S. Antonius Abbas idem edocuit, atq; ipſum vt obſeruarent ferio commendauit. His accedunt S. Bernardus. S. Bonauentura, & alij communiter.

CAPVT IV.

De Officio Diuino.

EGimus capite ſuperiori de Oratione in genere, & in ſpecie de oratione mentali ſeu de Meditatione, deinde de orationibus iaculatorijs ſeu aſpirationibus, deniq; de examine conſcientiæ. Nũc agendum de oratione vocali. Inter omnes autem orationes vocales principem ſibi locum vendicat Officium Diuinum, ſeu Horæ, vt dicunt, Canonicæ. Eſt autem Officium Diuinum. *Laus Dei voce expreſſa pro Eccleſiæ inſtitutionem determinata.* Ita Toletus in ſum. lib. 2. cap. 10. In qua deſcriptione ſunt quatuor partes.

Prima eſt *Laus*. Eſt autem laus *manifeſtatio quædam excellentiæ alicuius cum affectu voluntatis*: cum enim alicuius virtutes propalamus ipſum laudamus. Iſtud igitur officium laus quædam eſt & manifeſtatio excellentiarum alterius.

Secunda pars eſt *Dei*. Non enim eſt Diuinum officium laus Regis, vel Imperatoris; ſed omnipotentis Dei; recitare enim officium pertinet ad virtutem Religionis, qua Deum colimus. Et quamuis officium ſit Beatiſſimæ Virginis & Mortuorum, tamen præcipuè eſt Dei, quem in ſuis ſanctis laudamus iuxtà illud. Pſal. 150. *Laudate Dominum in Sanctis eius.* Quid enim eſt aliud B. Virginis virtutes & gratias exprimere, quàm Dei virtutem & miſericordiam, à qua omne bonum eſt, extollere? Quid eſt animarum purgatorij pœnas referre, quàm Dei iuſtitiam cum clementia magni facere? Rectè ergo dicitur Diuinum officium *Laus Dei*.

Tertia pars. *Voce expreſſa*. Eſt enim duplex Laus. Altera quidem interna. Altera externa. Interna eſt quæ fit corde,

& nihil

& nihil aliud eſt quàm recogitatio quædam excellentiæ alterius cum affectu quodam ergà ipſum. Vnde Deum laudamus interius quando ipſius excellentias mente recogitamus, & affectu ſimul in ipſum ferimur. Externa eſt quæ fit ore, & voce ipſa manifeſtante internam. Bona quidem interna, & melior quàm externa (ſi hæc nudè & ſolitariè ſumatur, & abſq; interna) ſed ſi externa coniugatur cum interna, efficitur melior quàm altera per ſe. Diuinum igitur officium eſt non ſolùm laus interna, ſed & externa, quæ fit voce & prolatione. Et quamuis Deus ſit ſcrutator cordium, & qui non indiget voce vt intelligat: nihilominus optimis rationibus hæc vocalis laus eſt inſtituta. Primò. Vt noſter affectus magis excitetur; animus enim laudantis magis excitatur ad deuotionem voce, quæ eſt veluti quidam ſtimulus excitans & prouocans affectum. Secundò. Vt aliorum affectus etiam prouocentur; propter quod inſtitutum eſt vt eſſent cantus in Eccleſia, & etiam diuerſorum muſicorum genera. Tertiò. Vt pluribus modis laudetur Deus; cũ pluribus modis ſit excellens, & pluribus modis ſimus ei debitores. Aliæ rationes ſunt apud Toletum.

Quarta pars, *Secundùm Eccleſiæ inſtitutionem determinata*. Non enim ſemper cum Deum voce laudamus Diuinum officium celebramus; ſed cum laudamus ea voce, quæ eſt ab Eccleſia ad hunc finem determinata. Et ſignanter dicitur *determinata*; quia Eccleſia non inſtituit ſimpliciter laudare Deum (eſt enim hoc ſecundùm ius naturæ; & ita omnes gentes ſuos falſos Deos etiam clamoribus laudant, & Iudæi etiam hoc faciebant) ſed Eccleſia ab ipſorum Apoſtolorum tempore determinauit hunc modum laudis per Pſalmos, Antiphonas, Lectiones & reliqua, quæ continentur in officio. Dicitur autem officium, quia eſt munus Perſonarum Eccleſiaſticarum, in quo verſari debẽt. Eſt enim officium actus proprius, quo vnuſquiſq; vt in proprio & diſtincto ab alijs exercitio verſari debet.

Suppoſito igitur quòd ad officium Diuinum teneantur Eccleſiaſticæ perſonæ, quæ habent beneficium Eccleſiaſticum; vel ſunt in ordinibus Sacris conſtitutæ; vel ſunt profeſſæ in aliqua Religione quæ eſt choro addicta, inter quas omnes præcipuum locum tenent Sacerdotes. Videndum. Primò de Quantitate. Secundò de Qualitate. Tertiò de Modo. Quartò de Loco. Quintò de Tempore officij recitandi. Sextò de praxi deuotè recitandi. Septimò & vltimò de fructu deuotè recitantium.

§. *Primus. De Quantitate Officij Diuini.*

HÆc Quantitas continetur ſeptem Horis Canonicis nempe Matutino cum Laudibus, Prima, Tertia; Sexta, Nona, Veſpere, Completorio. Ita communiter Doctores. Talis Eccleſiaſtica inſtitutio fundata eſt in illo loco Pſ. 118. *Septies in die laudem dixi tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ* vt habetur cap. Presbyter diſt. 91. & cap. 1. de celebrat. Miſſarum.

Prædictus numerus ſeptenarius multa continet myſteria, propter quæ talis numerus præſcriptus eſt. Primò. Quia ſeptem ſunt ætates hominis, in quibus omnibus eſt laudandus Deus, ſcilicet Infantia, Pueritia, Adoleſcentia, Iuuentus, Virilitas, Senectus, Decrepitas. Secundò. Quia ſeptem diebus mundi creatio peracta eſt, pro quo beneficio laudes continuò perſoluendæ. Tertiò. Quia ſeptem ſunt dona Spiritus Sancti, quæ ſemper à Deo expoſtulare debemus. Quartò. Quia ſepties in die cadit iuſtus; vnde quotidie veniam à Deo debemus petere. Quintò. Quia Dauid ſepties in die laudabat Dominum, cuius exemplum nobis proponitur imitandum. Sextò, Quia ſeptem ſunt præcipua myſteria Paſſionis Chriſti, quæ continuò ſunt à nobis recolenda, & quibus reſpondent Horæ Canonicæ vt conſtat per ſequentia carmina.

Matu-

Matutina ligat Christum qui crimina purgat.
Prima replet sputis: dat causam Tertia mortis
Sexta cruci nectit: latus eius Nona bipertit.
Vespera deponit: tumulo Completa reponit.

Præfatæ septem Horæ Canonicæ singulis diebus sunt persoluendæ; & vnam absq; causa prætermittere est mortale peccatum iuxtà Toletum, dummodo non fiat ex aliqua obliuione. Si quis autem prætermisit aliquà die totum vel partem officij, peccauit quidem, sed non tenetur sequenti die recitare. Et qui in choro canendo totum aut partem soluit, non tenetur illud idem priuatim repetere. Et qui per Breuiarium Romanum recitant officium Diuinum non obligantur recitare officium B. Virginis, neq; Defunctorum nisi in Choro. Intellige nisi obligatio aliunde oriatur v. g. Ex voto, aut regula; aut præcepto; aut consuetudine alicuius Ecclesiæ vel Religionis.

Ordo dictarum Horarum, vt ait Toletus, non est in præcepto, cum extrà Chorum recitantur priuatim: Ordinem tamen absq; vlla necessitate prætermittere, veniale est peccatum. Cum verò acciderit vt in Choro dicantur Horæ posteriores, & ipse non persoluerit priores; potest insistere Choro, & postea priuatim recitare priores. Similiter ob aliam causam rationabilem occurrentem, vel propter obliuionem.

§. *Secundus. De Qualitate Officij Diuini.*

QVo ad Qualitatem Dico primo ordinariè tùm in Choro, tùm extrà recitandum est officium secundum formam Breuiarij Romani à Pio V. editi, & à Clemente 8. primum, deinde ab Vrbano 8. reformati. Dixi *ordinariè* Quia permissum est Clericis pauperibus alijsq; Ecclesiasticis personis vti antiquis Breuiarijs donec absumantur.

Per-

Permissum etiam est Ecclesijs, Monasterijs, & Conuentibus, quæ 200. annis antè Pij V. constitutionem proprium orandi Ritum tenuerunt, vt etiam deinceps retinere ipsis liceat; nisi maliqt cum Episcopi & Capituli consensu Romanum Breuiarium acceptare. Si autem semel acceptauerunt, non possunt deinde hoc relicto suum antiquum reaccipere, ed quòd renunciasse censeantur Indulto Pontificio retinendi ritum antiquum.

Dico secundò. Quibus in locis vsus Breuiarij proprij adhuc legitimè viget, docet Clericos talium Ecclesiarum, & Religiosos talium Monasteriorum in priuata etiam recitatione eundem Ritum seruare. An sub peccato mortali? controuersum est. Toletus loc. cit. n. 2. affirmat. Alij citati à Laymã lib. 4. Theologiæ Moralis cap. 5. (quibus ego adhæreo) negant; sec lusotamen scandalo & præcepto. Possunt itaq; in sentẽtia Layman loc. cit. & Bonac. de Horis Canonicis, q. 3. p. 1. n. 5. recitare iuxtà Breuiarium Romanum, nec peccabunt; quia se conformant Ecclesiæ Romanæ, quæ est mater & magistra omnium Ecclesiarum, non tamen passim est id faciendum sed cum aliqua rationabili causa. Quid agendum si Clericus vel Monachus, qui habet particularem Ritum sit absens à sua Diœcesi vel Monasterio; & reperiatur Romæ, vel in alia Diœcesi vbi Ritus diuersus viget? Respondeo cum Distinctione. Vel is est Monachus vel Clericus. Si Monachus omnes ferè Doctores conueniunt quod extrà Monasterium alieno vti Ritu non possit. Tum quia, vt ait Bonacina, Monacus tenetur ad officium non solùm ex vi Regulæ, vel consuetudinis, vel præcepti sui Superioris, sed etiam ex vi Voti, quo promisit obseruantiam constitutionum & Regularum suæ Religionis, & eo modo, quo dictæ constitutiones seu Regulæ obligant; Votum autem sequitur personam vbicunq; existit. Tùm etiam quia constitutiones Religiosorum approbantur & confirmantur à Summo Pontifice, Summus

mus autem Pontifex totum orbem habet pro territorio. Si autem Clericus, iterum ſubdiſtinguo. Vel reperitur per modum permanentis, vel per modum tranſeuntis in alia Diæceſi; ſi per modum permanentis puto eſſe in illius electione quem Ritum ſeruare velit; quia vtraq; opinio eſt probabilis, probabilior tamen apud me eſt opinio quod teneatur recitare juxtà Ritum ſuæ Diæceſis, quã opinionem tenet Layman. Quia obligatio recitandi officium ſicut eſt perſonalis quoad ſubſtãtiam, ita eſt quoad formam & qualitatem; obligatio autem perſonalis ſequitur perſonam vbicunq; exiſtat. Exciperem aduenas exiſtentes Romæ, qui licet in propria Diæceſi habeant Ritum proprium, tamen poſſunt vti Breuiario Romano, quia cõformant ſe Romanæ Eccleſiæ, quæ eſt mater Eccleſiarum. Si verò ſint per modum tranſeũtis debent ſequi in recitando Ritum proprium, niſi forte eſſet aliquod teſtum loci, tunc enim eſſet iuſta & rationabilis cauſa pro illa occaſione conformandi ſe Ritui loci.

Dico tertiò. Officium debet recitari ſicut in Romano vel Diæceſano Directorio præſcribitur. Controuertitur an ſit mortale vel ſolùm veniale peccatum, abſq; neceſſaria cauſa immutare officium v.g. dicere officium de Sancto cum debeat dici de Feria? Breuiter reſpondeo cum diſtinctione. Immutare officium ex inaduertentia vel ex obliuione, vel ex neceſſaria aut rationabili cauſa nullum eſt peccatum, niſi inaduertentia aut obliuio ſit culpabilis; tunc enim erit veniale, nec tenetur recitãs repetere totum officium, ſed ſufficit ſupplere quod fuit particulare feſto vel feriæ, vt Himnus, Antiphonæ, Oratio, tertia lectio (ſi fuit Matutinũ) vel Oratio in alijs horis. Immutare autem officium in fraudem v.g mutare longum in breue, vt officium Sabbati, vel Dominicæ in officium de Sancto iuxtà probabiliorem opinionem Toleti lib. 2. cap. 13. & Layman loc. cit. lib. 4. cap. 5. eſt graue peccatum, & tenetur repetere omnia quia non ſatis fecit.

Ra-

Ratio. Quia præceptum Ecclesiasticum quatenus ad præsentem diem tendit non quodlibet, sed hoc in specie officium præcipit, scilicet vt hi Psalmi, hæ lectiones, &c. recitentur, alioquin ad quid deseruiret varietas officij secundùm varietatem temporum & festorum, Nec dicatur quod etiam quando mutatio fit inaduertenter teneremur repetere totum officium. Quia non præsumitur Ecclesia velle tale onus imponere in tali casu, cum nulla adsit culpa, aut ad summum venialis.

§. Tertius. De Modo recitandi.

HIc modus potest attendi circa quinq; quæ seruari debent in recitatione, nimirum, vt dictum officium recitetur, Distinctè, Continuè, Attentè, Reuerenter, Deuotè.

Primò. Distinctè, vt scilicet verba non omittantur, vel mutilentur, vel absorbeantur, sed omnia proferantur, nec syllabæ abscindantur, sed recitentur sine, *Syncopa*, vt habetur in cap. dolentes de celebr. Miss. & ibi Glos. tunc autem fit *Syncopa* dum aliquid de medio tollitur. Quod si eiusmodi verborum absorptio vel concisio per negligentiam fiat circa notabilem officij partem, ad mortalem culpam pertingere posse monet Nauar. cap. 10. de orat. 9. & alij citati à Layman. cap. 5. nu. 8. assert. 7. Plerumque tamen est venialis culpa. Sin verò congenitum, vel acquisitum linguæ vitium, quod emendari non possit, orantem impediat, nulla culpa timenda est, tenetur tamen quisq; adhibere diligentiam ad emendationem. Porrò in priuata recitatione, quæ ab vno solo fit, necesse non est proferre vocem tam claram vt alius propinquè astans vel ipsemet recitans audiat. Satis facit præcepto qui recitat cum socio, quia recitantes sibi inuicem communicant, quod alternatim recitant, & sic vsu receptum est; tenetur tamen quilibet expectare vt socius proferat

ferat integrum versiculum, quia is qui nimis festinanter recitat, & anticipat non expectando socium si sit anticipatio notabilis, non satis facit. Ratio. Quia pars quæ anticipatè dicitur, non communicatur cum socijs, qui eam audire nequeunt. Ita Bonac. cum alijs ab ipso citatis q. 3. p. 3. n. 3.

Secundò Continuè. Vt scilicet Horæ singulæ recitentur sine notabili interruptione (loquor non de interruptione inter vnam & alteram horam, sed in partibus eiusdem Horę) quia non caret aliqua irreuerentia cæptam cum Deo collocutionem interrumpere aliqua alia actione seu locutione impertinente; nisi fortè talis actio vel locutio in aliud tempus differri non possit. Cum accidit interruptio siue longa siue breuis, non est opus à capite repetere officium. Consultum tamē est, si cōmodè fieri possit, repetere ab initio saltem nocturni, vel Psalmi interrupti, si interruptio fuit magna.

Dubitatum fuit, An qui incæptum officium interrumpit animo repetendi iam recitata, & postea non repetit; satisfaciat præcepto? Affirmatiua tamen pars potest sustineri; quia is reuera recitauit, & Ecclesia nihil amplius præcipit. Verùm cum hic noster tractatus habeat pro scopo perfectionem Ecclesiastici, & non apices Iuris, suademus id quod tutius est, nempè quod is reperat si habuit talem animum; & si cōmodè facere id potest; non enim debemus cum Deo rigorosè agere.

Tertiò Attentè. Vt scilicet officium recitetur cum attentione & aduertentia. Pro quo suppono triplicem in proposito esse Attentionem. Prima ad verba; vt singula proferantur. Secunda ad sensum verborum, vt illorum significatio percipiatur. Tertia ad Deum. Prima est superficialis. Secunda literalis. Tertia Spiritualis. Hæc rursus à Layman dupliciter accipitur. Primò strictè, si dum lingua profert, spiritus pia meditatione alicuius mysterij occupetur v. g. Circa Christi Humanitatem, Passionem &c. Secundò latè, quate-

nus ad cuiuſcunq; orationis eſſentiam hæc ſpiritualis attentio intrinſecè requiritur; nam oratio definitur *Eleuatio mentis ad Deum.* ergo de intrinſeca ratione cuiuſcunq; orationis eſt aliqua mentis & ſpiritus eleuatio & attentio ad Deum; Vnde hoc modo accepta hæc tertia attentio intrinſecè imbibitur in qualibet oratione, etiam in illa, in qua eſt ſola attentio ad verba, vel ad ſenſum: Neceſſe eſt enim, vt qui ad verba ſolùm attendit, conſideret ſe Deo præſentem, & cum ipſo verba facere; & id faciat ex propoſito tali modo Deum laudãdi & colendi. Item qui ad ſenſum verborum attendit, is mentis quoq; affectum accomodare debet; alioquin non eſſet oratio ſed eſſet pſittaci recitatio. Dum igitur hic condiſtinguimus tertiam attentionem ſpiritualem ſeu ad Deum à prima quæ eſt ad verba ſolum, & à ſecunda quæ eſt ad ſenſum verborum intelligimus de attentione ſpirituali ſtrictè accepta, vt explicatum eſt. His ſuppoſitis.

Dico. Attentio ad verba eſt ſufficiens & neceſſaria. Vnde qui aut verba non profert, aut ex nimia acceleratione malè profert; aut qui cum alio recitans non expectat fines verſuũ, ſed anticipat acceleranter, non implet præceptum. Neq; ſimiliter qui cum ſimilibus recitant, quando id fit in notabili quantitate; & ſic reprehenduntur cap. dolentes de celebr. Miſſ. Secunda Attentio ad ſenſum eſt bona, ſed non eſt neceſſaria nam ſi ad Pſalmos canendos iuxtà pręceptum oporteret sẽſum intelligere, pauciſſimi eſſent qui tale pręceptum implerent. Tertia Attentio ſpiritualis eſt etiam valdè bona, non tamen neceſſaria, quàm nihilominus deberet pius Eccleſiaſticus procurare, pro qua exercenda apponemus infrà aliquam praxim. Cæterùm attentio illa verborum, quæ omnino neceſſaria eſt, etiã duplex poteſt eſſe ſcilicet vel Actualis, vel Virtualis. Actualis dicitur quando recitans actu aduertit. Virtualis eſt cum incæpit animo & propoſito dicendi officium, & attendendi, poſtea non mutat animum, quamuis

non

non attendat. Ille mutat animum qui aduertit se non attendere, & vult adhuc ad alia diuerti. Qui verò sic se non habet, censendus est aduertere. Hinc fit quod non posset quis dicere officium & vacare alijs rebus, quibus attentio auferatur, vt scribere, seu alia legere & simul recitare: Vel etiam attendere officijs, quibus distrahi necesse est. Poterit tamen simul audire Missam; & Horas persoluere; quia ista ad vnum finem ordinantur. Et præceptum audiendi Missam, non est verbis intendere, sed sacrificio adesse etiam verbis non auditis; Vnde & simul præcepto Missæ satis fieri potest, & præcepto recitandi Horas quamuis quidam contrarium putent. Sed vt ait Tolet. lib. 2. cap. 13. sine ratione probabili. Actualis igitur in tota recitatione non est necessaria. Virtualis est sufficiens & necessaria. Hic solent communiter quærere; An qui sine vlla attentione recitaret, imò volũtariè esset distractus, satis faceret præcepto? Et ratio dubirandi. Quia attentio est actus internus; non potest autem Ecclesia præcipere actus internos. Quidam non infimæ notæ Auctores aiunt satis facere, nec peccare mortaliter, modò nulla externa occupatione, quæ cum oratione imcompossibilis est, se occupet. Cæterùm cõmunis opinio est in contrarium, de qua Bonac. de Hor. Çanon. disp. 1. q. 3. p. 2. §. 2. n. 4. Layman. loc. cit. n. 10. Ratio. Quia Ecclesia in officio persoluendo præcipit actum orationis. Non est autem oratio, sed nuda inanis vociferatio, vbi nulla est mentis attentio, siue in Deum eleuatio. Ad rationem dubitandi respondetur Ecclesiam non posse præcipere actum internum directè, & principaliter, secus autem indirectè, concomitanter & consequenter, scilicet quando actus externus qui præcipitur, trahit secum necessariò actum internum, tanquam sui formam & substantiam. Sed non expectamus hoc à nostris Ecclesiasticis, quos cupimus tendere ad id quod perfectius est.

Quartò Reuerenter. Vt scilicet decenti corporis habitu &

ſitu recitetur. Per ſe tamen loquendo non peccat qui decentem corporis habitudinem & ſitum non ſeruat, puta ſi recitet ſedendo, & ambulando, &c. quia ritus recitandi officiũ, aut ſtando, aut flexis genibus, non videtur receptus ſub ratione præcepti; ſed ſolùm maioris deuotionis gratia ſaltem in priuata oratione; in publica verò facilè fieri poteſt, vt aliqua culpa interueniat ratione ſcandali, aut alterius circumſtantiæ, niſi aliqua rationabilis cauſa excuſet.

Quintò Deuotè. Vt ſcilicet Animus noſter inflammetur amore Dei, quem laudamus; & ardeat deſiderio videndi quem fide cernentes, præconijs extollimus; quamuis non ſit peccatum, ſi hæc deuotio deſit abſq; contemptu; quia non eſt in noſtra poteſtate, & in cap. dolentes de celebr. Miſſ. dicitur. *Quantum eis Deus dederit ſtudiosè pariter celebrent & deuotè*. Non deerit fortè hæc deuotio ſi ſeruentur alia ſupradicta, & quæ in ſequentibus dicentur quia *facienti quod in ſe eſt Deus non denegat ſuam gratiam.*

§. *Quartus. De Loco recitandi Officium.*

HOræ Canonicę publicę in Eccleſia cantari debent, niſi aliud cogat neceſſitas, aut conſuetudo, aut Fundatoris inſtitutio. Priuatæ autem non habent locum determinatum; poſſunt in Eccleſia, vel domi, vel in agro, vel in via, ſiue ſtando, ſiue ſedendo, ſiue ambulando perſolui. Conſultum tamẽ & valdè laudabile eſt, & hoc exquirimus à noſtris Eccleſiaſticis, vt ſi fieri poſſit recitent in Eccleſia. Vel ſaltem domi habeant locum aliquem ſemotum, vel oratorium vbi recitent: Quod ſi talis locus non ſuppetat, ſaltem recitent in aliquo loco decenti, vbi non impediatur attentio, quæ vt plurimum impediri ſolet in frequenti hominum conuentu, tumultu, & ſtrepitu prophano, alioquin exponerent ſe periculo non ſatis faciendi præcepto. Imò qui abſq; cauſa recitat

citat in loco indecenti non excusatur à peccato saltem veniali propter irreuerentiam, sicut inurbanitatis notam incurreret qui nobilem Virum in dignitate cõstitutum in loco indecenti sine vlla necessitate adire vellet.

§. *Quintus. De Tempore Recitationis.*

QVantum ad publicam recitationem seruãdum est tempus proprium Horarum, seu potius standum est consuetudini obseruatæ in Ecclesijs, & similiter priuilegijs concessis. Quantùm verò ad priuatam recitationem. Dico diem computari à media in mediam noctem: Itaq; qui officium vnius diei recitauerit intra hoc tempus mortaliter non peccat. Exempli gratia. Dies Veneris est à media nocte Iouis vsq; ad mediam noctem Sabbati sequentem. Si quis igitur officium Veneris etiam Matutinum & Primam & alias Horas recitauerit die Veneris nocte vsq; ad mediam noctem quæ lucescit in Sabbato; non peccabit mortaliter. Imò Matutinum cum Laudibus eiusdem Veneris potest recitari ab occasu diei Iouis, non tamen dici possunt Horæ nisi post mediam noctem incipiente iam die Veneris. Qui omnes Horas persolueret nocte Veneris non peccaret quidem mortaliter; sed venialiter; & quidem grauiter, si absq; vlla causa rationabili id faceret. Vt autem Horæ dicantur absq; omni peccato etiam veniali sunt obseruanda tempora, scilicet vt Matutinum dicatur ab occasu Iouis vsq; ad principium solis diei Veneris: possunt tamen absq; scrupulo separari Laudes à Matutino interueniente aliqua causa, ita vt dicatur nocte Matutinum, & iam incipiente die Laudes. Prima ante Solis ortum, vel paulo post. Tertia aliquantulum post ortum. Sexta propè prandium. Nona ante prandium vel paulo post. Vesperæ & Completorum aliquo temporis interuallo post prandium, quamuis Completorium aliquã-

do

do prope noctem. Aliqua tamen causa rationabili vel occupatione potest iste tẽporis ordo peruerti;& simul possunt recitari ante vel post prandium;sed melius est ante prãdium ipso mane recitare vsq;ad Nonam; & post prandium Vesperas cum Completorio. Laudabilius enim est anteponere quam postponere.Illud namq;magis indicat prouidentiam; hoc verò negligentiam. Tempore autem Quadragesimali priuatim dicere Vesperas post prandium, non est mortale;si autem sine causa fiat est ad summum veniale.Hoc ex Toleto lib. 2. cap. 13. nu. 3. Vt autem intelligamus quanta sit Deo cara & accepta temporis obseruatio in recitatione Diuini officij, & quantùm displiceat illi contrarium quando absq; rationabili causa fiat, adducamus quædam Exempla.

Primum sit de S.Hugone Episcopo Lincolnensi.Hic preces Canonicas statuto persoluebat tempore nec induci poterat, vt aut præueniret; aut differret. Contigit illum aliquando cum Prælatis quibusdam & Clericis per loca infesta equitare. Consultantibus ergo illis, quo pacto imminens periculum euaderent, omnium hæc vna sententia fuit, vt ante lucem surgerent, & iter suspectum in tenebris conficerent. Surgunt mane, vrgent Episcopum, aiunt non cunctandum, ne à prædonibus capiantur, quibus ille. *Et quo ibimus* inquit *matutinis precibus non absolutis?* Respondent illi. Postea dicemus illas: iam properandum ne propter moram capiamur. Tunc Episcopus. *Qui capit*, ait *capiat; & qui timet, timeat. Ego hinc non exibo donec soluto more preces matutinas persoluero.* Mira res. Solus Episcopus, postquam laudes Deo obtulit, licet cum suis per eamdem viam equitaret, nil mali passus est:alij autem, qui prudenter se facere arbitrabantur, in periculum, quod cauere volebant, incidunt, Ita Surius in eius vita. Nouembr. 19.

Secundum sit de quodam Eremita, quem deficientibus alimentis Angelus pascebat, & tempore vuarum portabat ali-

aliquando vuas bonas: quandoq; agrestes: quandoq; marcidas. Interrogatus Angelus ab Eremita, quæ esset tantæ diuersitatis ratio; respondit, se portare bonas vuas quando officium debitis horis persoluebat; agrestes verò quando tempus præueniebat: marcidas quando vltra debitam horam differebat. Ita Abbas in cap. 1. de celebr. Miss. Iacob. à Graphijs c. 51. §. 14.

Tertium sit de S. Seuerino Episcopo Colonienſi; seu vt ait Baronius tom. 10. ann. 1062. Peregrino Colonienſi Epis. in purgatorio punito eò quòd frequenter ob negotia aulæ Horarum tempus anticiparet. Sic autem refert Petrus Damianus ad Abbatem Desiderium. Clericus Colonienſis vadum fluminis transibat, & ecce B. Seuerinus siue Peregrinus ibidem nuper Episcopus, equi habenas apprehendit, eumq; retinens sistit. Cumq; ille in stuporem versus, cur illic tam celebris famæ Vir moraretur, inquireret: Da mihi, inquit, manum tuam, & quæ circa me sunt, non auditu disce, sed tactu. Cumq; datam manum fluctibus Episcopus impressisset tantus eam ardor absorbuit, vt vndiq; carnes eius diffluerẽt. Ad quem Clericus ait. Cum nomen tuum in tanta sit benedictione apud nos, & fama tua totius Ecclesiæ præconijs celebretur, cur te pestilens hæc vorago constringit, tantoq; incẽdio cruciaris? Respondit. Nihil aliud in me manſit plectendum præter hoc quod dum in aula Regia constitutus imperialibus me consilijs vehementer implicui, Canonicæ Sinaxis officia per distincta horarum spatia non persolui: Mane quippe simul omnia coaceruans tota die negotijs vacabam securus. Hæc B. Petrus Damianus. Quis igitur audebit paruifacere non persoluere officium Diuinum debito tempore cum possit; si tam insignis Vir existente etiam aliqua causa & quidem rationabili, punitur ob recitationem factam intempestiue? Scio aliquem Doctorem (Azorius lib. 10. cap. 9.) dicere illum Episcopum fortè in purgatorijs pœnis esse detentum;

tentum; quia vel aulam Regiam frequentabat plus quam par erat: Vel preces horarias præcipuè in Ecclesijs cantandas non curabat. Vel certè ipse priuatim eas plus æquo & sine iusta causa anteponebat. Quicquid sit, nobis timendum, & cauendum.

§. *Sextus. De Praxi recitandi piè ac deuotè Diuinum Officium.*

PRo pia & deuota recitatione Diuini Officij Quædam obseruanda sunt, ante ipsam. Quædam in ipsa. Quædam post ipsam recitationem.

Ante ipsam Recitationem iuuabit multum recolligere aliquātulum mentem in varijs fortè seculi huius cogitationibus dissipatam, eamq; præparare ad Psalmodiam iuxtà Sapientis consilium. *Ante orationem præpara Animam tuam, & noli esse quasi Homo tentans Deum.* Hæc præparatio consistere poterit in aliqua breui consideratione, & oratione.

Prima Consideratio poterit esse de Dei præsentia, ad cuius laudem accingimur, illiusq; Maiestatem reuereri decet toto laudum decursu. Quòd si serui Dominorū temporalium in conspectu suorum Dominorum summa diligentia & perfectione, ea quæ sibi ex officio incumbunt, peragere solent; (quamuis sint res modici momenti, & pro temporali retributione) quantò magis nos serui Altissimi debemus iniunctum nobis onus maxima perfectione peragere in conspectu eius qui omnia videt, omnia rimatur, & omnia æqua lance perpendit vt pro meritis præmia; pro demeritis pœnas, & quidem in æternum iusta compensatione retribuat. Vereamur illud Prophetæ. Ierem. 48. *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Præsertim acturi cum supremo Numine de negotijs omnium grauissimis, de remissione peccatorum, de iustificatione Animæ, de gratia & salute, de gloria æterna obtinenda

da

da tùm à nobis, tùm à populis, pro quibus ſumus conſtituti mediatores ad Deum.

Secunda Conſideratio poterit eſſe. Quòd nos officium Angelorum exercemus, quorum in Cælis perpetuum exercitium eſt Dei ſummi laudes celebrare; illorum ergo ſolertiam cum reuerentia adiunctã æmulari debemus. Audiamus *Thomam à Kempis lib. de diſcipl. cap.* 8. [Chorus, *inquit*, & Dei, & Sanctorũ Angelorũ locus, ſicut Angeli in Cælo, ſic miniſtri ordinati ſunt in Choro. Opus Angelorũ eſt ſemper Deũ laudare: opus Angelorũ eſt intenta mente pſallere & orare. Sint in Choro, & in cantu quaſi in medio Angelorũ. Imò omnes fratres tui ſint tibi tanquam Angeli Dei, & cũ quibus pſallis in terris ſpera te quãdoq; cantaturum & in Cælis. Memineremus ergo verſus illius. In cõſpectu Angelorum pſallam tibi adorabo ad templũ ſanctum tuũ; & confitebor nomini tuo.] Exemplis multis demonſtrari poteſt officium Diuinũ Angelorum eſſe officium, & in eorum cõſortio perſolui. S. Magdalena 30. annis ab hominum conſuetudine diſiuncta quotidie ſepties ab Angelis eleuabatur in altum ad audiẽdas Cęleſtiũ ſpirituũ laudes, & cum illis perſoluẽdas. Ignatius Epiſcopus & Martyr viſionem vidit Angelorum SS. Trinitatem hymnis alterna voce decantatis collaudãtium. Tempore Diocletiani trucidatis multis Sacerdotibus circa illorum reliquias audita eſt Cæleſtis Pſalmodia horis illis quibus Sancti illi Martyres & Sacerdotes Deum laudare conſueuerant, mane & veſperi, ac hora Tertia, Sexta, & Nona. S. Guiduualdus Epiſcopus ambulans aliquando per mare, cum preces in naui perſoluturus inchoaſſet more Eccleſiæ dicens. *Deus in adiutorium meum intende*. Angeli ſubiunxerunt *Domine ad adiuuandum me feſtina*. Et ita totum officium alternis vicibus cum Viro Dei perſoluerunt. Hæc apud Iacobum Marchantum in ſua Virga Aaronis tract. 3. lect 14.

Tertia Conſideratio ſit de imitatione Eccleſiæ triũphan-

tis. Consideret ergo qui psallere debet, se membrum esse Ecclesiæ Militantis, quæ laudes Diuinas decantando Triumphantem imitari cupit, vbi non solùm Angeli, sed & omnis Beatorum Chorus ardenti amore decantant. Vna verò est Ecclesia siue Militans, siue Triumphans, sicut vnus erat populus Israelis, licet vna pars iam mare transisset in littore secura; altera per mare adhuc graderetur inter vndas. Vtraq; autem ordinata est ad laudandum Deum, quamuis altera securè & continuò laudet: altera pro modulo suo certis tantum temporibus ad æternam interim illam laudem suspirãs. Porrò Sacerdotes huius Ecclesiæ Militantis primaria sunt membra, quibus commissum est, vt nomine totius Ecclesiæ laudes persoluant, ideoq; illius spiritu eas debent persoluere, cuius vices gerunt; Imò spiritum Ecclesiæ triumphantis quantùm in se est attrahere debent, aut in spiritu sic eleuari, vt illi interesse iam quodammodo possint, & cum illa decantare. Præfatas aut similes cõsiderationes poterit habere pro mentis præparatione, & ad deuotionem excitandam recitaturus officium, cum subsequenti Oratione.

Oratio dicenda ante Officium Diuinum. [Aperi Domine os meum ad benedicendum nomen sanctũ tuum: munda quoq; cor meum ab omnibus vanis peruersis & alienis cogitationibus, intellectum illumina, affectum inflamma, vt dignè, attẽtè, ac deuotè hoc officium recitare valeam, & exaudiri merear ante conspectum Diuinæ Maiestatis tuæ. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Domine in vnione illius diuinæ intentionis qua ipse in terris, Maria, Ioseph, Sancti tutelares, omnes Sancti & Cæli Cives laudes Deo persoluistis, & persoluitis, has ego Horas persoluo.

In ipsa Recitatione, vt Attentio ad Deum, & Deuotio foueri possit duo principalia seruari debent quæ propositum magnopere iuuabunt. Primum erit applicare singulis Horis aliquando mysterium nostræ Redemptionis; iuxtà illa carmina

mina supra posita §. 1. *Matutina ligat &c.* quo Imaginatio & Cogitatio detineatur ne in vana, peruersa; & aliena distrahatur. Secundum erit percipere significationem & vim partium officij: quæ res tenebit mentem valdè excitatam & eleuatam.

Praxis primi principalis. *Ad Matutinum & Laudes.* recole angustias, pœnas, & cõtumelias, quas Christus passus est pro nobis tota nocte passionis; dum in horto iam sudore sanguineo & augustijs intimis exaustus, crudelissimè vinculis & funibus attractus est in Hierusalem, totoq; noctis tempore modò percussionibus attritus, modò opprobrijs & blasphemijs innumeris affectus: ita vt dixerit Sanctus Hieronymus, ea nocte tot & tanta passum Christum: vt in diem vsq; iudicij eorum integra sit reseruata notitia. Poterit oratio aliqua breuis fieri vel voce vel mente, in hunc vel similem modum. [Domine Iesu in vnione illius Orationis, quam in horto angustiatus Patri obtulisti, & tormentorum omnium, quæ passionis tuæ nocte pertulisti, Offero tibi hoc Matutinæ laudis obsequium, vt illud acceptare digneris; in compensam tot blasphemiarum.

Ad Primam. Recole quid ea hora passus sit dum diluculo conuenere cum rabie Principes Iudæorum, de quibus conqueritur per Prophetam. *Circundederunt me canes multi & concilium malignantium obsedit me.* O quot latratus, quot calumniæ, quot illusiones, quot tormenta affixerunt Dominum; dum per plateas trahitur tanquam omnium scelestissimus coram Principibus Iudæorum, coram Pilato, coram Herode accusatus, illusus, angustiatus. Oratio. [Domine Iesu in memoriam sputorum, alaparum, conuitiorum, illusionum, quas initio diei pro nobis pertulisti; hoc oris, & Cordis nostri obsequium accipere ne dedigneris, vt Patri æterno gratum sit in vnione tui amoris.]

Ad Tertiam. Recole acerbissimam flagellationem, impijssi-

mam coronationem, ignominiosissimam purpuræ, & arundinis inauguratienem, innumeris opprobrijs coniũctam, cum illa ad populum ostentione & verbis. Ecce homo. Oratio. [Domine Iesu in memoriã acerbissimæ flagellationis, & Coronationis tuæ, dignare hoc meę Seruituris obsequium susci-pere, quo te Regem æternum profiteor; Rogo te vt per dolorem vulnerum tuorum defendas me à Carnis lenocinijs, & per spineam tuam Coronam liberes me ab omni fastu, vanagloria, præsumptione, & hypocrisi.]

Ad Sextam. Recole damnationem eius ad mortem; baiulationem Crucis; aceti cum felle mixti potum; infamem iterum denudationem; pedum & manuum crudelissimam transfixionem, & in Crucem eleuationem. Oratio. [Domine Iesu in memoriam illius crudelissimæ Cruci affixionis, quando te Patri pro meis & totius mundi peccatis hostiam acceptabilem obtulisti; hoc sacrificium laudis à me susci-pere digneris, & Patri offerre. Infinitas tibi gratias ago pro hac maxima charitate, & rogo te libera me de sententia mortis æternæ, & gratiam infunde vt Crucem feram pœnitentiæ atque compunctionis.]

Ad Nonam. Recole trium horarum angustias & intensissimos dolores in Cruce toleratos, septem verbis ibi prolatis: expirationem Cælo lugente, & elementis signum luctus edẽtibus nec non latus per lãceam apertum vnde exiuit sanguis & aqua.

Oratio. [Domine Iesu in memoriam Cordis tui tribus horis in Cruce angustiati; & post expirationem lancea aperti offero tibi hoc precis & amoris obsequium, vt Cor nostrum iungere digneris tuo cordi amore inseparabili, & aqua tui lateris lauare ab omni labe peccati.]

Ad Vesperas. Recole Domini de Cruce depositionem, quanto cum mærore piorum maximè Virginis Matris, Discipuli Ioannis, Magdalenæ, Ioseph Arimathei, & Nicodemi,

mi; illa depoſitio fuerit, qui Corpus vtiq; cruentum & laceratum in ſinum Matris depoſuerunt. O doloroſum ſpectaculum. Oratio. [Domine Ieſu in memoriam capitis tui languidi, & Corporis tui plagis vndiq; afflicti, nec non è Cruce in ſinu Matris depoſiti hoc officium orationis ſuſcipe. Infinitas tibi gratias ago, & rogo te vt tuæ amantiſſimæ Matris ſic ſeruum fidelem me exibeam vt merear ſemper illius potẽtiſſima potectione defendi.

Ad Completorum. Recole funus & ſepulturam Domini, cui cooperatæ ſunt perſonæ piæ cum mulieribus quæ illum ſecutæ erant à Galileo. Oratio. [Domine Ieſu Chriſte in memoriam vnctionis & ſacræ ſepolturæ tuæ accipe hoc extremum officium ſeruitutis & deuotionis noſtræ diurnę,& vt tibi gratum ſit, coniunge cum lachrymis quas tibi obtulerunt piæ animæ. Infinitas tibi gratias ago & rogo, vt in anima mea viuum & conueniens aptes ſepulchrum, in quo deponaris vnctione virtutum aromatica conditus.]

Praxis ſecundi principalis. Inter partes officij primo loco ſe offert *Oratio Dominica*, quam accepimus exore Saluatoris. Debemus igitur conari intelligere ſenſum verborum variasq; de his formare, ac memoriæ tradere commentationes, quarum multæ apud Patres extant. Ad minus intelligere literalem ſenſum, & id quod verbis illis poſtulatur, & meminerimus orationem eſſe, quam inſtituit Filius Dei, vt illa vteremur, atq; vt æterno Patri illam offerremus. Hac animi affectione,& confidentia ſemper recitanda eſt, cum enim in officij contextu frequenter occurat, magnam habet vim, vt excitet attentionem, feruoremq; orationis intendat.

Secundò. Vbi dicitur *Deus in adiutorium &c.* Debemus agnoſcere miſeriam noſtram, & neceſſitatem diuinæ gratiæ quandoquidem nec vnum deſiderium bonum vel cogitationem Deo gratam poſſumus habere ex nobis; quanto minus congruenter orare niſi ſpecialiter à Deo adiuemur. Auxi-

lium

lium ergo poſcimus vt in hac laude ei perſoluenda intellectum illuminet, voluntatem accendat, memoriam foueat; ſicq; verba, cogitationes, & affectus & deſideria toto tempore laudis huius in eum transferãtur. In vita S. Luitgardis legitur, quòd licet ea latinum idioma haud intelligeret, ad illum tamen verſum *Deus in adiutorium meum intende* videbat fugientes dæmones, & agnoſcebat quàm efficacia ſint diuina verba, etiamſi qui pronunciant illa, non intelligant.

Tertiò. Vbi dicitur *Gloria Patri &c.* Monemur non habere aliam intentionem quàm SS. Trinitati gloriam reddendi, & ad id omnes Creaturas Cælum & Terram, & quæ in eis ſunt inuitandi. Cenſemur enim toto officio iungere voces noſtras cum Angelis & Choris Cæleſtibus, qui in æternum cantant Sanctus, Sanctus, Sanctus. Illam eamdem gloriam pro modulo decantare conamur dicentes *Gloria Patri &c.* Vnde id præponitur velut thema, & quæ in toto officio peraguntur non ſunt niſi commetarium & plenior explanatio huius verſiculi. Hæc eſt primaria Nota, ad quam omnes alij moduli, ſicut in muſica fieri ſolet, reducuntur.

Quartò. In *Inuitatorio.* Inuitamus non ſolùm plebem, aut eos quibus cum officium perſoluimus, ſed omnes Beatos è Cælis, imò omnem Creaturam è terris, quaſi eis inſonantes, *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum.* Et quia ſeptem ſunt dies cuiuslibet hebdomadæ, iucundum fortaſsè erit & delectabile propter varietatem ſingulis diebus inuitare ſignanter aliquem ordinem Beatorum eiq; ſe vnire ad laudandum Deum: ita vt die Dominico inuitentur omnes Angeli. Die Lunæ Patriarchæ & Prophetæ. Die Martis Apoſtoli, Euangeliſtæ, & Diſcipuli Domini. Die Mercurij omnes Sancti Martyres. Die Iouis Pontifices, Confeſſores, Doctores. Die Veneris Sacerdotes, Leuitæ, Monachi, & Eremitæ. Die Sabbati Virgines, Viduæ, Coniugatæ, & omnes Animæ beatæ.

Quin-

Quintò. In *Hymnis & Canticis.* Debemus singulari affectu laudare Deum; nam *Hymni* sũt à Patribus cõpositi, & ab Ecclesia approbati. Et continent vel historiam creationis mundi distributam per septem dies hebdomadæ; vel historiam festorum, quæ celebrantur ad laudandum Deum de donis gratiæ communicatis, & ideò aliqui initio horarum, alij in fine subijciuntur. *Cantica* autem sunt ex Sacris scripturis deprompta excepto Cantico *Te Deum laudamus* à Beatis Ambrosio & Augustino composito. Et notandum Ecclesiam in singulis hebdomadæ diebus aliquod Canticum ad Matutinas laudes decantare vltrà quod ad Vesperas quotidie recitat Canticum B. Virginis. Ad Completorium Canticum Simeonis. Ad Laudes Canticum Zachariæ. Ita vt nullum ferè Canticum ex ijs, quæ in scripturis continentur, prætermiserit Ecclesia.

Sextò. Hymnis adijciuntur *Psalmi*, qui sunt principalis officij Diuini pars, omnis generis voces, & affectus in se complectentes. Modò enim exprimũt affectus & voces compunctionis pro peccatoribus. Modò sublimis amoris aspirationes pro iustis. Modò voces edocẽt miseriam nostram repręsentantes, vt nos ipsos agnoscamus. Modò voces Diuinam misericordiam exaltantes, vt Deum collaudemus. Modò Diuina beneficia enarrant, vt gratias agamus. Modò exhortationem continent, & perfectionis consilia suggerunt, vt ea adimpleamus. Deniq; multa continent, quæ omni tempori, omni loco, omni conditioni hominum congruunt, vt animus in Deum erigatur. Hinc antiquitus maximè fuit commendatum his qui in pietate instituebantur à primæua ætate Psalterio ediscendo incumbere, vt de multis refert Marchantus in Virga Aronis, tract. 3. lect. 17. de Psalmis: Quapropter laudabile est Sacerdotes & Ecclesiasticos vacare non solùm lectioni, sed etiam interpretationi Psalmorum. Quandoquidem hæc potissimum erit fructuosa oratio, si quis Psalmos

eruin-

enuncians, quantùm in ſe eſt, eumdem affectum induere, quem Pſaltes, eumdemq; ſpiritum excitare conetur, qui in verſibus pronunciatis enunciatur. Itaq; ſi Pſaltes indicat ſe Deum diligere, Dei amorem excitemus in nobis: ſi timere timorem: ſi ſperare ſpem: dum laudat laudemus: dum peccata deplorat, compungamur: dum ſe humiliat humiliemur, & ſic de cæteris.

Septimò. Pſalmis interijciuntur *Lectiones*, quæ depromuntur Vel ex Sacra Scriptura: Vel ex Homilijs Sanctorum: Vel ex geſtis & Vita eorum: & deſignant nobis vſum illum ſaluberrimum, & fructuoſiſſimum lectionis ſpiritualis, quem diximus frequentãdum eſſe à Sacerdotibus & Miniſtris Chriſti. Horum enim vita maxima ex parte deberet verſari in lectione Sacræ Scripturæ: in libris Sanctorum Patrum: & in vita & geſtis Sanctorum, quorum exempla mouere nos poſſunt ad imitandum: Hinc liber, in quo recitatur officium Diuinum vocatur *Breuiarium*, quaſi compendioſè & abbreuiatè continens quicquid præclarum eſt in Sacræ Scripturæ libris, in Sanctorum geſtis & hiſtorijs, in Orationibus à Summis Pontificibus editis; aut alijs libris pijs.

Octauò. Lectionibus præmittuntur *Benedictiones*, & in fine lectionis ponitur Concluſio: *Tu autem Domine &c.* ſunt autem Benedictiones quædam breues adſpirationes, & velut iaculatoriæ preces, quibus excitetur Attentio: quarum Prima ad Patrem: Secunda ad Filium: Tertia ad Spiritum Sanctum dirigitur, vt indicetur nunquam lectionem debere nos auſpicari niſi in nomine SS. Trinitatis, neq; fructum ex ea percipi, niſi preuia illius benedictione. Ad quam legendam lector recitaturus dicit. *Iube Domne benedicere*, ad indicãdum neminem vſurpare debere munus annuntiandi Verbum Dei ſine permiſſu & auctoritate maioris, cùm ſcriptum ſit. Rom. 10. *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Ponitur Concluſio: *Tu autem Domine miſerere nobis*. Quaſi rogando Deum vt per

ſuam

ſuam miſericordiam inſerat cordibus noſtris ſemen Verbi Diuini lecti: Atq; vt condonet etiam culpam quam incurrimus eò quòd monita quæ leguntur, non adimpleuimus. Subijcitur *Deo gratias*, agendo Deo gratias quod doctrinæ Verbum tanquam panem frangere dignetur.

Nonò. Sunt in officio *Reſponſoria*, *Antiphonæ*, *Collectæ*, *ſeu Orationes*; Eſt autem *Reſponſorium* Cantus ille qui lectiones ſequitur, eò quòd vno aliquid recitare deſinente, alius reſpondeat; Deducuntur autem Reſponſoria ex illis quæ tempori conueniunt; aut ex Scripturis, ex quibus ipſæ lectiones ſunt. *Antiphona* autem dicitur Græcè appoſita Vox, ſiue Vox contraſonans. Inde Antiphonæ dictæ ſunt quòd alternatim à duobus Choris canerentur. Vſu verò receptum eſt vt ſententia Pſalmum antecedens Antiphona appelletur, ad cuius ſonum totus Pſalmus à duobus Choris alternis verſibus decantatur: ac deinde ſimul duo Chori in Antiphona conueniunt. *Collecta* verò dicitur Oratio, qua Sacerdos omnium Vota, & Orationes colligit, quaſi in vnam & per illam concludit addens; *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c.* quia nihil niſi per eius merita impetramus, quem propoſuit Deus propitiatorem in ſanguine ſuo.

Decimò. In fine cuiuslibet Horæ Canonicæ ponitur illa Concluſio *Fidelium Animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace.* Vt in qualibet Hora partem habeant Animæ purgatorij, & illarum non obliuiſcantur Eccleſiæ miniſtri quoties officium perſoluunt. Monentur etiam per hoc de ipſorum morte, in qua aliorum indigebunt precibus, & cum hora illius ſit incerta, animum reflectant ad ſingula debitè peragenda.

Poſt Recitationem Officij. petēda eſt venia à Deo defectuum, ſi quos in illius recitatione vel ex fragilitate humana, vel ex negligentia, vel ex Dæmonis aſtutia cōmiſimus. Valdè autem appoſita eſt ſequens Oratio, quam deuotè recitantibus

Leo X. defectus & culpas in officio perſoluendo ex humana fragilitate contractas dimiſit. Eſt autem talis [Sacroſanctæ & Indiuiduæ Trinitati, Crucifixi Domini noſtri Ieſu Chriſti Humanitati Beatiſſimæ, & Glorioſiſſimæ ſemper Virginis Mariæ fecundæ integritati, & omnium Sanctorum Vniuerſitati ſit ſempiterna laus, honor, virtus, & gloria, ab omni Creatura, nobisq; remiſſio omnium peccatorum per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.] Beata Viſcera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium. ℣. Et beata Vbera quæ lactauerunt Chriſtum Dominum. Pater noſter. Aue Maria.

CAPVT V.

De Confeſſione.

PRæcipuum Sacerdotis munus eſt hoſtiã immaculatam & Sacroſanctum Sacrificium Deo offerre. Verùm ad hoc ſi non dignè, ſaltem non indignè peragendum, magna vitæ puritas requiritur, ad quam conſequendam valdè conducit Sacramentum Pœnitentiæ, (quod Confeſſio dicitur) rectè frequentatum: ideò antequam de Miſſæ Sacrificio inſtituamus ſermonem operæ precium duxi hoc caput de Confeſſione præmittere. Tripliciter autem accipitur hoc nomen Confeſſionis in Scripturis Sacris. Primò pro laude diuina iuxtà illud Pſal. 66. *Confiteantur tibi populi Deus.* Et alibi, *Confiteantur tibi Domine opera tua, & Sancti tui benedicant tibi.* Et Pſal. 94. *Præueniamus faciem eius in Confeſſione.* Secundò pro accuſatione interna, quæ fit Deo iuxtà illud Pſalm. 144. *Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino.* Tertiò pro accuſatione externa quæ fit homini, & hoc modo accipitur hic. De qua videndum. Primò. Quid ſit, & quas vtilitates pariat. Secundò quas conditiones requirat. Tertiò. De impedimentis integræ Confeſſionis. Quartò. De praxi ordinariè

pariæ Confeſſionis. Quintò. De Confeſſione Generali.

§. *Primus. Quid ſit Confeſſio, & quas vtilitates pariat.*

EST igitur Confeſſio, *legitima & Sacramentalis accuſatio de proprijs peccatis facta Sacerdoti, ad obtinendam remiſſionem peccatorum per abſolutionem*. Ita communiter Doctores cum Sancto Thoma in 4. diſt. 17. q. 3. art. 2. Dicitur *legitima* vt aduerterem ad Confeſſionem non ſufficere quamlibet accuſationem, ſed ad eam requiri quaſdam conditiones, de quibus infra. Dicitur *Sacramentalis*, quia non quælibet Confeſſio facta Sacerdoti eſt Sacramentalis: etenim poteſt quis fateri ſua peccata ſeq; illis apud Sacerdotem accuſare alio fine, quàm ad obtinendam illorum remiſſionem. Dicitur *Accuſatio*, quia non ſufficit quælibet peccatorum manifeſtatio; ſed requiritur vt ſit facta cum dolore; Dicitur *de proprijs peccatis*, nam materia Confeſſionis ſunt peccata non aliena ſed propria. Dicitur *facta Sacerdoti* ad indicandam cauſam miniſterialem, id eſt miniſtrum Sacramenti Confeſſionis: non enim poteſt quælibet perſona adminiſtrare Sacramentum Confeſſionis: Vnde Confeſſio facta Laico, ſiue Clerico non Sacerdoti, non eſt Sacramentalis vt patet ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 6. Dicitur *ad obtinendam remiſſionem peccatorum*, vt appareat finis & effectus Sacramentalis Confeſſionis, qui eſt remiſſio peccatorum. Dicitur *per abſolutionem*, vt oſtendatur & explicetur neceſſitas formæ, qua Sacerdos vti debet in adminiſtrando Confeſſionis Sacramento.

Nunc veniendo ad vtilitates. Prima Vtilitas eſt. Quia Confeſſio eſt medicina quædam generalis pro qualibet animæ ægritudine. Quis autem neſciat venialia eſſe eiuſmodi ægritudines, quæ licet vitam animæ non eripiant (gratiam ſcilicet & Charitatem) robur tamen vireſq; adimunt; & impediunt quo minus Anima proficiat, & in Dei excreſcat

amore? Quod si non modicam adhibemus diligentiam, vt non solùm à mortali corporis ægritudine liberemur, sed etiã vt ipsa morborum principia depellamus, statim ad medicos properando & præsentissima remedia exquirendo, vt corporis sanitas non violetur? Cur non idem pro Anima procuramus? Christus ad hoc se venisse asserit. Ioan. 10. *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Vnde & eis præclara medicamenta delegauit. Sed nullum præstantius hoc salutifero pharmaco. Etenim quamuis ad venialia curanda aliis etiam possimus vti remedijs, Sacramentum tamen pœnitentiæ, quod in Confessione consistit, longè est efficacius ac perutilius: Si igitur vt Corpus conualescat præstantiora exquirimus medicamina, cur non æqualem saltem adhibemus diligentiam, vt perfectam Animæ valetudinem assequamur?

Secunda Vtilitas. Quia hoc Sacramentum est lauacrum, quod Christus suo sanguine præparauit vt eo omnes animæ sordes emundarentur. Hinc Diuus Ioannes Apocal. 1. *Dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Inconfessoautem est apud omnes Sãctos venialia esse veluti lutum, aut puluerem, aut fuliginem quæ animas inquinat, earumq; nitorem, quo aliàs Deo & Angelis sunt acceptæ, commaculat. At quis nostrum erit, qui si faciem habeat luto, aut puluere inquinatam, non statim illam emundet vbi fontis & aquæ commoditas sese præbet? Ergo quod tam diligenter committimus in facie corporis, hoc negligenter in facie animæ omittemus? An fortè quia non indigemus? & quis est mundus à sorde? ò si Deus nostræ mentis oculos aperiret, & lucis suæ radio collustraret quàm multa videremus deformia, quæ nunc luce absente non videmus; & fortasse ipsamet deformia formosa videntur. Regius Propheta *Psal.* 18. exclamat & dicit. *Delicta quis intelligit? Ab occultis munda me.* Et Ioannes Apostolus 1. *Ioan.* 1. [Si dixerimus quoniam

pec-

peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est; Si autem confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus, & iustus vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.] Si igitur Animæ munditiem nos amamus, pœnitentiæ Sacramentum non negligamus.

Tertia Vtilitas. Quia hoc Sacramentum est arca in qua Christus Dominus nostræ pretium redemptionis deposuit: Et omnibus est exposita, vt inde sumant affatim, & sua debita satisfaciant modò velint accedere, ò quàm multa debita quotidie peccando contrahimus. *Si septies in die cadit iustus* vt dicitur Prou. 24. quoties in die cadet iniustus? Si Sanctus Iacobus Apostolus post receptionem Spiritus Sancti & confirmationem in gratia non veretur dicere. *Iacob. 3. In multis offendimus omnes.* Quid nos miselli dicere debemus? Hinc optimus Magister sapientissimè instituit, vt quotidie precaremur. *Dimitte nobis debita nostra.* Quomodo igitur poterimus viribus nostris tàm grande æs alienum persoluere? *Pro minima culpa totus mundus satisfacere non potest* (inquit D. Hieronymus in regula sua) *nisi Deus pro sua misericordia dignaretur ignoscere.* Et Sanctus Abb. Agathò in Vitis Patrũ. *Si Deus nobis imputaret distractiones cordis, & negligentias quas in orationibus nostris & Officio Diuino incurrimus salui esse non possemus.* Quapropter & Dauid precabatur. *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Psal. 142. Et alibi. *Si iniquitates obseruaueris Domine Domine quis sustinebit.* Et Sanctus Iob. cap. 9. *Verè scio quod non iustificatur homo compositus Deo si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei vnum pro mille.* Cum igitur tot debitis obstricti simus Deo; & facultates nobis nullæ suppetant ad satisfaciendum: & tam ingens thesaurus in promptu sit, vt inde haurire abundanter pro satisfactione possimus, Quis tàm insipiens, tàm negligens, tàm sui obliuiosus, qui non curet ad tantum fructum percipiendum accurrere?

Quarta

Quarta Vtilitas. Quia Sacramentum Pœnitentiæ est conclaue, in quo anima pulcherrimis vestibus adornatur. Vnde Apostolus. *Induimini Dominum Iesum Christum*; id est meritis eiusdem. Et hæc ratio satis esset ad inducendum quemlibet præsertim Sacerdotem ad huius frequentationem Sacramenti, etiam si nullis esset subiectus morbis, nulla labe infectus, nullis debitis obstrictus Quæ sponsa die nuptiarum non deponit sordidas & laceras vestes; & induitur pulchrioribus quas valeat inuenire? & si propriæ non suppetunt nonnè sumit mutuò alienas, vt saltem qua ratione potest, valeat adornari? Nos autem imprudēter sordidi accedemus vt tractemus cum Deo, cum possimus alienis opibus cōmodè exornari? In Sacramento enim Pœnitentiæ nobis offerūtur ornamēta ditissima, vt *testatur Sanctus Augustinus super illa verba Ps.* 95 [Confessio & pulchritudo in conspectu eius. *Sic nempe cōmentatur.* Pulchritudinem amas? Vis esse pulcher? Confitere: non dixit, Pulcritudo & Cōfessio: sed Confessio & Pulchritudo. Fædare te potuisti: formosum te facere per te ipsum non potes: sed confitentur homines peccata sua: vomunt mala, quæ auide vorauerunt: non redeunt ad vomitum suum sicut Canis: Et sic ex Cōfessione sequitur pulchritudo in cōspectu eius; Sāctitas & magnificētia in sāctificatione eius.] Ille ergo qui sese, cū inuitatus est à Deo ad Conuiuium regale, deprehendit sordidis vilibusque indutū, habet, si velit, vnde se vestiat in Sacramēto Pœnitentiæ: & si fortè (vt speramus & supponimus) iam sit veste gratiæ & charitatis indutus, adhuc non erit inutile ad hoc Sacramentum accedere; gratiam enim cōfert non habenti; ei autem qui habet illam adauget; Vnde consequenter cum proportione, tantò vberior est fructus qui deinde percipitur in sumptione Sanctissimi Sacramenti.

Omitto alias Vtilitates, quas possem hic prolixius recensere. Nempè quòd hoc Sacramentum Viris pijs illud cum deuotione percipiētibus conscientiæ pacem, ac serenitatem

cum

cum vehementi ſpiritus conſolatione pariter vt ait Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. Quòd per abſolutionem, quæ in illo confertur, tollit cenſuras, quas aut per imprudentiam, aut per ignorãtiam craſſam incurrimus. Quòd remittit peccata quæ fortè grauia commiſſa ſunt, ſed à nobis ignorantia culpabili non ita æſtimantur: Vnde nec de illis tantam contritionem excitamus: hæc, inquam, remittuntur virtute huius Sacramenti, ac ſuper iſta cadit abſolutio Sacramentalis dummodo nõ ex malitia ommittantur. Quòd ſæpius confitendo conſcientia fit religioſa, & à leuioribus etiam declinat; quæ res ad perfectionem non parum confert (qui eſt ſcopus noſtri inſtituti) modo abſint ſcrupuli impertinentes, fiatq; amore Dei cum propoſito euitandi ea, quæ vel minimum poſſunt offendere. Sicut è contra, cum rarò confitemur, conſcientia laxa efficitur, nec aliqua tenemur religione, niſi in criminibus manifeſtis, & modò peccata mortalia non inquietent, cætera non videntur Confeſſioni exponenda.

§. *Secundus. De Conditionibus veræ Confeſſionis.*

SExdecim conditiones ſolent à Doctoribus ſub infraſcriptis verſibus enumerari.

Sit Simplex, Humilis Confeſſio, Pura, Fidelis
Atq; Frequens, Nuda, Diſcreta, Libens, Verecunda
Integra, Secreta, & Lachymabilis, Accelerata
Fortis, & Accuſans, & ſit parere parata.

Quarum breuis explicatio hæc eſt. *Simplex*, id eſt continẽs ſolam peccati grauitatem ſine mixtura hiſtoriarum. *Humilis*, id eſt vt ipſe pœnitens interius agnoſcat ſe miſerum & infirmum, atq; exterius confiteatur flexis genibus capite diſcooperto &c. *Pura*, id eſt recta intentione facta. *Fidelis*, id eſt verax ſine falſitate. *Frequens*, id eſt crebra ſiue quoad peccata nunquam confeſſa vt crebrò cadens crebrò confiteatur ſiue:

sine quo ad alias cõfessa. *Nuda*, id est clara, & distincta vt Sacerdos intelligat peccati grauitatem; licet in peccatis lasciuiæ sit sobrie procedendum ne Confessarius tangatur motibus sensualitatis. *Discreta*, id est ad sciendum quærere idoneum, & discretum Sacerdotem. *Libens*, id est sine coactione, & sine respectu temporali. *Verecunda*, id est ne dicat peccata quasi per iactantiam. *Integra*, id est vt nihil subtrahat de his quæ manifestari debent. *Secreta*, id est ne Confessor detegat pœnitentem; & vice versa pœnitens non detegat vetenda Patris sui. *Lachrymabilis*, id est cum dolore saltem interno de peccatis. *Accelerata*, ne protrahatur de die in diem. *Fortis*, id est constans ne quid propter timorem satisfactionis, vel propter verecundiam omittatur. *Accusans*, id est seipsum & non alios. *Parere parata*, id est Sacerdoti imponenti pœnitentiam. Has sexdecim Conditiones prolixè explicat Diuus Antoninus in sua summa 3. part. tit. 14. cap. 19. Non omnes tamen sunt æquè necessariæ, quamuis omnes vtiles. Quatuor autem videntur magis necessariæ præ cæteris; ideò in illis aliquãtulùm immorabimur, eas vberius explicando. Sunt autẽ istæ. *Fidelis, Integra, Lachrymabilis, & parere Parata.*

Confessio igitur debet esse primo *Fidelis*, Hæc fidelitas Confessionis in duobus consistit. Primò quod pœnitens nihil neget ex his quæ commisit; nec asserat ea, quæ non commisit. Mentiri enim in Confessione graue peccatum, quamuis non semper mortale. Nam, iuxtà magis communem, est solùm veniale si materia super quam cadit mendacium est venialis; quia peccata venialia non sunt materia necessaria Confessionis. Limitatur hoc, quando veniale fit materia necessaria Confessionis; quod tunc euenit quando non exponitur in Cõfessione aliud peccatum. Secundò quòd pœnitens exponat dubia pro dubijs, & certa pro certis, nõ autẽ dubia pro certis, & certa pro dubijs.

Secundò. Confessio debet esse *Integra*, Hæc Integritas con-

conſiſtit in hoc quod pœnitens nihil voluntariè Taceat de his quæ manifeſtanda ſunt in Confeſſione. *Quoad ſpecies*; *Quoad numerum*; *Quoad Circumſtantias* peccatorum. *Species* peccatorum aperiendæ in Confeſſione ſunt Morales non Phyſicæ, nam in vna ſpecie morali ſunt plures actus phyſici ſpecie differentes. exem. gr. Aliquis vult occidere inimicum, emit enſem, conſcendit equum, ponit ſe inſidijs &c. iſtæ actiones ſunt plures & differentes ſpecie phyſica: tamen vnum quid ſpecie morali, quia omnes tendunt ad eumdem finem; & habent eamdem deformitatem cum recta ratione. Vice verſa in vna actione phyſica poſſunt eſſe plures ſpecies morales. exem. gr. Aliquis percutit Epiſcopum; hic exercet vnam actionem ſpecie phyſica, ſed multiplicem ſpecie morali habentem plures deformitates; nam talis percuſſio aduerſatur non ſolùm Iuſtitiæ; ſed reuerentiæ debitæ ordini Clericali; & honori debito ſuperiori. Dico ergo in Confeſſione explicanda eſſe peccata *ſecundum ſpecies morales*: Ratio quia vt docet Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. (*Omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent pœnitentes, debent in Confeſſione recenſere*) ſed non poſſunt omnia peccata recenſere, niſi explicent ſpecies morales, quia aliquando, vt diximus, vna actio phyſica plures habet malitias; ergo aperienda ſunt peccata iuxtà ſpecies morales.

* *Numerus* etiam peccatorum, præſertim mortalium, aperiendus eſt in Confeſſione quantum fieri poteſt. Non enim ſat eſt dicere, multoties hoc commiſi, niſi dicat quoties, quod ſi præcisè non recordetur, dicat pœnitens plus minusue numerum vt recordatur. Quòd ſi peccatum eſt nimis frequens dicat ſaltem tempus, vt quod per annum habuerit conſuetudinem committendi tale peccatum. Similiter ſi fuit in ſtatu peccandi. Hic etiam dicimus eſſe explicandum numerum moralem non phyſicum. Vnde qui occidit non eſt opus confiteri quod gladium præparauerit, quod inquiſierit inimi-

cum &c. ſed ſufficit præcipuum actum confiteri: Ita in ſimilibus. Tenetur tamen dicere tempus continuationis vnius peccati, vt qui per menſem integrum fuit cum voluntate occidendi tenetur tempus dicere; nam virtualiter eſt numerus & multitudo peccatorum.

Circumſtantiæ peccatorum, quæ continentur hoc carmine.

Quis, quid, Vbi, quibus auxilijs, Cur, quomodo, quando

Sunt etiam aperiendæ; non tamen ſemper; ſed ſolùm in ſequentibus caſibus.

Primò. Quando circumſtantia aggrauat in infinitum, id eſt facit de veniale mortale: vt qui dicit mendacium iocoſum vt alter occidatur, tenetur confiteri hunc finem; nam propter eum fit peccatum mortale, quod ſine illo erat tantùm veniale. Ecce circumſtantia finis illius particulæ *Cur* in hoc caſu aggrauat in infinitum. Similiter qui fecit aliquid quod ex ſe non eſt mortale, putabat tamen cum fecit, eſſe peccatum mortale; tenetur illam circumſtantiam Perſonæ illius particulæ *Quis* confiteri ob eandem rationem.

Secundò. Quando Circumſtantia mutat ſpeciem peccati; ita vt ex mortali vnius ſpeciei faciat alterius ſpeciei? Vt qui furatur in Eccleſia tenetur dicere locum, quia illud peccatum eſt ſacrilegium, cum extrà Eccleſiam ſit ſimplex furtum. Similiter qui fornicatur in Eccleſia. Et qui in illa ſanguinem fundit. His tribus caſibus locus manifeſtandus eſt; & ecce quod Circumſtantia *Vbi* mutat ſpeciem. Similiter qui fornicatur cum Coniugata tenetur dicere circunſtantiam Perſonæ quia eſt Adulterium: ſi cum Religioſa, Sacrilegium: ſi cum matre vel ſorore, vel propinqua eſt Inceſtum.

Tertiò. Quando ex circumſtãtia multiplicatur peccatum, nimirùm quando eſt circumſtantia contra præceptum aliquod, vt qui furatur vt adulteretur, tenetur finem exprimere quia duo ſunt peccata furtum & adulterium: actus enim in-

terio-

teriores sunt manifestandi. Similiter qui fornicatur, si est in sacris constitutus, tenetur manifestare, quia vltra fornicationem facit contra Votum.

Quartò. Quando circumstantia habet annexum onus Vel restitutionis; Vel satisfactionis; Vel excommunicationis; Vel reseruationis. Vnde qui furatur centum, non sufficit si dicat in Confessione furatus sum quantitatẽ constituentem peccatum mortale, quia adest onus restitutionis: si verò iam restituit non est necessariò talis circumstãtia quãtitatis aperienda. Item si quis rem habuit cum sorore aut matre debet exprimere, nec satis est dicere habuisse rem cum consanguinea, quia gradus propinquior multis in locis habet annexam reseruationem. Præter quam quod iuxtà probabilem sententiam in Incestu dantur species. Ecce quomodo in prædictis casibus circumstantia *Quid* notabiliter aggrauans intra eamdem speciem debet explicari: quia habet annexum onus vel restitutionis, vel satisfactionis, vel excommunicationis, vel reseruationis.

Itaq: Confessio debet esse integra *quoad Species, Numerum, & Circumstantias peccatorum* vt dictum est. Dantur tamen aliqui casus, in quibus Confessio nõ integra, erit tamen valida, & dicitur integra formaliter, licet non materialiter; sunt autem isti, nempe Ignorantia, vel Obliuio inculpabilis. Impotentia loquendi. Vtilitas notabilis Sacerdotis, vel pœnitentis. Dignitas Sacerdotis.

Ignorantia igitur aut obliuio inculpabilis excusat ab integritate materiali confessionis. Vnde qui post sufficientem diligentiam adhibitam non recordatur alicuius, vel aliquorum peccatorum, & confitetur omittendo illa peccata, facit confessionem validam. Verum quidem est, quod si postea memoriæ occurrunt, debet illa confiteri, vel eidem vel alteri Sacerdoti. Item qui in puerili ætate commisit peccatum; & in confessionibus tacuit quia ignorabat esse peccatum; illæ

confessiones fuerunt quidē validæ, tenetur tamen illud peccatum confiteri quando habet illius notitiam. Item pœnitens, cui Sacerdos subitò contulit absolutionem antequam integrè fateretur excusatur. In omnibus prædictis & similibus casibus Confessio est valida, quia ignorantia & obliuio inculpabilis excusat ab integritate materiali.

Impotentia pariter loquendi excusat. Vnde absolui potest Infirmus, qui petito pœnitentiæ Sacramento amisit loquelam antequam Confessarius adueniret; si tamen adstantes attestentur illum petijsse Confessionem. Et multò magis debet impendi absolutio infirmo, qui det aliquod signum puta stringendo manum, & eò amplius quando exprimit aliquod peccatum. Similiter absolui potest amens, qui antea dederat signum contritionis. Item mutus, qui nutibus solum potest aliqua peccata exprimere.

Vtilitas etiam magna vel Confessarij, vel pœnitentis, vel tertij excusat ab integritate. Quamobrem quando ex confessione alicuius peccati probabiliter dubitatur sequuturum aliquod damnum graue, vel in vita, vel in fama, vel in bonis, vel aliquod malum spirituale ipsi pœnitenti, aut Confessario, aut tertiæ personæ; tunc si non suppetit copia alterius Confessarij, nec potest peti facultas à superiore confitendi alteri; Et ex alia parte vrget necessitas confitendi, puta vel quia imminet præceptum annuæ Confessionis: vel necessitas sumendi Eucharistiam; vel celebrandæ Missæ: Tunc, inquam, potest pœnitens confiteri sua peccata, tali peccato, siue tali circumstãtia tacita donec commode possit confiteri. Multos casus particulares affert Tolętus lib. 3. cap. 8. Et est doctrina communis tradita à Nauar. cap. 7. Caiet. Verb. Cõfessio. Vtilitatis etiã causa potest Confessarius auditis aliquibus peccatis absolutionẽ dare infirmo qui laborat morbo cõtagioso, quando Confessarius etiam stando, à longè non potest ipsum absq; periculo audire si diutius immoretur. Item

potest

potest impendi absolutio existentibus in periculo naufragij, aut incendij auditis aliquibus peccatis, imò vno tantùm audito à singulis si plures sint; imò si confiteantur in genere. Ratio quia in his omnibus & singulis casibus Confessio est integra si non materialiter, saltem formaliter: Et hoc sufficit, *Iugum enim Christi suaue est, & onus leue.* Et hæc est causa cur præceptum de integritate Confessionis non obliget cum tanto incommodo.

Dignitas Sacerdotis etiam excusat ab integritate. Hac de causa pœnitens, qui habet peccata reseruata, potest illa solo Episcopo, vel eius Vicario confiteri; si facultas confitendi omnia non datur, & erit valida Confessio, & absolutio. Deinde poterit Sacerdoti inferiori omnia confiteri, tam non reseruata, quam reseruata. Et aduertendum quòd illa absolutio est Sacramentalis, sicut & quando inferior absoluit. Quapropter in vtroq; casu confertur gratia, per quam remittuntur omnia peccata. Verum quidem est quòd non ob id eximitur obligatio confitendi superiori reseruata, quando prius facta fuit Confessio inferiori. Neq; vice versa tollitur obligatio confitendi omnia inferiori, quando prius facta fuit confessio superiori solum de reseruatis. Quemadmodum quando per solam contritionem datur gratia qua peccata remittuntur: nihilominus remanet obligatio Confessionis.

Tertiò. Confessio debet esse *Lacrymabilis*, id est cum dolore de præteritis peccatis, & cum proposito cauendi in futurum. Qui dolor & propositum debet adesse, non solum quando fit Confessio de peccatis mortalibus, sed etiam quando fit de venialibus, quales supponimus esse Confessiones Ecclesiasticorum, ad quos nobis est sermo. Sed hoc loco iuuat considerãdum proponere, quod aduertit Antonius Molina in sua instructione Sacerdotum trac. 5. cap. 3. scilicet ne Confessio aut celebratio Missæ conuertatur in cursum

ſum communem, & conſuetudinem ſiccam & languidam, ſine affectu, & vlla conſideratione: neq; homo ſit bouis inſtar qui terendo frumentum it, reditq; eòdem ſola conſuetudine. Quod innuit Oſeas. 10. *Ephraim vitula docta diligere triturам*: Aut quemadmodum Ieremias deplorat dicens. Ierem. 8. *Nullus eſt qui agat pœnitentiam de peccato ſuo dicens, quid feci: Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Debemus, (inquit ſupradictus pius auctor) conſiderare quid ſit confiteri peccata, & abſolui de illis; etiam ſi venialia ſolummodo exiſtant; ſufficit dicere eſſe inuiſa Deo, reddere animam fædam, & immundam, proindeq; horrendis Purgatorij flammis obſtrictam:

Expendamus hæc peccata venialia non lance publica & communi: quippè illa in foro mundi nihil grauant & æſtimantur cum ſint *mendaces filij hominum in ſtateris.* ſed examinemus lance vera ſanctuarij, qua vſi ſunt Sancti, & Viri illuſtres; qui de Cælo lucem acceperunt vt diſcernerent peccato grauitatem. Hi amariſſimè flebant ob culpas nonnullas, quæ nobis leuiculæ videntur. Cuius ratio eſt quia norunt quid ſit diuinam offendere Maieſtatem: Quis non miretur legendo Confeſſiones Sancti Auguſtini, qui ea ponderat maximè, quæ nobis ridicula videntur? Tribus aut quatuor capitibus exaggerat, quòd puer nonnulla pyra ex horto alieno furatus ſit. Item quòd delectatus ſit, cum canis leporem inſequeretur: Quòd mortuo parente grauiter indoluerit; ſimilesq; enarrat culpas; & cum dolore fatetur. *Tu ſcis Domine de hac re gemitum cordis mei, & flumen oculorum meorum.* At planè conſtat Auguſtinum non fuiſſe ſcrupulis obnoxium; imò magno præditum intellectu; ſed lux Spiritus Sancti offundebatur animo, qua cognoſcebat quid ſit Deum offendere culpa vel leuiſſima: ipſe quoq; amor Cæleſtis tantum excitabat dolorem. Sanctus itidem Hieronymus de ſe fatetur. *Cum iratus fuero, aut me nocturnum phantaſma deluſerit, Eccleſiam intrare*

non

non audeo, ita animo & corpore contremisco. Certè conteri debemus quod toties Dei offendimus Maiestatem, ad cuius amorem & obsequiũ tot nominibus obstricti sumus. Duri & ferrei esse nolimus; quia in summo periculo versamur, cum vulnera & morbos patimur, & negligimus medicinã: cum aspero callo animus obducitur ne impetus ferientis audiatur. Quæ spes de illo haberi posset homine, qui tam foret adamantinus, vt quamuis lancea multis plagis configeretur, nullum ostenderet signum doloris? si dicant non esse vulnera ad mortem, Respondemus elicere saltem sanguinem, doloremq; afferre sauciato. Igitur sic obdurescere cum spirituali aliquo vulnere etiam leui affligimur, signum est torpere studium virtutis, & verẽdũ ne ex tepidis omnino frigidi reddamur. Quod minatur Spiritus Sanctus illis verbis Eccles. 19. *Qui dspernit modica, paulatim decidet.*

Notabilis est doctrina *Conc. Trid. sess.* 14. *cap.* 2. Circa hoc quod tractamus. dicit enim (assignando differentiam inter duo) *Alius est baptismi, & alius pœnitentiæ fructus: per Baptismum enim Christum induentes, noui prorsus in illo efficimur Creaturæ, plenã & integram peccatorum remissionẽ consequentes: ad quã tamen nouitatem & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ sine nostris magnis fletibus & laboribus, diuina id exigente iustitia, peruenire non possumus.* ô si hæc verba Concilij cordibus nostris altè imprimerentur. Ergo per Concilium; Confessio sine gemitu & dolore necessario nullum pœnè cõsequitur fructum Sacramenti. Hinc meritò asserit Sanctus Bernardus quod Confessio facta ore non corde ficta est; Et sanè quid magis ridiculum quam dicere. Accuso me de his & illis peccatis; & nullum habere dolorem, nec propositum corrigendi. Caueamus ne de nobis verificentur illa Apostoli Petri verba. 2. Pet. 2. *Contingit illis illud veri prouerbij, Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* Quid fœdidius quam canem euomere quod aggrauat ventrem; iterumq; à vomitu ad ve-

scen-

ſcendum quod iam euomuit, properare? At idem faciunt qui peccata quæ grauant animum euomunt in Confeſſione, & rurſus ad libidinem conuolant, ſordesq; peccati. Auertat à nobis Deus hoc malum. Ne permittat pijſſimus Saluator, vt eò procedamus audaciæ & proteruiæ, vt SS. Sacramentis reuerentiam honoremq; debitum denegemus. Etenim certa eſt hæc propoſitio. Quod animus redditur ſaxeus quando mala conſuetudine deprauati vitiorum grauitatem non perſentimus; & os impudens erga Deum habemus. Quod per Ieremiam cap. 3. Dominus improperat dicens. *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi noluiſti erubeſcere*. Ne deueniamus vnquam ad tam infelicem conditionem vt nobis conueniat illud Prou. 10. *Impius cum in profundum peccatorum venerit contemnet*.

Quartò. Confeſſio debet eſſe *parere id eſt obedire parata*; ſcilicet vt pœnitens habeat animum & propoſitum exequendi quod Confeſſarius iudicauerit neceſſarium erga ipſius conſcientiam: Vt ſit paratus reſtituere tertiæ Perſonæ, ſi Confeſſarius iudicauerit: paratus etiam fugere occaſiones peccatorum & remedia acceptare, quæ etiam Confeſſor iudicauerit: rurſus acceptare pœnitentiam quam Confeſſarius iniunxerit; nam Confeſſarius eſt Iudex vt habetur Concil. Trid. ſeſſ. 14 Iudex autem pœnitentem & reum poteſt obligare ad impoſitam ſatisfactionem. Hæc eſt communis ſententia de qua Toletus lib. 3. cap. 9. Non eſt autem opus vt pœnitens cum iſto propoſito obediendi actuali veniat, ſatis eſt vt non habeat contrarium propoſitum; tunc enim ineptus eſt omnino confeſſioni & abſolutioni recipiendæ.

§. *Tertius. De Impedimentis veræ & integræ Confeſſionis.*

QVatuor impedimenta recenſentur, quæ aduerſantur bonæ Confeſſioni nempe *Pudor, Timor, Spes, & Deſperatio*.

Pri-

Primum impedimentum est *Pudor*, quo pœnitentes aliqui deterruntur, ne grauia peccata confiteantur. Hos monet Sapiens. Eccl. 4. *Ne confundaris pro anima tua dicere verum; est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam.* Confusio impediens peccati Confessionem nouo peccato inuoluit: Confusio ex peccatorum confessione orta adducit gratiam & gloriam, quia eruit hominem ab æterna confusione, peccata præterita tergit, a futuris protegit. Quod igitur non erubuimus coram Deo & Christo Iudice, coram Angelo tutelari, & Satana accusatore, quodq; tandem coram toto orbe debet notum fieri, ne vereamur aperire coram illo, qui ante diem Iudicij loco Christi debet iudicare non ad vindictam, sed ad gratiam nobis conciliandam. Pōderemus quid potius eligendum nobis sit an exiguam modò confusionem sustinere, an incidere in opprobrium sempiternum. *Reuelabo pudenda in faciem tuam, & ostendam gentibus ignominiam tuam,* ait Dominus Nahum. 3. Hanc confusionem à peccatorum confessione retardantem à Dæmonis fallacia prouenire dubium non est. Ipse omnia inuertit, quæ à Deo rectè instituta sunt, quia *teste Chrysost. Hom. 3. de pœnit.* [Pudorem & verecūdiam Deus dedit peccato, Confessioni fiduciam: inuertit rem Diabolus, & peccato fiduciam præbet, Confessioni pudorem.] Etenim quando tentat nos, peccatum pingit vt delectabile, proponitq; facilitatem veniæ: at quando adest tempus confitendi, aperit eius turpitudinem, excitat pudorem, multā proponit difficultatem vt peccator obmutescat. Quapropter quidam ex antiquis Patribus vt refert Cassianus coll. 2. 11. quodam die vidit Satanam circa confessionalia obambulantem, & circumeuntem. Interrogatus verò quid ibi faceret? respondit. *Reddo pœnitentibus quod antea eis abstuli.* Iterum interrogatus quid illud esset? dixit. *Abstuli eis verecundiam dum peccarent, vt liberius peccatum peccato cumularent: reddo nunc eis vt à Confessione ob verecundiam deterreantur.* Confideret

igitur qui nimio pudore deterretur, talem pudorem non esse à conditione, sed à corruptione Naturæ: non à Deo qui nostrum bonum intendit, sed à Diabolo qui nostrum malum prætendit. Consideret etiam Viros Sanctos non veritos esse scelera sua publicè propalare. Magdalena nihil erubuit coram Pharisæis, licet ludibrium se foremon ambigeret. Paulus se primum peccatorem profitetur, & quasi abortiuum indignumq; gratia Dei. S. Augustinus tredecim libros Confessionum edidit; vbi flagitia floridæ ætatis suæ omnibus palam facit: & tantum abest vt illi vertatur hoc in confusionem, quinimò in gloriam & honorem. Itemq; de multis alijs.

Secundum impedimentum est *Timor*. Nam aliqui timent ne, si confitcantur, grauis eis pœnitentia iniungatur; timent peccata iniustitiæ aperire, ne restitutio præcipiatur; aut peccata odij seu vindictæ, ne reconciliatio iubeatur; aut peccata lasciuiæ & impudicitiæ, ne occasio proxima, in qua ipsi volunt persistere, à Confessario interdicatur. His rectè insinuamus illud Iob. 6. *Qui timet pruinam ivvnet super eum nix.* Qui vult vitare minus incommodum facilè poterit in maius incidere. Si cõsiderarent hi quàm grauis sit, quàm diuina, quàm inutilis, quàm infructuosa alterius sæculi pœnitentia. Vtique summo gaudio amplecterentur pœnitentiam huius sæculi, quæ leuior, breuior, fructuosior est, in ne illã inciderent. Hoc agnoscunt Animæ in Inferno, & Purgatorio (sed heu quam sero) ò quam libenter cuperent posse vnicam pœnitẽtiæ horam emere etiam si necesse foret illis omnia huius sæculi tormenta subire. Væ enim & millies væ inclamant ibi animæ reprobæ, quòd tantilla pœnitentia, quæ in hoc sæculo agitur, æterna potuerint tormenta redimere, & neglexerint. Vnde de quadam muliere in Apoc. 2. dicitur. *Dedi illi Deus vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere.* In quem locum dicit Ambrosius [Hæc mulier (Iezabel) cum esset in peccatis, & deberet flere, gaudebat, vestcq; purpurea operiebatur auro,

& pre-

& pretiosis lapidibus se ornabat, nunc æterni fletus luget errumnam.] Quid putas mulier illa nunc ageret, si aliquid ei adhuc temporis ad pœnitentiam Deus daret? Vtiq; non vestem purpuream sed saccum, sed cilicium indueret: non fuco & cerussa faciem oblineret, sed cinere conspergeret, lachrymis rigaret: non calamistro capillos contorqueret; sed illos vt Magdalena ad pedes Domini tergẽdos impenderet. Audi lector exemplum hanc rem concernens in speculo exemplorum. V. Confessio. Nobilis quidam cum pessimam vitam duceret ab vxore pia monebatur frequẽter & ad Cõfessionem inducebatur. Ille renuebat confiteri, dicebatque. Timeo ne grauis mihi pœnitentia imponatur. At illa. Quomodo inferni pœnas poteris sustinere si exiguam huius vitæ perhorrescis pœnitentiam. Cui ipse. Putasnè quod Infernus sit, aut Diabolus, aut pœna aliqua, aut alia vita post hanc vitam? Sacerdotes ista finxerunt vt timeantur. Illa videns nihil se proficere, nihil vltrà voluit hac de re ipsum alloqui. Quadam autem nocte subito mortuus est. Conterrita vxor Deum orabat vt viri statum sibi reuelaret. Et ecce mane corpus inuenit denigratum instar titionis, & scedulam in qua scriptum erat. Iam certus sum infernum esse, & timor pœnitentiæ illuc me deportauit. Cauteamus nos. *Felix quem faciunt aliena pericula cautum.*

Tertium impedimentum est *Spes* rei terrenæ, & respectus humanus. Quidam enim quia sperant & ambiunt quædam in hoc mundo, nec putant se adepturos si hominibus quales sint, innotescant; hac de causa in Confessione nõ plenè suam conscientiam detegunt; quamuis ad pœnitentiæ Sacramentum, vt piè viuentes habeantur, frequenter accedant, & hæc est Hypocrisis detestanda, per quam aliud intus, aliud autem foris ostendunt. Homines duplici corde, & oculis, qui Cælum videntur aspicere; sed reuera terrena respiciunt. Qui solum Deum quærere ostentant, sed eorum intentio to-

ta ad humana defigitur. Hi similes sunt sepulchris dealbatis, quæ deforis speciosa videntur, intus autem plena sunt ossibus mortuorum Cygni apparent in exteriori, sed Corui teneria sunt in interiori, ideò Cygnus in antiqua lege erat reprobatus, quia licet candidus sit exterius in plumis, carnem tamen habet interius nigram; sic hi homines simulati, speciem quidem pietatis & innocentiæ præseferunt, virtutem autem eius penitus abnegant, & conscientiæ nigredinem intus gerunt, nec deserunt. De istis Sapiens loquitur Eccles. 19. *Est qui nequiter humiliat se, & interiora plena sunt dolo.* Et Eccles. 2. *Væ peccatori terram ingredienti duabus vijs.* duabus quippe vijs terram peccator ingreditur, quando & Dei est quod opere exhibet, & mundi quod per cogitationem quærit, inquit Greg. 1. Moral. cap. 11. Vtinam non essent inter Christianos, qui ob solos hominum respectus conscientiam non aperiunt, vel quia verentur bonam sui æstimationem amittere apud Confessarium: Vel quia cupiunt bonam opinionem aucupari apud suos Pastores: Vel quia per ipsos Confessarios commendari, aut aliqua obtinere contendunt. Nonne videmus & experientia comperimus aliquos pauperes, vel tenuioris fortunæ ad Confessionis Sacramentum accedere eò solùm fine vt eis subueniatur, vt publicis eleemosinis à Parochis commendentur? Et hi vitijs quandoque grauibus impliciti turpitudinem non detegunt, ne forte ab ijs subtrahantur eleemosinæ, vel ne ad id, quod ambiunt, pertingant. Vnde fit vt Confessionem vertant in lucri occasionem; & pro vili corporis emolumento æternum incurrant Animæ detrimentum. Sed dicunt hi, si ego conscientiam meam planè aperuerò, Confessarius malam opinionem de me habiturus est, vnde contemnet me, intuebitur me propter peccatum meum, & erit mihi semper confusio quotiescunq; eum aspexero. Respondemus Dæmonis hanc esse nebulam, qua mentem eorum obuoluit, & in pec-

peccatis detinet; Etenim debent ipsi recogitare Confessarium esse locum Dei gerentem; ideoq; secreto sigilli diuini ita obstrictum, vt nullo casu etiam euidentis periculi mortis possit de his quæ audiuit, mentionem facere. Neq; etiam potest Cõfessione vti in grauamen & præiudicium ipsius pœnitentis; Vel negando ei debitum subsidium; Vel impediendo ex vi illius promotionem ad officium; Vel ita gubernando aut se gerendo erga ipsum, vt vel in genere possit aliquis suspicari aliquod peccatum; de qua re expresse *à Clem. & Regularibus est præceptum hoc modo.* [Tàm Superiores pro tẽpore existẽtes, quàm Cõfessarij qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad externam gubernationem vtantur.]

Quartum impedimentum est quædam *Desperatio* melioris vitæ. Negligunt enim multi Confessionem quorundam peccatorum, quia verentur ne ab illis possint abstinere. Sed qui huic tentationi, quam Dæmon immittere solet, succumbunt, iniuriam faciunt gratiæ Dei. Scire etenim debent conuersionem à peccatis non à nobis prouenire, sed ab efficacia gratiæ Dei nos præuenientis & conseruantis, & operantis, cooperante tamen libero arbitrio Vnde illud Ierem. 3. dicimus. *Conuerte nos Domine & conuertemur.* Et iterum. *Postquam conuertisti me Domine egi pœnitentiam; & postquam ostendisti mihi percussi femur meum, confusus sum & erubui quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* Hæc autem gratia significata fuit in gallo Petri coniuncto cum intuitu Christi: in radio & luce ex equo ruentis Pauli: in vocatione efficaci Matthei: imitatione Zacchæi: in attractu Magdalenæ cum lacrymis accurrentis. Quæ omnia sunt effectus gratiæ operantis conuersionem: nec abbreuiata est manus Domini, quin maiores quotidie conuersiones possit operari. Multi .n. post longæuã in peccatis ætatem attritam, possunt tãdem dicere cum Pro-

pheta. *Et dixi nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Itaq; qui ex fragilitate sæpe cadũt non diffidant, non desperent emendationem, dummodo non negligant Confessionis remedium, cum firmitate propositi occasiones fugiendi coniunctum. Et si propositi vigore statim flaccessente iterum cadant consuetudinis pondere prægrauati, iterum & ipsi resurgant, & propositum renouent; scientes quòd hæc vita mortalis, & curruptibilis non est nisi casus & resarrectio; non est nisi infirmitas & sanitatis reparatio: non est nisi sordium contractio & emundatio; atq; ob innatam mentis instabilitatem non est nisi frequens vicissitudo modò de bono ad malum regressus, modò de malo in bonum progressus. Non negligit resurgere qui se cecidisse nouit, quamuis ob pedum imbecillitatem iterum cadere pertimescat. Non desinit fugere de carcere qui timet adhuc vinculis mancipari. Non respuit remedium æger qui ob innatam corporis corruptionem ægritudinis veretur recursum. Neque recusat lauare lintea sua qui nouo vsu sordidanda veretur. Pari modo non negligant Confessionis remedium, qui ob fragilitatem verentur se iterum in ante acta crimina relapsuros; dummodo quantum in ipsis est mutent animũ, & proponãt in posterum non relabi. Nec diffidant de emendatione; nam multi qui consuetudinis prauæ difficultatem reformidabant; paulatim cum Dei gratia cooperantes, illam sibi imminui sunt experti. De Sancto Bernardo fertur (& refert Iacobus Marchãtus in suo Candelabro mystico tract. 5. lect. 8 in fin.) quod Nobili cuidam iuueni Carnis vitijs mire dedito sæpe suadebat vt tandem pœnitentiam ageret, vitam mutaret, pacem cum Deo iniret, vitijsq; in illius iniuriam exundantibus finem tandem imponeret. Ille libenter audiebat; sed consuetudinis prauæ pondere prægrauatus dicebat se non posse id peragere. Vrgebat Vir Sanctus, & monebat vt experiretur vires suas, & gratiam Dei, cuius opes, si cooperari vellet, absq; dubio aliquirit

quid potuisset. Inquirit ille quo pacto id facere posset? Rogo, inquit, vt tribus diebus à peccato abstineas ob amorē SS. Trinitatis. Fecit id ipse libēter, & fortiter restitit tētationi, omnibusq; illecebris. Postea iterum rogat vt tres alios dies abstineat in honorem B V. Peragit id ipsum quoq; feliciter. Tertiò obsecrat vt ad hōnorē Apostolorum tres adhuc dies non deneget. Quod & fecit magna cum facilitate ita vt læto animo expertus quid posset homo sibi aduigilans cum gratia Dei, dixerit Bernardo. Iam non tantū inducias cum Deo inire volo, sed & pacem perpetuam, quia consuetudinis peruersæ durum vinculum & imperium, paulatim in me diminui & dissolui sentio; & cum Dei auxilio iam penitus disrumpere volo. Sic in via pœnitentiæ & Castitatis felicem fecit progressum qui prius viribus suis diffidebat, nec gratiæ vires experiri volebat. Certè cum quis ad Deum toto corde vult cōuerti statim auxilium reperit, & omnia impedimenta tanquam nebulæ ad Solis radios euanescunt.

§. Quartus. De praxi frequentis Confessionis.

QVia vt alias diximus nostrum hoc opus respicit primariò Ecclesiasticos, quos supponimus frequentius confiteri vt se præparent vel ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium peragendum, vel ad alias functiones Ecclesiasticas obeundas; ideò pro illis præcipuè instituimus hanc praxim frequentis Confessionis.

Primò accuset se pœnitens de defectu debitæ dispositionis, tàm pro Confessione, quàm pro celebratione, dicendo his aut similibus verbis. Accuso me quod ad dignè recipiendum Sancta Sacramenta debitam diligentiam non adhibui. Quod cum eo dolore, & contritione peccatorum, ac proposito firmo ac stabili melioris vitæ prout dignitas huius Sacramēti requirit, nec ad celebrandum, qua decebat affectione, ac

me

me præparaui.] Hic dici debet si in particulari occurrat aliquis defectus, quem in Confessione vel in Missa commisit.

Deinde examen Conscientiæ vt memora iuuetur ad tria puncta reduci potest, nempe ad id Quod Deo. Quod Proximo. Quod sibi ipse debet.

Circa Deum. Accuset se quòd omiserit exercere actus virtutum Theologalium Fidei; Spei; Charitatis. Quòd Deum non dilexerit super omnia; Quòd in Creaturis animum habuerit, & cogitationes defixas. Quòd ea, quæ ad obsequium eius spectant, potiùs consuetudine, aut necessitate, quàm affectu erga illum, aut Charitate perfecerit. Quòd inspirationibus diuinis, & dictamini rationis non paruerit. Quòd omnia, quæ ad cultum diuinum pertinent, negligenter multisq; defectibus peregerit. Quòd officium diuinum persoluerit modica cum attentione, & reuerentia: in eoque distractiones passus sit in quibus eijciendis negligens fuerit. Accuset se multò magis si vnum officium pro altero recitauerit, si distulerit recitare suo tẽpore, si nimis celeriter, vitiosè, & interruptè recitauerit, miscendo alia verba, aut actiones quæ poterant euitari. Si somniculosè, aut oscitanter recitauit, aut aliam quamlibet commisit irreuerentiam, quæ offendit Maiestatem Saluatoris, cũ quo locutus est. Circa Missam. Quòd sine causa reliquerit. Quòd absq; debita intentione, & deuotione accesserit. Quòd distractiones, & curiositates admiserit. Quòd non ea qua par erat deuotione & affectu gratias Deo egerit; neq; animi tranquillitatem conatus fuerit conseruare. Accuset quoq; se de mala Sacramentorum administratione. De orationibus omissis seu nulla penè reuerentia habitis. De motibus, si quos habuit infidelitatis, aut dubijs in rebus fidei obortis, quæ non ea qua decebat festinatione propulsarit. De defectu Timoris Dei; quodque abstinuerit nonnumquam à peccatis, non tàm timore Dei quàm humana aliqua consideratione & respectu. Si aliquid aliud pe-

cu-

culiare occurrat, quod hic non sit indicatum, dicat in Confessione.

Circa Proximum. Quòd non dilexerit proximum vt se ipsum, & prout ab illo se vellet diligi. Quòd illum offenderit verbo, aut opere inaduertenter, aut indiscrete, aut malignè. Quòd motu aliquo iræ, aut indignationis fuerit accensus: Quòd illi malum exemplum, aut scandalum dederit. (Hic omnes diligenter attendant, quilibet pro ratione dignitatis: præsertim si pœnitens ijs dederit scandalum, quos informare suo tenebatur exemplo) De iudicijs temerarijs. Quod viderit nonnulla, & audiuerit quæ cum in bonam partem accipi possent in malam est interpretatus, prauamq; opinionem conceperit. (Hic duo sunt explicanda. Alterum si materia iudicij fuit leuis & communis: vel potius grauis & inusitata. Alterum si determinatè credidit ita esse: nam tunc est iudicium, aut tantum suspicatus credendo quidem aliud mali in proximo esse, non tamen vt rem certam sed dubiam; nã tunc est suspicio. Atq; hic reperitur maior aut minor culpa, prout res de qua habetur suspicio magis aut minus grauis: ac prout iudicia suspicandi, aut coniecturæ sunt euidentiores aut è cõtra & prout suspicio vehementior est magisq; ad iudicium vergit) Quòd detraxerit proximo. Si Superior. Quòd inferiores non correxerit. Quòd propter humanos despectus retraxerit virgam pœnitentiæ. Quòd fuerit acceptator Personarum. Quòd reprehenderit ira percitus & cum exandescentia; Vnde potius exasperauit subditos, quam emendationem obtinuit. Quòd non adiuuerit, defenderit, subuenerit, Consilium dederit Vbi & quando opus erat. Si est inferior: Quòd non præstiterit debitum honorem & obedientiam suis Superioribus. Quòd habuerit de illis malam opinionem. Quòd dixerit verba vel fecerit signa irreuerentiæ erga illos. Quòd non defenderit à calumnijs & detractionibus: imò quòd præstiterit se socium alijs in detractione contra Supe-

riores. Si aliquid aliud occurrit explicetur.

Circa seipsum. poterit haberi examen de cogitationibus, verbis & operibus.

Quantum ad Cogitationes. Quòd illas habuerit inutiles & otiosas. *Sunt autem otiosæ illæ, quæ nullum bonum finem habẽt, nec vtilitatem, aut propriam aut alienam.* Quòd admiserit cogitationes vitiosas, quæ excitarunt ad Superbiam, Vanam gloriam, Ambitionem, propriam æstimationem, Inuidiam, Iram, Vindictam, Impatientiam, Turpitudinem. Aut quæ res lasciuas, & venereas animo repræsentarunt: (In quibus omnibus quanta fuerit mora explicabitur: si sedulo aut negligenter illas expulerit, si consenserit, si sponte fuerit immoratus, in quo delectatio morosa consistit.) Præterea se accuset generatim quòd Cordis integritati parum studeat: Affectiones effrænatas non subijciat rationi: Quòd motus amoris proprij ac voluptatis secutus sit: proprioq; steterit iudicio & sentẽtiæ. Declarando in singulis particulariter quodnam admiserit peccatum.

Quantum ad verba. Quòd plurima verba inania & otiosa locutus sit. *Otiosa verba sunt quæ nullo bono fine, nec ad Dei gloriam, nec ad proximi vtilitatem referuntur.* Quòd protulerit verba vitiosa. Quòd dixerit turpia, iocosa, ridicula narrando aliquid, aut nugando: irrisoria, quibus alterum subsannauit & illusit. Quòd murmurauerit, aut detraxerit (Explicet fueritne in re graui, vel leui: An verè vel falsè.) Quòd libenter aliorum murmura & detractiones audierit. Quòd in risu aut cachinno nimis incompositus, & profusus fuerit. Quòd dixerit mendacium officiosum: aut iocosũ: aut perniciosum. Quòd superbè de se & cum iactantia locutus sit narrando res gestas in sui æstimationem. Deniq; se accuset de omni verbo, quo sentit se offendisse explicando singula prout necessaria erunt, vt intelligat Confessarius grauitatem peccati.

Quantum ad opera & omissiones. Quòd occupatus fuerit

in

in rebus vanis, & nulla cum vtilitate coniunctis. Quod in otio tempus abſumpſerit. Quòd tempus malè expenderit. Quòd in eſu, & potu, & ſomno plus quam neceſſe erat exceſſerit. Quòd potius gratia delectationis comederit, biberit, dormierit. Quòd in ijs quæ ad virtutem informabant, capeſſendis, tardus & piger fuerit. Quòd potuiſſet pluribus operibus bonis inſudare quæ omiſit præ negligentia & tarditate. Quòd in exercitijs virtutum leuis & inconſtans fuerit, & ſæpiſſimè quæ laudabiliter propoſuerat immutarit. Quòd bonum aliquod opus omiſerit ob hominum dicteria, aut malignam opinionem. Quòd aliquid fecerit ex hypocriſi ad vanam gloriam conſequendam, aut ob alios fines vitioſos.

Præter has culpas, particulariter vnusquisq; confitebitur eas quas commiſit ratione ſtatus, ſiue dignitatis. Quemadmodum Religioſi circa obſeruãtiam votorum. De Obedientia quidem erga Superiores; ſi internè & externè quoad hãc defecerint, & neglexerint ea quæ erant iniuncta; nec fecerint qua decebat promptitudine & alacritate. De Caſtitate: ſi in aliquo hanc virtutem maculauerint & votum fregerint, cogitatione, verbo, aut opere; ſi expoſuerint ſe periculis: ſi amauerint familiaritates & congreſſus mulierum, aut adoleſcentum: ſi dederint litteras, ſi munuſcula, ſi verba, ſi ſigna ad captandum amorem, aut affectionem prauam. De Paupertate ſi dederint aliquid, aut receperint, ſine licentia. Si occultum quid nec expoſitum voluntati Superiorum retineant: ſi res conceſſas ad vſum non conſeruauerint; imò negligenter aut ſtudioſè conſumpſerint. Similiter de obſeruãtijs Religionis, & Conſtitutionibus ſiue ſtatutis: Et de eo, quod propter eius culpam relaxatur obſeruantia & rigor ordinis, quodq; aliàs reformandum erat, omittitur.

Si eſt Superior, & familiæ caput. Curetnè vtrum domeſtici benè & Chriſtianè viuant: ſi ſuo illos præeat exemplo. Si eleemoſinas pro ratione dignitatis eroget præſertim de bo-

nis Ecclesiasticis, si auarus, si cupiditate ducatur opum, vnde parcus est, & eleemosinas negligit, subtrahitq; quod pro status conditione expendere debebat. Si contra prodigus, bonaq; Ecclesiastica profanè & inutiliter absumat, si familiam alat ampliorem, sumptus maiores impendat, fastuque maiore extollatur quàm honestè suus status conformiter ad temperantiam Ecclesiasticã requirit; si ita dissipet res suas, vt in Eleemosinam nihil reliquum sit.

Prædicto ordine poterunt inquiri cætera peccata, quæ qualiacunq; fuerint, poterunt reduci ad aliquod punctum eorum, quæ hic tanguntur.

Vt commodius prædicta praxi vtamur quædam notanda sunt non parum profutura.

Notandum 1. Quòd Confessio Venialium non est de præcepto nec obligatione, sed de cõsilio vtili & fructuoso: quippe magna indè vtilitates consequuntur, quas innuimus supra §. 2. Quod intellige cum manifestum est esse venialia. Si enim foret dubium, aut periculum esse mortalia, tenemur ad illorum Confessionem.

Notandum 2. In Confessione non debemus vti verbis generalibus, sed particularibus & distinctis: Neq; verbis conditionatis, sed determinatis & absolutis. E. g. Hæc Confessio non valet dicendo. *Accuso me si otiosa dixi, aut praua cogitaui.* Nec valet *Accuso me, quod tantam non habui charitatem aut humilitatem, quanta haberi poterat.* Aut: *Quod non fui in Diuino officio, qua decebat attentione &c.* hæc enim nimis generatim dicuntur: de quibus etiam se accusare potest, qui in eo magna attentione vigilarit. Sed determinatè dicendum est hoc modo. *Accuso me quod fui distractus in officio: aut negligens fui in distractione abijcienda &c.* adeò vt semper distinctissimè loquatur in id in quo peccarit. Et quamuis non sit necesse in Confessione venialium determinatè numerum, & circumstãtias quæ aggrauant declarare, vt in mortalibus requiritur:

sa-

salutare tamen est consilium: Sic enim Confessarius, qui sedet tanquam Iudex, melius percipere poterit quantitatem & qualitatem culparum & statum pœnitentis.

Notandum 3. Debemus procurare actualem displicentiam, & cõtritionem peccatorum nec non propositum, & desiderium emendandæ vitæ. Nam per hoc præcipuè Sacramenti fructus paratur. Et quatenus hic dolor, & propositum maius est & perfectius, eatenus vberior fructus consequitur. Pro contritione excitanda multum refert expendere, quòd ea quæ confessuri sumus Deum offenderunt, ad cuius amorem & obsequium tantis sumus vinculis obstricti; ac consequenter Angelis Sanctisq; omnibus inuisa fuerunt. Et quantumuis leuis sit culpa potius debuissemus acerbis velle torqueri supplicijs, quàm vel leuissimam perpetrare. Proinde optimum fuerit ante Confessionem aliquantulum immorari in ijs, quæ commisimus, & ex corde à Deo veniam peteret quòd si summus dolor haberi nequeat, saltem ad illum feramur desiderio: & doleamus non habere talem dolorem, opemq; Dei imploremus.

Notandum 4. Quoad propositum emendationis non est necesse vt pœnitens credat & teneat se nũquam offensurum in his, quæ vult confiteri, hoc enim esset præsumptionis: Sed satis est proponere se omnem in emendando curam ac diligentiam adhibiturum, & ad hoc desideret saltem, petatq; à Deo fauorem. Cum tali dispositione securè poterimus accedere ad Sacramentum pœnitentiæ, Cuius virtute & efficacia supplebitur omne quod deerit perfectæ dispositioni.

Notandum 5. Laudabile est in Confessionibus ordinarijs, vbi culpas præsentes fuerimus confessi, subiungere nonnullas vitæ ante actæ, quæ maiorem causare confusionem possint, aut illas de quibus maiorem sentimus dolorem. Hoc enim si ritè fiat, multa incommoda, quæ ignoranter, aut defectu dispositionis oriri in Confessione possent, tollentur.

VI.

Vltimò Notandum. In fine Confessionis sic dicendum vero Cordis affectu. *de his & omnibus alijs quibus Deum offendi ab vsu rationis vsq; nunc, cogitatione, verbo & opere me accuso, omniumq; me pœnitet, & propono emendationem Vitæ, & peto à Deo remissionem, & à te Pater eius nomine absolutionem, & salutarem pœnitentiam.*

Expletis ijs quæ facere pœnitens debet, dum Confessarius absoluit, attendat omni conatu, & spiritu & humilitate ad id quod Sacerdos pronunciat, nec consideret hominem esse qui loquitur, sed Vicarium Christi: & ministrum Ecclesiæ, proindeq; debere illius sententiam excipere, quam implere paratus sit, audiatq; & acceptet quamlibet monitionem, Personam Christi veneratus cuius ille ministerio fungitur.

§. 5. *De Confessione Generali.*

PRo maiori satisfactione, & animi tranquillitate consilium est fidelissimum, generalem aliquando totius vitæ Confessionem edere tanquam si primùm confiteretur. Qua habita, deinde ab anno in annum alias minus generales habere, ad quas deseruire potest etiam praxis seu formula superius posita. Certè Confessio generalis multas secum vtilitates adducit.

Primò. Generat in nobis perfectam nostri notitiam dum totius vitæ spiritualem miseriã ob oculos nostros ponimus.

Secundò. Salutarem ingenerat confusionem, facitq; vt Dei misericordiam admiremur magis, & exaltemus qui nos ad pœnitentiam adeò patienter expectauit.

Tertiò. Infundit conscientiæ maiorem pacem, & securitatem supplendo quæ fortè defuerant in alijs Confessionibus particularibus.

Quartò. Excitat in nobis propositum bonum aliter ordinandi vitam nostram, & gratiam Dei implorandi frequentius: Illamq; vocem elicit à nobis. *Heu mihi Domine quia pec-*

cavi

cavi nimis in vita mea, quid faciam miſer, quò fugiam niſi ad te Deus meus.

Quintò. Supplet partem pœnæ quæ debetur peccatis, mediante dolore & confuſione quæ excitatur in nobis per dictam Confeſſionem.

Sextò. Dat etiam Confeſſario notitiam perfectiorem interioris noſtri ſtatus, vt poſſit oportuna noſtris infirmitatibus exhibere remedia.

Et hæc ſatis ſint dicta de Confeſſione prout attinet ad inſtitutum noſtrum omittendo reliqua multa, quæ à Doctoribus pertractari fuſiſſimè ſolent de Sacramento pœnitentiæ.

CAPVT VI.

De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio.

POſt Confeſſionem, quæ de peccatis mortalibus neceſſariò, & de venialibus valdè vtiliter præmittitur antè Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, non incongruè ſubijciemus ſermonem de ipſo Miſſæ Sacrificio. Sacerdotis enim officium eſt ſacrificare, idq; maximè illi ſingulare, & proprium; ad eum enim finem Sacerdotis dignitas inſtituta eſt teſte Apoſtolo ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Paulò fuſius tractabimus hanc materiam ſuper alias, videndo, Primò. Quid ſignificet hoc nomen Miſſa, & Quid ſit. Secundò De illius inſtitutione, & de Excellentia. Tertiò De præſtantia Sacrificij Miſſæ ſuper omnia alia Sacrificia. Quartò De offerentibus. Quintò De re oblata. Sextò De valore. Septimò De ijs qnibus prodeſt. Octauò De Miſſæ partibus. Nonò De ſignificatis illarum. Decimò De Diſpoſitione ante Celebrationem. Vndecimò De Diſpoſitione in ipſa Celebratione. Duodecimò De Diſpoſitione poſt Celebrationem.

Ter-

Tertiodecimò. Vtrum melius sit festinanter Missam dicere, an tarde & cunctanter. Quartodecimò. Exhortatio ad Sacerdotes.

§. Primus. De nomine Missæ, & Definitione.

DE hoc nomine *Missæ* An sit græcum, Latinum, vel Hæbraicum; deq; eius significationibus fusissimè tractat noster Marchinus in suo opere de Sacram. ord. tract. 3. part. 1. cap. 4. 5. 6. Nos hæc pauca ab illo delibauimus. Supposito igitur hanc vocem *Missæ* esse antiquissimam, & ad nos per Apostolos traditam vt habetur ex sexta Synodo generali can. 32. & refertur in cap. Iacobus. de consecr dist 1. dicimus non esse nomen Græcum; quia nullibi reperitur apud Græcos; nam eius loco vsi sunt vocabulo Synaxi, vel Liturgiæ; quod certè minimè fecissent si ab ipsis tale nomen demanasset. Dicimus ergo esse vocem Tùm Latinam deriuatam à verbo mitto; Tùm Hæbraicam à nomine Hæbraico Missach. Quatenus latina, propter hoc Missa nominatur, *inquit S. Thomas* 3. p. q. 83. art. 4. ad 9. [Quia Sacerdos per Angelum preces ad Deum mittit, & populus per Sacerdotem. Vel quia Christus est hostia à nobis missa à Deo. Vnde & in fine Missæ Diaconus populum licentiat dicens. Ite Missa est scilicet hostia missa est ad Deum vt sit illi accepta.] Quatenus Hæbraica significat oblationem voluntariam; nam Deuteron. 16. vbi nos latinè legimus spontaneam oblationem, Hæbrei legunt Missach nidbath. Et certè quæ oblatio magis voluntaria & spontanea, quam hoc Sacrificium, quod idem est cum Sacrificio crucis, de quo ait Isaias loquendo de Christo, qui in illo Sacrificio se obtulit, *Oblatus est quia ipse voluit.*

Quod attinet ad Definitionem Missæ. Tam alta, tamq; sublimia in se mysteria Missa comprehendit, vt vna definitione intelligi nullo modo possint. Quapropter multas variasq; de-

descriptiones adducere deberemus vt illæ simul iunctæ manifestarent quod per se vna non potest. Sed quia breuitati studemus, tribus tantummodo contenti erimus ex varijs Auctoribus desumptis. Sit ergo.

Prima Definitio seu potius Descriptio desumpta ex Molina de Instructione Sacerdotum tract. 3. cap. 3. [Missa est legatio, quam genus humanum instituit ad Sanctissimam Trinitatem id est ad Deum viuum & verum per Sacerdotem tanquam per Legatum vt negotia tractet maximè seria, & quibus maiora esse non possunt.] Singulas partes expendamus. Dicitur *legatio ad Sanctissimam Trinitatem* quia Sacrificium & quidem tale Sacrificium soli Deo debetur; Vnde excluditur omnis Creatura quantumuis excellentissima, qualis est beatissima Virgo. Sic dicit Sacerdos, vbi ipsum incipit. *Suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem &c.* Et in Canone. *Tibiq; reddunt vota sua æterno Deo viuo & vero*: Dicitur *quam genus humanum &c.* id est Ecclesia Catholica. Vnde Sacerdos dicit in Canone *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ sed & cunctæ familiæ tuæ*, id est quam offerimus nos Sacerdotes qui speciales serui tui sumus, tuisq; obsequijs mancipati: Et vniuersa familia tua .i. Ecclesia Catholica, oẽsq; fideles per nostrum ministerium. Atque idem repetit post Consecrationem. *Vnde & memores Domine nos serui tui, sed & plebs tua Sancta.* Idemque declarat Conc. Trid. sess. 22. cap. 6. vbi ait. [Missæ verò omnes quantumuis priuatim dicantur, communes censeri debent: eò quod à publico Ecclesiæ ministro non per se tantum, sed pro omnibus fidelibus qui ad Corpus Christi pertinent celebrantur.] Et quidem offerunt non pro Ecclesia tantum in terris militante; neq; pro Ecclesia tantum in Purgatorio purgante: sed etiam pro Ecclesia in Cælis triumphante (omnes enim spectant ad Corpus Christi mysticum) non quod Missa Sanctis in Cælo proficiat, aut ad peccatorum remissionem, aut ad pœnarum sa-

tisfactionem, aut ad donorum augmentationem; ſed ad honorem & gloriam accidentalem; & ad maiorem gratiarum actionem, quam aſſiduè pro perceptis beneficijs Deo rependunt. Atq; hoc ſignificat Sacerdos cùm dicit ſe offerre Sacrificium *Ad honorem Sacratiſsimæ Virginis Mariæ & Sanctorum Apoſtolorũ &c. Et ipſorum & omnium Sanctorum, vt illis proficiat ad honorem &c.* Dicitur *Vt negotia tractet maximè ſeria &c.* Quia reuera non tractantur maiora in orbe negotia. Quid enim maius, quam tractare de ſubiectione, & obedientia, quam Creatori debet omnis Creatura: de Maieſtate & dominio, quod idem Dominus in omnia habet: de magno pendendo tributo, & ditiſſimo offerendo munere in agnitionem illius ſupremi dominij & Maieſtatis: de gratijs agendis pro immenſis beneficijs à Deo ſuſceptis: de petenda venia delictorum: de poſtulandis beneficijs, remedijsq; ad omnes mortalis huius vitæ neceſſitates: de exoranda deniq; gratia & auxilio vt æternæ fælicitatis portum obtinere poſſimus. Certè grauiſſima eſſe hæc, maximaq; negotia quis vnquam negare voluerit? Hinc fit vt Sacerdos ſit quidam veluti procurator totius generis humani, & vt ait *Chryſoſtomus Hom. 6. ſup. 1. Timot.* 2. [Quaſi communis quidam totius orbis Pater eſt Sacerdos. Dignum igitur eſt, vt omnium curam agat omnibusq; prouideat ſicut & Deus, cuius fungitur vice.] *Et Homil. 5. in cap. 6. Iſaiæ.* [Medius ſtat Sacerdos inter Deum & naturam humanam: Illinc venientia beneficia ad nos deferens, & noſtras petitiones illuc perferens: Dominum iratum reconcilians vtriq; Naturæ, nos qui offendimus eripiens ex illius manibus.]

Secunda Deſcriptio ſit iſta ex eodem Molina cap. 4 [Miſſa eſt viua & perfectiſſima repræſentatio omnium myſteriorum Ieſu Chriſti Domini noſtri Incarnationis, & Natiuitatis totiusq; vitæ Sanctiſſimæ, Sacratiſſimæ Paſſionis ac Mortis, Glorioſæ Reſurrectionis, atq; admirabilis Aſcenſionis.]

quæ

quæ tam viuè, ac propriè in Missa exhibentur, vt ipse Dei Filius præsens assistat, & suam ponens figuram, & Personam repræsentans, ipsemet per se tàm alta, tàmq; diuina mysteria operatur: Nam vt est in confesso apud omnes Theologos, ipse Christus Dominus est Summus Pontifex & Sacerdos. Ipse per se realiter & efficaciter effectum omnium Sacramentorum operatur: Vnde quamuis Sacerdos dicat *Ego te baptizo. Ego te absoluo.* Christus tamen est, qui velut causa principalis efficiens animam à peccatorum labe expurgat, mediante ministerio Sacerdotis. Ipse itidem est qui in Sanctissimo Eucharistiæ mysterio mirabilem illam transubstantiationem Panis in Corpus, & Vini in Sanguinem operatur: Sacerdos verò instrumentum dumtaxat est, ac minister qui verba pronunciat in nomine ac Persona eiusdem Christi: sic cum ait. *Accepit panem in sanctas & venerabiles manus* ipse in manus accipit peccatrices: Et quamuis Sacerdos dicat. *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus.* Conuersio nõ fit in Corpus & Sanguinem Sacerdotis, sed in Corpus & Sanguinem Christi: Idcircò affirmãt SS. Doct. quòd Christus per se tãta mysteria operatur, & Sacrificiũ offert: quamuis ministerio Sacerdotis. *Ita S. Chrysost. Hom.* 83 *in Matth.* [Non sunt humanæ virtutis opera hæc: qui tunc illa fecit in illa Cæna, id ẽ ea nunc quoq; facit: nos ministrorum tantũ tenemus locũ: qui verò sanctificat & immutat ea ipse est.] *Atq; iterum.* Tu Laice, cum videris Sacerdotem offerentem, ne existimes ipsum hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extensam. *Et Diuus Ambros.* 1. *offi. c.* 48. [In nostro Sacrificio Christus ipse se offert quasi Homo quasi recipiens passionem velut Sacerdos noster, vt nostra peccata dimittat.] Item in *Conc. Trid. sess.* 22. *cap.* 1. & 3. dicitur quod idem Christus, qui in Cæna, & Cruce se obtulit Deo Patri in Sacrificium, ministerio Sacerdotis offeratur in altari. Atq; ob hanc rationem in Psalmis vocatur *Sacerdos in æternum secundum ordinem Mel-*

chisedech. Nec rectè diceretur Sacerdos in æternum, si vnā tantum vice Sacrificium obtuliſſet: ſed talis vocatur qui per Sacerdotes ſemper offert Sacrificium, & oblaturus eſt quamdiu finis non erit mundo. Quinimò vt magis propriè loquamur, ſolus ipſe vnicus eſt & principalis Sacerdos: Nos verò quamuis vocemur, & ſimus verè Sacerdotes; Vicarij tamen duntaxat, & inſtrumenta illius ſumus, non ſucceſſores in Sacerdotio, ſed miniſtri qui nomine eius Sacrificia offerimus cum ipſe ſolus ſit offerens, & principalis. Ex his intelligetur locus Apoſtoli difficilis, & ſcrupuloſus, qui ad Hebræos 7. dicit quòd in lege antiqua *Plures facti ſunt Sacerdotes idcirco quod morte prohibentur permanere: hic autem* (ſcilicet Chriſtus in lege noua) *eò quod manet in æternum ſempiternum habet Sacerdotium*. Vnde non eſt neceſſarium vt plures ſint, ſicut reuera tantum vnus eſt, qui velut cauſa principalis, & propria ſua auctoritate Sacra myſteria celebrat, & diuinum offert Sacrificium. Hinc patet differentia inter Sacerdotes legis antiquæ, & Sacerdotes legis nouæ & gratiæ. Quòd illi qui poſt mortem parentum Sacerdotali miniſterio fungebātur, non erant ipſorum miniſtri, ſed ſucceſſores. Et eadem auctoritate qua parentes fungebantur: At hi legis gratiæ ſunt tantummodo miniſtri, non autem ſucceſſores Chriſti quia ipſe ſolus eſt principalis Sacerdos; nos autem illius inſtrumenta & miniſtri ſumus: Vnde & ibi dicit Concil. Trid. Quamuis Sacerdos malus ſit, & peccator, non poſſe diminui valorem & efficaciam Sacrificij. Nam id ratione principalis offerentis (non inſtrumenti) ſemper gratum æquè acceptumq; eſt: Quòd facilè hoc exemplo declaratur. Si Princeps aliquis largam eleemoſinam erogaret per quæſtorem ſuum, qui ſceleſtus & inuitè ac ægro animo eamdem diſtribueret; Certè nihil illa meriti amitteret, aut virtutis; nam hoc æſtimari debet ex voluntate Principis; non autem aliena. Ita prorſus in propoſito: Nos quantumuis peruerſi, ac maligni; mi-

minuere tamen efficaciam Sacramentorum non possumus; quia sumus ministri: Christus quippe principaliter operatur, in cuius ipsi nomine celebramus. Ex hactenus dictis explicata manet supra dicta Descriptio Missę, quòd sit *perfectissima representatio &c.* Quia ipsemet Christus Dominus est ille qui in Missa repræsentat suam Vitam, Passionem, Mortem, Resurrectionem &c.

Tertia Descriptio, quæ magis accedit ad rigorosam Definitionem, traditur à Toleto lib. 2. cap. 4. sic *Missa est oblatio Corporis & Sanguinis Domini sub alienis speciebus facta Sacrificij ab ipso semel exhibiti expressiua.* Dicitur *Oblatio* hæc particula stat loco generis. Dicitur *Corporis & Sanguinis &c.* ista verba cum sequentibus stant loco differentiæ, & per illa declaratur Tùm huius Sacrificij dignitas; non enim tauri, vituli, aut alia huiusmodi offeruntur, sed Corpus, & Sanguis Christi pretiosissimus, cuius valor est infinitus vt infra suo loco dicetur: Tùm complacentia Dei Patris, maximè enim hoc Sacrificio delectatur vtpotè Corpore & Sanguine filij sui, de quo Sacrificio dicitur Psal. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* Dicitur *expressiua Sacrificij &c.* Per quę verba Missa differt à Sacrificio illo cruẽto Christi, quo in Cruce suum Corpus & Sanguinem obtulit. Nam illa oblatio in Cruce facta, talis extitit, vt non esset significatiua, & expressiua alterius oblationis: At hæc oblatio, & est oblatio, & est repræsentatio illius oblationis, ita vt in Missa Christus Dominus, & offerat suum Corpus & Sãguinem, & repræsentet illam oblationem quã fecit in Cruce ad modum tragædiæ alicuius in qua repræsentatur aliquod Regis factum, & ille idem Rex in tragædia illa verè introducitur: quod totum Christus peragit per ministerium Sacerdotum vt supra diximus. Vt autem hoc melius percipiatur sciendum quòd cum Christus sactificauit se in Cruce, duo in illo Sacrificio considerari poterant; Primum id,

quod

quod offerebatur; & hoc erat Corpus & Sanguis. Secũdum Modus & hic verè moriendo. In Missa est illud idem quod oblatum est scilicet Corpus & Sanguis; sed modus est in repræsentatione, & significatione. Nam per hoc quod Corpus seperatim à Sanguine, & Sanguis à Corpore seperatim consecratur, mors Christi significatur: vbi est Veritas & Repræsentatio.

§. 2. *De institutione Missæ, & de illius excellentia.*

HÆretici nostri temporis sicut pertinacissimè negant Missam, atq; ore sacrilego audent dicere esse à Papa, & sequacibus eius adinuentam: ita pariter negant Christum in vltima Cæna sacrificasse, nec aliud Sacrificium agnoscũt in noua lege præter Sacrificium Crucis & bonorum operum quæ à fidelibus fiunt. Sed nobis constantissimè fatendum est Christum in vltima Cæna proprium Corpus & Sanguinem sub speciebus Panis & Vini in Sacrificium Patri obtulisse, ita in Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. atque hac oblatione Missam quantum ad suam substantiam instituisse. Dico *quantum ad substantiam* id est quantum ad Consecrationem vtriusq; speciei: Non autem quantum ad Accidentia, quæ sunt varij ritus & Ceremoniæ, preces & alia quæ in Missa habentur: nam ista partim ab Apostolorum traditione; partim à varijs Pontificibus sapientissimè inducta ad nos deuenere. Quòd autem Christus in vltima Cæna consecrauerit panem & vinum ostenditur euidentissimè ex Sacerdotio Christi secundum ordinẽ Melchisedech, ex quo irrefragabile cõtra Hæreticos sumitur argumentum, quod formatur sic. Christus fuit Sacerdos secũdum ordinem Melchisedech, vt habetur expressè Psal. 109. & ad Hebr. 7. sed Melchisedech solũ obtulit panem, & vinum in Sacrificium, vt habetur Gen. 14. illis verbis, *Melchisedech Rex Salem proculit panem & vinum; erat enim Sacer-*

cer-

cerdos Dei Altissimi, ergo oportet vt Sacrificiũ Christi conueniat cum Sacrificio Melchisedech, alioquin non diceretur Christus ex eius ordine. Ergo Christus in vltima Cæna obtulit panem & vinum; & sub illorum speciebus suum Corpus & Sanguinem. Alioquin Vel negent Hæretici scripturas asserentes Christum esse Sacerdotem secũdum ordinem Melchisedech: Vel assignẽt ex Sacris literis aliud Sacrificium distinctum à pane & vino oblatum à Melchisedech. Quòd cum non possint, fateantur nobiscum Christum in vltima Cæna more Melchisedech obtulisse panem & vinum, quantum ad visibilia accidentia, & quidem tunc per semetipsum: deinde vsq; ad mundi consumationem per Sacerdotes noui testamenti ministros illius: Atq; hac ratione dicitur *Christus Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

Neq; nobis obijciatur quòd ex hoc sequeretur Sacrificiũ Crucis fore superuacaneum quia illud Sacrificium Cænæ vltimæ fuisset etiam infiniti valoris. Quia respondemus negando sequelam; quamuis enim Sacrificium vltimæ Cænæ fuerit propitiatorium, & infiniti valoris ex dignitate Personæ infinitæ: noluit tamen Christus per illud consumare nostram redemptionem, quæ ex diuina ordinatione per solam Christi mortem omnimodo consumanda erat. Respondemus secundo. Sacrificium Cænæ fuisse applicatorium meritorium Christi; Sacrificium verò Crucis satisfactorium & propitiatorium: Itaq; possumus dicere Sacrificium Cęnæ applicasse Apostolis infinitam Christi satisfactionem, tunc inchoatam, & in passione consumandam: ac proinde præter Sacrificium Cænæ, aliquo modo necessarium etiam fuisse Sacrificium Crucis ad totalem nostram redemptionẽ.

Tanta proinde est excellentia Missæ, vt nulla alia Sacra Cæremonia, aut spiritualis actio ad hominum sanctificationem in Ecclesia Dei instituta ei valeat comparari: Non benedictio Agni, quam magna solemnitate Pontifex exercet:

Non

Non cuiusquam Episcopi consecratio, ad quam tres alij debent conuenire: Non dedicatio Ecclesiæ quæ tot tantisq; peragitur cæremonijs: multò minus cuiuslibet rei benedictio Sacerdotalis; aut Sacramenti cuiusq; administratio. Hinc Sācti magnificis verborum titulis Missam venerantur, appellando eam mysterium tremendum, terribile, deificum, sacrosanctum, plenum diuinitate, honorificum, summum, singulare; & innumera huiusmodi, quibus plena sunt eorum monumenta. E quibus omnibus pauca hic adducemus notatu digniſſima è præcipuis Sanctis Patribus delibata.

Igitur *S. Chrysostomus sic ait.* [Dum conspicis Dominum immolatum, Sacerdotem Sacrificio incumbentem, & turbam circumfusam pretioso sanguine intingi, ac rubefieri, etiamnê te inter mortales versari atq; in terra consistere censes? an nonpotiùs in Cælum transfereris, & carnis contagionem omnê abijciens mente pura circumspicis quæ in Cælo sunt? O miraculum. O Dei benignitatem. Qui cum Patre sursum sedet, in illo temporis articulo hominũ manibus pertractatur, ac seipsum tradit volentibus ipsum excipere.

S. Gregorius. Quis enim fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem Cęlos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorũ Choros adesse, sũmis ima sociari, terrena Cælestibus iungi, vnumq; ex visibilibus atq; inuisibilibus fieri.

B. Laurentius Iustinian. serm. de Christi Corpore [Sacra Missæ oblatione nulla maior, nulla vtilior, nulla oculis diuinæ Maiestatis est gratior: qua Deo honorem, Angelis contubernium, exulibus Cælum, Religioni cultum, Iustitiæ debitum, normam Sanctitati, obedientiam legi, gentibus fidem, lætitiam mundo, credentibus gaudium, vnitatem populis, Sacramentis legalibus finem, initium gratiæ, virtuti robur, hominibus pacem, lucem mentibus, spem laborantibus, & peruenientibus tribuit speciem. Nempe dolores Mediatoris nostri,

stri, irrogata conuitia, excepta flagella, aceti, & fellis pocula, clauorum & lanceæ vulnera, ex diuini huius celebratione Sacrificij memorantur, Offertur æterno Patri nati assumpta humanitas: quatenus ignoscat ipse quem genuit, quemque pro salute hominum misit in terram, vt interuentione ipsius delinquentibus veniam, lapsis manum, & iustificatis præbeat vitam: In cuius oblationis hora, quantum fas est credere, aperiuntur Cæli, mirantur Angeli, Sancti laudant, exultant iusti, captiui visitantur, compediti soluuntur, infernus luget, Sanctaq; in spiritu lætatur Ecclesia: Quamobrem colligitur quanta cum veneratione illi debeat adstare Sacerdos, cui consecrandi hostias, atq; intercedendi pro populo est impensa auctoritas. Huic expedit vt diuinæ sit laudis amator, religiosus in se, humilis corde, & erga proximorum errata cõpassione compunctus.] Verba reuera digna tàm Sancto auctore quæ possint, & legentem reficere, & honorem cultumq; erga diuinum hoc mysterium excitare.

Plurimas alias Missæ excellentias adfert Antonius de Molina Carthusiensis in sua instructione Sacerdorum trac. 3. cap. 9. & seq. quæ apud ipsum videri possunt.

§. 3. *De præstantia Sacrificij Missæ super omnia alia Sacrificia.*

VT penitus intelligatur sublimis huius Sacrificij præstantia super omnia alia Sacrificia quæ vllo vnquam tempore in quacunque lege aut gente fuerunt in orbe terrarum in vsu supponenda sunt aliqua.

Supponendum primo. Essentiam Sacrificij in hoc consistere quod sit *oblatio facta Deo per immutationem alicuius rei à publico ministro, tanquam signum sacrum publica auctoritate institutum ad protestandam supremam Dei excellentiam & illius dominium super omnia, & nostram subiectionem.* Dicitur *oblatio* hæc particula stat loco generis; nam in Sacrificio semper aliquid

offertur ; Omne igitur Sacrificium eſt oblatio:non autem vice verſa omnis oblatio eſt Sacrificium. Dicitur *Per immutationem &c.* hæc verba cum reliquis ſtant loco differentiæ. Difficile eſt definire quænam immutatio fuerit ſemper neceſſaria ad Sacrificium. Breuiter tamen dico in Sacrificijs antiquæ legis ſemper interueniſſe Immutationem Aut' ſubſtantialem. Aut accidentalem Phyſicam. Aut ſaltem Immutationem moralem. Nam vel Sacrificium erat offerendum ex re Animata ; & tunc interueniebat immutatio ſubſtantialis; animal enim illud occidebatur ; aut comburebatur: Vel ex re inanimi puta ex ſimila, pane, thure, ſale, tritico, manipulo, & ſimilibus; & tunc interueniebat immutatio, vel Accidentalis Phyſica,vt cum Sacerdos panem in fruſta diuidebat, ſimilam in ſartagine vel clibano coquebat,thus concremabat, triticum conterebat &c Vel ſola immutatio moralis,vt cum Sacerdos rem oblatam in altum extollebat;vel benedicebat, tunc enim illas res è non ſacra, fiebat ſacra, & Deo conſecrabatur adhibitis peculiaribus verbis & ritibus: Hac ratione ſaluatur quomodo panes propoſitionis;& item panis & vinum oblatum à Melchiſedech vera fuerint Sacrificia ; in quibus tamen nulla muratio ſubſtantialis, vel accidentalis ex Sacris literis commemoratur. Colligitur ex S. Thoma 2.2. q.85.art.3.ad 3.Dicitur *à publico ſeu legitimo Miniſtro* vt declaretur munus ſacrificandi ſoli Sacerdoti conuenire, nam licet oblatio à priuatis peragi poſſit ; non tamen Sacrificium. Nec obſtat Abelem, Cain, Abrahamum, Iacob & alios Sacrificiũ Deo obtuliſſe quia tunc primogeniti erant Sacerdotes, & ſi quis non primogenitus obtulit fuit ex peculiari Dei diſpenſatione. Dicitur *tanquam ſignum ſacrum publica auctoritate inſtitutum ad proteſtandum &c.* Hæc verba cum ſeqq. indicant finem ſacrificij, ad hoc enim inſtituitur vt ſit quoddam ſignum proteſtatiuum ſuperioritatis & excellentiæ illius perſonæ, cui res offertur ; & ſubiectionis illius perſo-

næ,

næ, quæ offert: dicitur tamen *sacrum* vt distinguatur à signis prophanis & ciuilibus. Dicitur etiam *Publica auctoritate institutum* vt declaretur sacrificia instituì non posse priuata cuiusq; auctoritate; sed solum publica, vt à tota Ciuitate, vel à Principe, vel à Rege, vel à Christo. In prædicta definitione continentur quatuor genera causarum; nempe Materialis ibi *oblatio alicuius rei* Formalis ibi *per immutationem* Efficiens ibi *à publico ministro* Finalis ibi *tanquam signum publica auctoritate institutum ad protestandam supremam Dei excellentiam &c.*

Supponendum secundò. Sacrificiorum originem ab ipsa natura promanasse. Nam vt præclarè inquit D Thomas 2. 2.q.85.art.1. Naturalis ratio dictat homini quòd alicui Superiori subdatur propter defectus, quos in se ipso sentit, in quibus ab aliquo Superiore eget adiuuari & dirigi: Et quicquid illud sit, hoc est quod apud omnes dicitur Deus. Sicut autem in rebus naturalibus inferiora superioribus subduntur, ita etiam naturalis ratio dictat homini secundùm naturalem inclinationem, vt ei quod est supra hominem exhibeat subiectionem & honorem secundùm suum modum. Est autem modus conueniens homini, vt sensibilibus signis vtatur ad aliqua exprimenda; quia ex sensibilibus cognitionem accipit: Euideo ex naturali ratione procedit quòd homo quibusdam sensibilibus rebus vtatur offerens eas Deo in signum debitæ subiectionis & honoris secundum similitudinem eorum, qui Dominis suis aliqua offerunt in recognitionem Dominij: Hactenus Diuus Thomas. Hinc est, quòd apud omnes gentes solo naturali lumine instructas adeo Sacrificia viguerunt, vt nulla tam barbara natio extiterit, quæ Deos suos aliquibus exterioribus hostijs non coluerit.

Supponendum tertiò. Homines à principio fuisse solitos offerre tantum fructus terræ & præsertim varias species frumenti, quæ quia mola terebantur, idcirco immolationis no-

men receperunt. Deinde offerre cæperunt ſpecies aromaticas vt thus, thimiama &c & præter aromata quoſdam etiam liquores, vt Vinum & Sanguinem dicta libamina. Proceſſu temporum obtulerunt etiam animalia, vt tauros, agnos, arietes; Quinimmo & proprios filios; Vnde Dauid. Pſal. 105. *Immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas Damonijs.* Nihilominus inter Gentiles præſertim inter Romanos ſuperſtitioſiores lex iſta perpetuò viguit vt victimas & animalia ſolis duodecim Dijs maioribus immolarent: cæteris verò Dijs minoribus ſolos terræ fructus & libamina, quæ oblationes, & imperfecta Sacrificia vocabant.

Supponendum quartò. Soli Deo deberi Sacrificium: quia ipſe ſolus eſt ſupremus rerum omnium Dominus. Sacrificium autem offertur, vt dictum eſt primo Supp. in proteſtationem ſupremi dominij & excellentiæ. Cum autem nõ poſſint eſſe plures ſupremi Domini, ſed vnus tantum poteſt eſſe, qui dicitur Deus, hinc patet quàm ſtolide errarent Gentiles pluribus Dijs ſacrificantes, hinc etiam colligitur nos Catholicos non poſſe Sacrificium offerre Angelis & Sãctis; quia hoc eſſet eos vt Deos veros teſtari, atq; crimen læſæ Maieſtatis incurrere. Vnde *S. Auguſtinus 8. de Ciuit. Dei cap. 27. ait.* [Quis audiuit aliquando fidelium ſtantem Sacerdotem ad altare, etiam ſuper Sanctum Corpus Martyris ad Dei honorem cultumq; conſtructum dicere in precibus. Offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane &c.] Et quamuis templa in quibus Sacrificia offeruntur, interdum immo ſæpiſſimè, ad honorem Sanctorum erigantur; tamen præcipue eriguntur Deo, qui colitur & honoratur in Sanctis ſuis, dum eos & homines & Martyres fecit & Sanctis Angelis ſuis Cæleſti honore ſociauit.

Supponendum quintò & vltimò: Varia eſſe Sacrificiorum genera. Nam in Sacrificijs poſſumus conſiderare, Vel eſſentiam: Vel materiam: Vel modum: Vel tempus:

Vel

Vel finem. Si conſideremus eſſentiam ; Aliud eſt viſibile & proprium, de quo hactenus locuti ſumus: Aliud inuiſibile & metaphoricum, de quo illud Pſal. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, &c.* Et alibi Pſal 4. *Sacrificate Sacrificium iuſtitiæ*, Si materiam ; Aliud eſt Sacrificium fructuum terræ, Aliud liquorum, Aliud Animalium. Si modum ; Aliud per immolationem vel occidendo animalia, vel eamet igne conſumendo; vel comburendo res inanimes: Aliud per libationem; & hoc fiebat per effuſionem liquorum. Si tempus, Aliud fuit legis Naturæ; Aliud legis Moſaicæ ſeu veteris; Aliud legis Nouæ. Si finem ; Aliud erat Holocauſtum ſeu holocauſtomata, & hoc totum comburebatur; (Holocauſtum enim Græcè idem eſt ac combuſtum latine) & offerebatur Deo ſpecialiter, & ſolùm ad reuerentiam Maieſtatis ipſius & amorem bonitatis eius. Aliud erat Hoſtia pacifica ſeu Victima pacifica, & hoc (vltra finem primarium & generalem incluſum in omni Sacrificio nempè proteſtandi diuinam excellẽtiam) offerebatur Deo etiam ſpecialiter in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis; vel ad impetrationem accipiendorum: huius Sacrificij tres partes fiebant ; vna incendebatur, altera cedebat in vſum Sacerdotum; tertia in vſum offerentium. Aliud erat Hoſtia, ſeu Victima pro peccato; & hoc offerebatur Deo ad remiſſionem peccati, & huius duæ partes erant, vna pars comburebatur, altera cedebat in vſum Sacerdotum ; Quòd ſi offerebatur pro peccato totius populi ; Vel pro peccato ipſius Sacerdotis, tunc tota Victima comburebatur. Primum vocatur Sacrificium Honorarium. Secũdum Euchariſticum quãdo in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis. Tertium Impetratorium quando pro beneficijs accipiendis. Quartum Propitiatorium cum pro peccatis. Ex D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 8. His ſuppoſitis.

Dico Sacrificium Miſſæ eſſe præſtantiſſimum ſuper omnia alia Sacrificia cuiuslibet generis, cuiuſcunq; temporis, eaq;

om-

omnia in ſe continere eminẽter. Poſſem vnico verbo Dictum probare, nempè quia hoc noſtrum Sacrificium conſiſtit in oblatione Corporis & Sãguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ res ſunt infiniti valoris, dignitatis & excellentiæ, quia idemet Chriſtus eſt verus Deus, & verus Homo, ſed iuuat expreſſius & diſtinctius probare ex triplici capite. Primò per dicta Sanctorum Patrum. Secundò per Figuras veteris teſtamenti. Tertiò per Rationes.

Et primò quidem ex dictis Sanctorum Patrum. Nam à Diuo Auguſtino vocatur *Vita mortalium*, à Diuo Chryſoſtomo *Fons bonorum omnium, & horrendum myſterium, & Sacrificium*, à Sancto Dionyſio *Hoſtia hoſtiarum, conſumatio & perfectio Sacrificiorum omnium, auguſtiſsimum, Sacroſanctum, Cæleſte, ac venerandum myſterium*, à Theodoreto *diuinum donum*, ab alijs *holocauſtum medullatum*.

Secundò. Ex figuris veteris teſtamenti, nam præfiguratum fuit in Sacrificio Abelis, Melchiſedech, Noè, Iſaac, Agni Paſchalis de quibus latè differit noſter Marchinus de ſacr. ord. c. 9. ſed illuſtrior præ cæteris figura fuit teſtamẽtũ, ſiue fædus, quod poſt legẽ datã in monte Sina DEVS cũ Iudæis pepigit, vt habetur Exod. 22. nam poſtquam Moyſes de monte deſcendens narrauit populo iudicia, & ſermones Dei, quibus multa bona legem ſuam obſeruantibus promittebat, populuſque vna voce reſpondiſſet, *omnia verba Domini, quæ locutus es faciemus*. Poſtea fædus iſtud Sacrificio quodam & ſanguinis reſperſione viciſſim ſanxerunt. Nam Moyſes ſumpto Sanguine reſperſit populum dicens. *Hic eſt Sãguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his*. Ita Chriſtus Dominus nouũ inſtituturus teſtamentum ſeu fædus prius legem ſuam (quam legem amoris & charitatis eſſe voluit) promulgauit dicens. *hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos*. deinde immolauit ſeipſum in vltima Cæna vt eſſet ſignum fœderis inter nos & Deum: poſtmodum Sangui-

nem

nem ſuum in Calice conſtituens pro illis effundendum, eundem Apoſtolis potandum dedit dicens. *Bibite Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti:* ſiue vt recitat Paulus 1. ad Cor. 11. *Hic Calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine.*

Tertiò. Colligitur huius Sacrificij præſtantia, ratione ducta ex illius ſumma perfectione per comparationem ad omnia alia Sacrificia. Nã vetera omnia tàm legis naturæ, quàm legis ſcriptæ Sacrificia valorem & dignitatem ſuam ab iſto hauſerunt, cum ex ſe nuda & egena prorſus eſſent elementa. Etenim Sacrificium hoc noſtrum defectus illorum cumulatiſſimè ſuppleuit: & eorum fines ac munera perfectiſſimè cõpleuit. Illa erant materialia, corporea, & valoris finiti: Hoc ſaltem per concomitantiam Diuinum, Spirituale, infinitum tàm ex parte rei oblatæ, quã ex principalis parte offerentis. Illa ob propriam imperfectionem numero & varietate plura erãt: ad plura ac diuerſa munera ſeorſim deſtinata: Hoc vnicũ exiſtens omniũ hoſtiarũ differentias ob ſuã eminentiam ſimul complectitur, vt quæ inferioribus diſperſa ſunt, in ſuperioribus vniantur: Eſt enim hoc Sacrificiũ Holocauſtum, Hoſtia pacifica, & Hoſtia pro peccato; quoniam propter ſuam infinitatem eſt ſimul Honorarium, Euchariſticum, Impetratorium, & Propitiatorium. Et quidem eſt Honorarium Diuinæ Maieſtatis colligitur ex illis verbis Canonis *eleuatis oculis in Cælum* in ſignum honoris & cultus latriæ. Eſt Euchariſticum vt colligitur ex actione gratiarum, quas Chriſtus ante inſtitutionem huius Sacrificij præmiſit *gratias agens benedixit ac fregit.* Eſt impetratorium, quia, vt inquit Chryſoſtomus in ſua liturgia, pro infinitis malis depellendis, pro fructibus terræ, & pro vniuerſis bonis impetrandis ſacrificamus. Eſt Propitiatorium pro peccatis vt colligitur ex illis verbis *effundetur in remiſſionem peccatorum.* Hæc igitur *eſt omnium hoſtiarum hoſtia* teſte Diuo Dionyſio cap. 6. de Cæl. Hierar. *Hæc eſt omnium Sacrificiorum conſummatio, & perfectio.* vt loqui-

quitur Trid. seſſ. 21. de Sacrificio Miſſæ cap. 5. vel vt Sanctus Leo ſerm. 8. de paſſione Domini eleganter, & ſapienter pronunciat. *Nunc carnalium Sacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum vna Corporis & Sanguinis ſui impleat oblatio &c.*

§. 4. De Offerentibus.

OFferentes Sacrificium Miſſæ ſunt in triplici differentia. Idem enim Sacrificium offertur à Chriſto. A Sacerdote. Ab alijs.

Quoad Chriſtum Dominum. Certum eſt apud Catholicos Chriſtum eſſe principalem offerentem; tùm quia eſt Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech; tum quia hoc definitum habemus in Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. vbi ait. *Idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in Cruce obtulit,* tota difficultas eſt in explicando qua ratione Chriſtus dicatur hoc Sacrificium quotidie in Miſſis offerre. Alij dicunt ratione inſtitutionis; quia illud inſtituit, & in Eccleſia celebrari præcepit. Alij dicunt, quia Chriſtus per ſuam humanitatem phyſicè tranſubſtantiat panem in Corpus, & vinum in Sanguinem: in qua actione putant conſiſtere totam eſſentiam Sacrificij. Breuiter tamen dicendum cum communi, Chriſtum dici hoc Sacrificium offerre non ſolùm remotè quatenus illud inſtituit; ſed etiam proximè quatenus exercet munus Sacerdotale ſimul cum viſibili Sacerdote, & quidem principaliter, offerens ſemetipſum Patri per interiores mentis actus in Dei honorem cultumque, & in hominum vtilitatem. Duplici ratione hoc probari ſolet. Prima, quia offert per Sacerdotem tanquam per Legatum, & miniſtrum, qui immediatè ſuſtinet & repræſentat perſonam ipſius Chriſti; ita vt conſecrans eodem modo loquatur ac ſi reuera Chriſtus eſſet dicens *hoc eſt Corpus meum.* Sicut igitur quæ per Legatum fiunt cenſetur à Principe facta; & eleemoſina data à mi-

ministro propriè dicitur data à Domino: Ita Christus verè dicitur hoc Sacrificium offerre, idq; longè alia ratione quàm dicatur per ministros suos baptizare: quia etsi baptizans agat vt minister Christi; tamen loquitur in persona propria & proprijs verbis: Consecrans autem absolutè in persona Christi, & verbis Christi loquitur. Secunda, quia Christus per scientiam visionis ac per scientiam infusam eo tempore, quo hoc Sacrificium & Sacramentum ordinis instituit, præuidit in particulari omnia Sacrificia quæ vsq; in finem mundi erant offerenda; eaq; vt probabile est, actu elicito Patri obtulit: immò nunc etiam ea singula dum actu fiunt, Patri offert. Hoc enim ipsius in Patrem reuerentiæ, & summo in Ecclesiam amori congruit; præsertim cum dicat Apostolus ad Rom. 3. & ad Hebr. 7. quod etiam modò Patrem interpellet pro nobis. Nec obstat quòd idem Apostolus ad Hebr. 9. dicit quòd Christus semel semetipsum obtulit in Cruce. Quia ille locus intelligitur de oblatione cruenta, & per modum meriti vniuersalis: illa enim semel fuit facta & fuit sufficiens ad satisfactionem pro toto mundo: sed hoc non repugnat quin quotidie se offerat oblatione incruenta per modū meriti particularis & applicando illam satisfactionem ad particulares homines, pro quibus hoc Sacrificiū offertur in dies.

Quoad Sacerdotes. Certum etiam apud Catholicos est, omnes & solos legis nouæ Sacerdotes, quantumuis sint hæretici aut excommunicati, posse validè hoc Sacrificium offerre, si legitima forma & materia vtantur. Ita D. Thom. p. 3. q. 82. art. 4. & communiter Theologi, & apertè colligitur ex Trid. sess. 23. cap. 1. & cap. 4. & ratio est, quia Sacerdotes etiam hæretici, & excommunicati retinēt potestatem ordinis, scilicet characterem Sacerdotalem qui est indebilis: igitur dummodo faciant quod facit Ecclesia, validè sacrificabunt. Verum quidem est quòd non licitè faciunt: immò nec validè nomine Ecclesiæ seu vt Ecclesiæ ministri ad publicè oran-

dum deputati, quoniam per censuras vel hæresim Ecclesia illos tali facultate priuauit. Et in hoc sensu fortè loquuntur quidam Doctores quando dicunt Sacerdotes excommunicatos & hæreticos nec validè sacrificare: vel extra Ecclesiam non esse verum Sacrificium; debent enim intelligi de Sacrificio efficaci & fructuoso tàm his pro quibus offertur; quàm offerentibus ipsis id est Sacerdotibus.

Quoad alios. Hi sunt in duplici etiam differentia. Quidam impropriè & remotè offerunt cum ipso Sacerdote. Et tales sunt omnes Catholici non excommunicati, nam Sacerdos offert nomine totius populi Christiani: quod autem Legatus alicuius Ciuitatis agit apud Regem, tota Ciuitas dicitur agere. Quidam autem propriè & proximè, & hi sunt qui actione aliqua externa ad Sacrificium concurrunt vel petendo Missas pro ipsis celebrari, vel dando stipendia Sacerdoti vt pro ipsis celebret, vel ministrando Missæ, vel deniq; deuotè assistendo Missæ. Omnibus enim prædictis modis fideles cooperantur moraliter Sacerdoti, & cum illo offerre dicuntur. Et colligitur ex illis verbis Canonis *& omnium circumstantium quorum tibi fides cognita est & nota deuotio pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt &c.*

§. 5. *De Re oblata in Sacrificium.*

PRo intelligentia dicendorum suppono in omni Sacrificio communiter aliquid destrui, & aliquid aliquo modo produci saltem secundùm aliquem nouum modum essendi, consistit enim Sacrificium essentialiter in aliqua immutatione vt supra dictum est §. 3. Supp. 5. in omni autem mutatione reperitur terminus *A quo*, & terminus *Ad quem*. Terminus igitur *A quo* est res, quæ per mutationem destruitur: Terminus autem *Ad quem* est res, quæ per eandem mutationem producitur. Aliquando autem res quæ destruitur est nobi-

nobilior quàm res producta, vt est animal, quòd occiditur; quod quidem est nobilius cadauere ex illo resultante. Aliquando verò res quæ producitur est nobilior re destructa, vt erat suffitus thimiamatis ex illius crematione prouenies. Vtraq; sanè res tàm quæ destruitur quam quæ producitur pertinet ad rationem Sacrificij: verum quidem est quod illa quæ ex prædictis duabus est dignior pertinet ad rationem Sacrificij primariò & principaliter, altera verò secundariò & minus principaliter. Hoc suppositio.

Dico primò Corpus & Sanguis Christi secùndùm modum essendi Sacramentalem est res quæ primariò & principaliter offertur in hoc Sacrificio; panis verò & vinum sunt id, quod secundariò & minus principaliter offertur. Ratio, quia Corpus & Sanguis Christi sunt res, quæ est nobilior & dignior in hoc Sacrificio. Hinc Trid. sess. 22. cap. 1. ait: *Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit.* Dixi *secundùm modum essendi Sacramentalem* id est quatenus in verbis consecrationis ponuntur sub speciebus panis & vini. Et ratio est, quia cum sit eadem hostia Sacrificij cruenti semel exhibita in Cruce, & Sacrificij incruenti quod in Ecclesia quotidie offertur, sequitur necessariò Christum in hoc Sacrificio immolari, vt omnes Patres docent: Atqui Christus non est hostia huius Sacrificij, prout est in Cælo, quia vt sic nullo modo per hoc Sacrificium immutatur nec accipit vllum modũ hostiæ immolatæ, ergo debet esse hostia prout existit sub speciebus panis & vini, quia ibi per veram reproductionem, & cõsequenter per realem immutationem ponitur, & quidem per modum hostiæ immolatæ, quatenus, quantum est ex vi verborum præcisè, Sanguis ponitur separatim à Corpore: quamuis per necessariam concomitantiam sub singulis speciebus ponatur totus Christus: ac proinde totius immoletur, & offeratur in qualibet specie. Dixi *panis & vinum secundario offeruntur &c.* quia cum ideo de-

Digitized by Google

ſtruantur vt in teſtimonium diuinæ excellentiæ Corpus & Sanguis Chriſti ſub ſpeciebus ponantur, verè poſſunt dici deſtrui in honorem Dei & in teſtimonium diuinæ excellentiæ. Et hac ratione ſæpè tàm in ipſa Miſſa, quàm à Patribus dicuntur in Sacrificio Miſſæ offerri. Hæc ex Coninc. de Sacram. q. 83. 1. dub. 4.

Dico ſecundò. Hoſtia huius Sacrificij dicit quidem neceſſarium intrinſecum ordinem tàm ad ipſas ſpecies tanquam contentum ad continens, & ſignificatum ad ſignum: non tamen eas intrinſecè tãquam ſui partem includit. Prior pars probatur. Tum Quia cum hoc Sacrificiũ ſit humanum & ſenſibile, eius hoſtia debet eſſe aliquo modo ſenſibilis: atqui Chriſtus hìc non eſt ſenſibilis, niſi ratione ſpecierum. Tùm etiam quia ſine tali ordine ad ſpecies ac ad formas Cõſecrationis, non poteſt habere veram rationem hoſtiæ mactatæ; vt patet ex dictis. Secunda pars probatur. Quia cum hoc Sacrificium ſit verum holocauſtum, in quo tota hoſtia neceſſariò integrè immolatur, ſi ſpecies eſſent pars hoſtiæ ſequeretur eas verè immolari: Atqui hoc non videtur dicendum. Tùm quia nulla eſt ratio quæ hoc ſuadeat; nam vt hoc Sacrificium ſit ſenſibile non eſt opus vt hoſtia per ſe ſit ſenſibilis, ratione alicuius ſuæ partis; ſed ſufficit quod ſit ſenſibilis per aliquid ad quod dicit intrinſecum ordinem: Tùm etiam quia aliàs hic aliquid offerretur quod non fuit oblatum in Cruce; & conſequẽter non eſſet vtrobiq; eadem omnino res oblata, quod videtur eſſe contra communem ſententiam Patrum & Theologorum. Ergo hoſtia huius Sacrificij non includit ſpecies tanquam ſui partem intrinſecam.

§. 6. *De Valore Sacrificij Miſſæ.*

SVppono nomine valoris intelligi moralem quandam dignitatem, ac virtutem rei: quemadmodum in Numiſmate

mate Valor est dignitas & æstimatio illius & virtus ad consequenda alia mediante tali numismate seu pecunia. Sic valor Sacrificij est dignitas, & virtus Sacrificij ad aliquod cõsequendum (accipiendo nomen Sacrificij pro actione ipsa sacrificandi) hoc supposito per aliquot dicta rem totã breuiter expediemus.

Dico primò. Duplex est valor huius Sacrificij, Alter ex parte offerentium. Alter ex parte rei oblatæ. Rursus ex parte offerentium etiam duplex, nempe Alter ex parte principalis offerentis id est Christi. Alter ex parte secundarij offerentis id est Ministri seu Sacerdotis. Differunt valor ex parte rei oblatæ, & valor ex parte Ministri offerentis: quia valor ex parte Ministri est finitus & limitatus & recipit augmentum, & diminutionem secundùm quod Minister est magis minusue deuotus: adde sisit extra gratiam nullus valor existit ex parte eius; imò peccat sacrificando cum conscientia peccati mortalis, & absq; contritione; Vnde nec satis facit; nec meretur *de condigno*. (Dico *de condigno*, quia ad summum forte poterit per modum orationis aliquid à Deo impetrare, *de congruo*, quando ritè orat, & non peccat in ipsa oratione) Hic valor ex parte offerentis vocatur valor ex opere operantis. Valor autem ex parte rei oblatæ semper est vnus, & idem, & certus etiamsi oblato fiat à Ministro malo. Et ratio est. Tùm quia res oblata est acceptissima Deo; est enim Corpus & Sanguis Filij eius: Tùm quia ille Minister malus offert nomine Ecclesiæ, quæ etiam semper est accepta Deo. Sicut munera vnius Principis alteri Principi oblata per Legatum secundùm se ingratum adhuc sunt grata illi Principi. Hic valor ex parte rei oblatæ vocatur valor ex opere operato, id est qui sequitur infallibiliter positionem talis operis (modò is, pro quo offertur non ponat obicem) duplici autem modo possumus concipere hunc valorem ex opere operato infallibiliter sequi Primò quatenus Christus, qui est prin-

Digitized by Google

principalis offerrens, potuit annectere in certa proportione ſua merita ipſi externo actui Sacrificij ad conferendum determinatum effectum ei pro quo offertur (modò non ponat obicem) independenter à dignitate Miniſtri. Secundò. Quatenus Chriſtus qui eſt principalis offerens, cum ſit acceptiſſimus Deo Patri; eo ipſo quòd hoc Sacrificium offertur, habet magnam vim aliquid impetrandi, & ſemper infallibiliter impetrat. Et hic modus procedit etiamſi Chriſti merita non eſſent annexa modo ſupra dicto.

Dico ſecundò. Prædictus valor tàm ex parte offerentis, quàm ex parte rei oblatæ ſe extendit ad tria bonorum genera ſcilicet 1. ad bona temporalia 2. ad bona Spiritualia gratiam ſcilicet & inſpirationes, ac diſpoſitiones 3. ad ſatisfactionem debitam pro pœnis debitis peccato: quæ bona conferuntur per modum meriti, per modũ ſatisfactionis, & per modum impetrationis. Et ratio eſt, quia cum offerre hoc Sacrificium ſit excellẽtiſſimus actus virtutis Religionis, eoſdem planè effectus ſortitur, & eiſdẽ planè modis ſicut actus aliarum virtutum: ſed qui exercent actus aliarum virtutum, ſi ſint in gratia, merentur, impetrant & ſatisfaciunt; ergo &c. Itaq; ſinguli offerentes (id eſt tàm Sacerdos, quam ij qui cooperantur Sacrificio aliquo modo vt dictum eſt ſupra §. 4.) ſi ſint in gratia ex ipſo opere operantis, & actione actus offerendi, merentur, ſatisfaciunt, impetrant. Merentur, inquã, gratiæ augmentum. Satisfaciunt pro pœnis debitis pro ipſorum peccatis. Impetrant bona Spiritualia, & temporalia. Rurſus ex ipſo opere operato & ratione rei oblatæ, etiam ſatisfaciunt, & impetrant; ſi illis applicetur Sacrificium, & ſi ſint in gratia. Dixi ſæpius *ſi ſint in gratia* quia hoc Sacrificium ex primæua ſui inſtitutione non delet peccata, nec confert primam gratiam; ad hoc enim inſtituta ſunt Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ, quæ ſunt Sacramenta mortuorum & conferuntur ijs qui ſunt mortui Deo per peccatum, & per

& per

& per Sacramenta resurgunt, & recipiunt primam gratiam: alioquin si hoc Sacrificium conferret per se primam gratiam; sequeretur quod post Baptismum non esset necessaria Confessio nec in re nec in voto, quod esset hæreticum asserere. Quapropter cum Trid. sess. 22. cap. 2. dicit *per hoc Sacrificium ingentia, peccata dimitti*: sensus est per hoc Sacrificium impetrari auxilia actualia, quibus ille, pro quo oblatum est, disponitur ad contritionem, & per hanc cum voto Confessionis iustificatur. Dubium esse potest an hæc impetratio sit infallibilis ita vt semper detur, circa quod alij negatiuè respondent. Sed melius dicendum, esse infallibilem. Et ratio est; Tùm quia Christus est, qui principaliter & proximè offert hoc Sacrificium etiam fundêdo preces apud Patrem: At omnis absoluta oratio facta à Christo ex D. Tho. 3.p.q.21.art.4. habebat infallibilem impetrationem ratione dignitatis Personæ: Tùm etiam quia Ecclesia, cuius nomine Sacerdos tanquam publicus Minister offert, est grata Deo; ergo habet infallibilem impetrationem fundatam in diuina promissione Matt. 6. *Petite, & dabitur vobis*. Et Marc. 11. *Amen dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis credite quia accipietis.*

Dico tertiò. Valor huius Sacrificij ex opere operato est infinitus, tàm intensiuè, quàm extensiuè, quoad sufficiêtiam, & in actu primò: quoad efficaciam verò, & in actu secundò est finitus intensiuè. Explico terminos. Per *infinitatem intensiuam* nihil aliud intelligimus nisi virtutem Sacrificij non esse ita determinatam ad producendos certos gradus remissionis pænæ, vt non possit plures: neque tot beneficia conferre, quin plura. Per *infinitatem extensiuam* intelligimus eandem virtutem non esse ita restrictam ad talem determinatum numerum fidelium, vt non possit pluribus etiam simul acceptis prodesse. Rursus per *sufficientiam & in actu primò* intelligimus hoc Sacrificium habere quantum ex se virtutem

tutem infinitam, & illimitatam ad remittendam omnem pœnam etiam infinitam, & impetrandum beneficia etiam infinita &c Per *Efficaciam & in actu secundò* intelligimus quod de facto & ex opere operato non remittit infinitam pœnam illi pro quo applicatur etiamsi adesset infinita: nec impetrat beneficia infinita; vnde quamuis hoc Sacrificium sit valoris infiniti; non habet tamen effectum infinitum, quæ duo ab aliquibus confunduntur. His explicatis probatur Conclusio per partes: Et primò quòd prædictus valor sit quoad sufficientiam infinitus tam intensiuè, quam extensiuè probatur. Quia hoc Sacrificium est idem cum Sacrificio Crucis, & diuersum in sola ratione offerendi, vt inquit Trid. sess. 22. cap. 2. *Vna enim*, inquit Conc. *eademq; est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola efferendi ratione diuersa* quia Sacrificium Crucis fuit cruentum id est sanguinolentum: hoc autem incruentum sine Sanguinis effusione: sed Sacrificium Crucis fuit quãtum ad sufficientiam infiniti valoris tàm intensiuè, quàm extensiuè; ergo pariter & hoc Sacrificium. Secundò. Quòd prædictus valor quoad efficaciam, & effectum, sit finitus intensiuè probatur. Quia de facto in singulis effectum finitum habet: & hac de causa toties hoc Sacrificium repetitur etiam pro eadem persona & quotidie in Ecclesia Dei offertur. Cur autem habeat effectum finitum cum tamen sit valoris infiniti? Ratio diuersimodè à Patribus & Doctoribus assignatur. Quidam dicunt procedere ex hoc; quia quamuis hoc Sacrificium ex parte rei oblatæ sit infinitum (est enim Christus Dominus) tamen ex parte offerentium, & ex parte modi offerendi est finitum. Nam offertur à finito Sacerdote: applicatur mediante intentione Ministri finita: nomine Ecclesiæ, quæ habet finitam Sanctitatem: & sub speciebus Sacramentalibus finitis. Alij, quia ex diuina institutione acceptatur finito modo, & pro tot gradibus pœnæ remmittendis taxatis

à Chri-

à Christo. Alij ex dispositione finita illius, pro quo Sacrificium offertur, cum vna quæque causa agat iuxtà dispositionem quam reperit in subiecto; si dispositio est finita, finitum effectum sequi necesse est. Et hæc est ratio cur Deus & Sacramenta in gratiæ productione finitum habeant effectum, quia videlicet respondere debent contritioni, & deuotioni finitæ.

Dico quartò. Valor Sacrificij extensiuè partim est finitus partim infinitus quoad efficaciam & fructum. Pro cuius explicatione sciendum triplicem distingui fructum Sacrificij iuxtà communiorem sententiam, nempe generalem, specialem seu medium, & specialissimum. Fructus generalis est ille, quem Ecclesia intendit applicare non solum omnibus fidelibus viuis & defunctis, verum etiam Summo Pontifici, Imperatori, Regi, Episcopo, & alijs quorum meminit Sacerdos in Sacrificio siue absentibus, siue præsentibus. Specialis est ille, qui competit illis pro quibus Sacerdos intendit specialiter offerre & applicare iuxtà praxim Ecclesiæ, quæ Sacrificium modò pro vno, modò pro alio specialiter offerre consueuit. Specialissimus est proprius ipsius Sacerdotis, quem fructum Sacerdos non tenetur, nec etiam potest ex sententia multorum alteri applicare. His suppositis. Dico quod valor Sacrificij partim finitus, partim infinitus existit secundùm diuersa, nempe secundùm fructum generalem est infinitus extensiuè ita vt non tot prosit, quin possit pluribus, & pluribus prodesse in infinitum. Et ratio est. Tùm quia in Memento Missæ non est determinatus numerus cogitandorum; ergo signum est hunc valorẽ extendi pluribus, & pluribus in infinitum, alioquin præfiniendus esset numerus, ne aliqui defraudarentur. Tùm quia sequeretur Christianos detrimẽtũ pati ex generali applicatione Sacrificij crescente numero Christianorum, quibus Ecclesia intẽdit Sacrificium secundùm ipsius generalem fructum applicare. Præterea se-

queretur, quo plures sunt adstãtes in Missa, diminui fructum Missæ, & Sacrificium minus prodesse singulis, quod non videtur admittendum cum Ecclesia curet plures Sacrificio interesse. Quanta autem vnius cuiusque portio extet, Deus nouit; illud tamen constat vnumquemq; plus gratiæ recipere, quò magis est dispositus & quò plures habet titulos ad maiorem portionem recipiendam, vt si non solùm interfit, sed etiam inseruiat &c.

Secundùm verò fructum specialem; & specialissimum est finitus. Et ratio est, quia valor Missæ in ordine ad vtrumq; fructũ non excedit terminos à Christo præscriptos; Christus autẽ non præscribit Sacrificio valorem infinitum, sed finitũ in ordine ad tales fructus; quod apertè tùm ex praxi Ecclesiæ, quæ cum sit interpres institutionis Christi, & à Spiritu Sancto regatur, offerre consueuit multas Missas ad eandem rem obtinendam, consequenter satis indicat valorem Missæ finitum esse. Tum quia damnanda videretur cõsuetudo Ecclesiæ, qua Sacerdotes vni specialiter Missam applicant, & non pluribus; nam si Sacrificium æque prodesset omnibus quoad fructum medium, Sacerdotes tenerentur ex charitate omnibus fidelibus, offerre, cum virtus charitatis obliget ad præstandum omnibus auxilium quoties illud possumus fine nostro detrimento præstare.

Hinc colligi potest primò eum qui curat sibi Missam applicari maiorem fructum percipere quàm alios, quia habet fructum generalem & specialem. Secundò Sacerdotes qui plura stipendia colligunt à pluribus pro celebratione Missarum quibus singuli intendunt vnico Sacrificio satisfacere, defraudare tradentes eleemosinam, cum Missæ Sacrificium quoad fructum specialem seu medium non æquè prosit omnibus, ac vni. Tertiò Missæ Sacrificium minus prodesse singulis, si pro multis offeratur, quàm si pro paucis nam res finita & limitata quãtò magis diuiditur, tantò minus vnicui-

que

que contingit, & hoc est conforme cõmuni Philosophorum axiomati, *omne finitum ablatione finiti consumitur.*

§. 7. *De His quibus prodest Sacrificium Missæ.*

SAcrificium Missæ prodest, tàm offerentibus, quam ijs pro quibus offertur.

De offerentibus. Quinam sint, dictum est §. 4. De illis pro quibus offertur, dictum est §. præcedenti verbo *Dico* 4. Nempè quòd alij sunt, quibus applicatur ex intentione Ecclesiæ: alij verò quibus applicat specialiter Sacerdos. Solùm inquirendum est quænam conditiones requirantur ex parte eorum pro quibus Sacrificium offertur, vt illis prosit? ad quod breuiter respondeo requiri has conditiones. Prima vt sint baptizati: potest tamen offerri pro infidelibus vt conuertantur; & prodest illis quoad fructum impetrationis tantum; quæ impetratio fundatur in diuina misericordia. Secunda. Vt sint in via: in qua comprehenduntur etiam Animæ in Purgatorio; vnde non prodest damnatis in Inferno; Beatis autem non prodest quia illo non indigent; non enim indiget aut mereri; aut satisfacere, aut aliquid impetrare: Coluntur tamen & honorantur per Sacrificium & illis aduenit gaudium quoddam accidentale; quatenus Beati gaudent honore qui in eorum memoriam Deo exhibetur vt diximus §. 2. verbo *prima definitio*. Tertia. Vt nullo sint censuræ vinculo irretiti. Quarta. Vt sint in gratia, vt toties dictum est: Existens enim in peccato mortali nec meretur, nec satisfacit: solùm illi prodest ad impetrationem auxiliorum Spiritualium, & bonorum temporalium, & hoc ex misericordia Dei, non ex Iustitia. An verò recedente peccato Sacrificium præcedens consequatur suum fructum quantum ad satisfactionem, controuersum est. Non est improbabilis opinio affirmatiua; quia per hoc Sacrificium applicantur infinita Christi meri-

ta quorum valorem reſpiciens Pater mirabiles huius Sacrificij fructus nobis concedit. Sicut igitur merita Chriſti ante paſſionem nondum exhibita, quia tamen æternitati Dei præſentia erant, in qua non eſt præteritum, nec futurum: ideo erant cauſa meritoria iuſtificationis omnium Patrum veteris legis; ita eadem ratione eadem Chriſti merita potuerunt mouere Deum ad concedendum fructum ſatisfactionis illis qui licet ob lethalem culpam ſecundùm tempus noſtrum non erant capaces talis fructus; tamen ſecundùm tempus quo vtitur Deus, ſunt capaces. Quinta & vltima conditio eſt actualis; vel virtualis deuotio erga tale Sacrificium, quæ quidem quò maior vel minor fuerit eò maiorem vel minorem fructum ille conſequetur, qui offert, vel pro quo offertur; ſed forte hæc conditio requiritur ad fructum ex opere operantis; non autem ad fructum ex opere operato.

§. 8. *De partibus Miſſæ.*

COmmuniter à Doctoribus Miſſa diuiditur in tres partes, quarum Prima eſt quæ antecedit oblationem. Secunda eſt oblatio. Tertia eſt poſt oblationem. Prima pars eſt ab initio vſq; ad Offertorium excluſiuè. Secunda ab Offertorio vſq; ad poſt Cõmunionem. Tertia à poſt communione vſq; ad finem. Rurſus prima pars continet Confeſſionem, Introitum, Kyrie, Gloria, Orationes, Epiſtolam, Euangelium, Credo. Secunda continet Oblationem, Secretas, Præfationem, Canonem cũ Conſecratione, Pater noſter. Agnus Dei, & Communionem. Tertia continet Orationes & Euangelium Sancti Ioannis In principio &c. Solet dubitari in qua actione Miſſæ Sacrificium eſſentialiter conſiſtat? varij varia dicunt vt videre eſt apud Coninc. de Sacramentis q. 82. art. 1. dub. 1. Alij in Oblatione quæ fit poſt cõſecrationẽ in illis verbis. *offerimus præclaræ Maieſtati tuæ*, Alij in Conſecra-

cratione, oblatione, fractione, & consumptione Corporis & Sanguinis. Alij in duplici oblatione, quæ fit partim ante Consecrationem, partim post: in Consecratione in Consumptione. Alij in Consecratione & Consumptione. Alij denique in sola Consecratione.

Pro solutione notandum omnes actiones quæ peraguntur in Missa, vno ex his quatuor modis posse pertinere ad rationem Sacrificij scilicet vel vt partem essẽtialem sicut Anima & Corpus pertinent ad essentiam hominis; vel vt partem integralem sicut manus pertinet ad integritatẽ hominis; vel vt aliquid extrinsecè perficiens sine quo res maneret aliquo modo imperfecta & fine suo destituta, sicut sanitas mentis & corporis in homine; vel denique vt accidens & ornatus, sine quo res potest quidem esse, & suum finem obtinere, non tamen commodè & honestè vt indumentum in homine. Hoc prænotato.

Dico. Ad essentiam Sacrificij pertinet sola Consecratio, vtriusq; tamen speciei. Ad Integritatem pertinet etiã consumptio facta à Sacerdote non à populo. Ad perfectionem extrinsecam pertinent oblationes ante & post Consecrationem, fractio & immissio particulæ in Calicem. Ad ornatum & complementum reliquæ omnes Ceremoniæ. Probatur Concl. per partes. Prima quòd essentia Sacrificij consistat in sola consecratione vtriusque speciei. probatur Primò. quia in sola consecratione saluatur ratio Sacrificij: Est enim Sacrificiũ oblatio facta Deo alicuius rei immutatæ &c. Sed per Cõsecrationem offertur Deo Christus vt Homo, & quidem immutatus, quia secundùm nouum modum essendi Sacramẽtalem reproducitur immolatus & misticè mactatus sub speciebus Sacramẽtalibus; nam ex vi verborũ ponitur Corpus quasi occisum sub specie panis, & Sanguis quasi e fusus ac separatus à Corpore ponitur sub specie vini; ergo in sola consecratione, & quidem vtriusq; speciei consistit ratio Sacrificij

crificij Missæ. Secundò. quia sola Consecratio fit in persona Christi: non autem Consumptio aut cætera; alioquin quicunq; communicaret sustineret immediatè personam Christi quod tamen in Laicis cõmunicantibus patet esse falsum, qui potius aliquid à Christo recipiunt quàm eius personam sustineant. Tertiò. quia Consecratio sola perfectissimè repræsentat Sacrificium cruentum Crucis. Nam Corpus & Sanguis posita sub diuersis speciebus quantum est ex vi verborum separatim expressissimè repræsentant hostiam immolatam, siue Christum in Cruce occisum.

Secunda pars quòd Consumptio pertineat ad integritatem. Probatur Tùm quia est approbatio quædam Sacrificij: Tùm quia cum hoc Sacrificium instituatur etiam vt sit Sacramentum & conuiuiũ (sicut etiam inter veteres ferè omnia Sacrificia Eucharistica) non consequitur suam integritatem & perfectionem ante consumptionem: Tùm deniq; quia semper ab Ecclesia tanta diligentia obseruatum est vt celebrans, aut si ipse non posset, alter Sacerdos eius loco consumeret, signum est ergo consumptionem pertinere ad integritatem Sacrificij: Hinc in cap. relatum de consecr. dist. 2. dicitur. *quale erit Sacrificium, cuius nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur;* Dixi in Conclusione Consumptio facta à Sacerdote non à populo etiamsi fiat sub vtraque specie quod est prohibitum, quia clarum est in lege noua solos Sacerdotes posse sacrificare Laici autem nullo modo sunt Sacerdotes propriè dicti: Deinde si sumptio Laicorum pertineret ad integritatem Sacrificij sequeretur communionem numquam posse ita dari nisi dum durat sacrificium Missæ alioquin fieret Sacrificium partiale, & imperfectũ quod absurdũ est.

Tertia pars. Quòd oblationes, fractio &c. pertineant ad perfectionem extrinsecam; patet, quia si quis eas relinqueret absque causa, & aduertenter, faceret tale Sacrificium aliquomodo accidentaliter imperfectum & peccaret mortaliter.

Quar-

Digitized by Google

Quarta pars. Quòd reliquæ omnes Ceremoniæ pertineãt ad quemdam ornatum & complementum, patet per rationem prædictam; quia si quis illas aduertenter & sine causa omitteret, peccaret magis minusue secundùm quòd Cæremonia esset grauior, & magis accedens ad Sacrificium, & cum maiori vel minori populi & adstantium admiratione & scandalo.

§. 9. *De significatis partium Missæ.*

INcipiendo à *Confessione*, hæc significat peccatum Adami, & peccata omnium hominum pro quibus delẽdis Christus venit in mundum. *Introitus* Prophetias, & oracula Prophetarum, quibus prænunciabatur aduentus Christi. *Kyrie eleyson* nouies repetitum: desideria Patrum antiquæ legis Christum expectantium. *Gloria in excelsis*: Hymnum Angelicum decantatum in Natiuitate Christi. *Dominus vobiscum*: Manifestationem ad Pastores. *Tres orationes*: manifestationem ad treẽ Magos. *Epistola*: prædicationem Sancti Ioannis Baptistæ, seu legem veterem; quæ ideo legitur in parte sinistra ad significandam insufficientiam bonorum temporaliun quæ promittebantur in lege veteri. *Euangelium*: prædicationem Domini nostri, & legem nouam; quòd ideo legitur in parte dextera ad significandã sufficientiã bonorũ æternorũ quæ promittuntur in lege noua. *Credo*: prædicationem Apostolorum & promulgationem Euãgelij per vniuersum orbẽ. *Dominus vobiscum & Offertorium*: promptitudinem Christi ad hauriendum Calicem passionis pro salute generis humani, *Orationes secretæ*: silentium & recessum Christi in Ciuitatem Ephrem, quando Iudæi mortem illi machinabantur. *Præfatio*: laudes puerorum cum ramis & ingressum Domini in Hierusalem. *Te igitur*: orationem Christi in horto ad Patrem. *Cruces supra oblata*: præparationẽ instrumentorum ad mortem Christi. *Impositio manus Sacerdotis supra oblata cum dicit Hanc*

igi-

igitur oblationem &c. capturam Christi in horto. *Alia Cruces:* tormenta ipsius. *Eleuatio Hostiæ:* eleuationem Christi in Crucem. *Eleuatio Calicis:* effusionem Sanguinis Christi. *Vnde & memores &c.* oblationem factam à Christo sui Corporis & Sanguinis ad Patrem. *Nobis quoq; peccatoribus:* Conuersionem Centurionis & aliorum qui reuertebantur percutientes pectora sua. *Pater noster:* orationem Christi ad Patrem pro nobis. *Diuisio Hostiæ:* significat mortem Christi. *Immissio particulæ in Calicem:* sepulturam Christi. *Agnus Dei ter repetitum:* profectionem trium mulierum ad vngendum Christi Corpus. *Pax quæ datur:* pacem nobis collatam per redemptionem Christi. *Communio:* vnionem Christi cum Ecclesia. *Orationes sequentes:* Ascensionem Christi in Cælum, & sessionem ad dexteram Patris ad interpellandum pro nobis. *Ita Missa est:* aduentum eius in iudicium per turbam Angeli clamantis. *Benedictio:* benedictionem in Iudicio per illa verba. Venite benedicti &c. *In principio:* Confessionem Trinitatis & Incarnationis Christi Domini nostri necessariò habendam ad salutem æternam.

§. 10. *De dispositione necessaria ante Celebrationem.*

CVm Sacrificium Missæ sit Admirabile, Tremendum, Diuinum, infinitiq; valoris vt vidimus, maxima præparatio requiritur ad illius celebrationem, ideo videndum de **Dispositione Celebrantis, Ante, In, & Post celebrationem; & primò quidem de Dispositionibus Ante.**

Dispositiones Ante celebrationem requiruntur in Celebrante triplici ex parte, nempe ex parte Corporis, Ex parte Animæ, Ex parte Temporis.

Ex parte Corporis triplex Dispositio requiritur, scilicet **munditia ab omni inquinamento carnis, Ieiunium, & decens ornatus.**

Quoad

Digitized by Google

Quoad munditiam à carnis inquinamento præsertim à pollutione hæc sunt prænotanda.

Notandum primò pollutionem posse homini contingere dupliciter, Vel omninò præter intentionem, & absque culpa mortali, aut etiam veniali; vt accidit in somnis: Vel ex assensu voluntatis culpabili, siue quis carnalem delectationem directè intendat, siue solùm indirectè non remouẽdo causas. In somnis potest triplici modo cõtingere. Primò si in somno inchoetur, & in eodem consummetur. Secundo si in somno inchoetur, & in vigilia consummetur. Tertiò si pollutio accidat in semiuigilia quando homo neq; omnino dormit, neque omnino vigilat; sed medio modo se habet. In omnibus prædictis casibus si adsit complacentia, semper est culpa, maior minoruè iuxtà magnitudinem complacentiæ: si non adsit, attendendæ sunt causæ de quibus mox dicetur; nam quædam illarum sũt culpabiles, & tenemur illas remouere, quædam non sunt culpabiles.

Notandum secundò causas pollutionis in somnis posse esse tres. Prima Spiritualis: Dæmone commouente phantasmata dormientis ad talem effectum. Secunda animalis: cum de rebus visis, auditis, lectis, cogitatis contingit in somnis sequens pollutio. Tertia corporalis: ex supra abundantia humoris seminalis; vel ex infirmitate & debilitate naturæ, siue virtutis retentiuæ seminis. Ad dignoscendũ igitur quænam pollutio culpa careat, necne, debemus examinare causas illius: si pollutio sit à Dæmone, & non consensimus, immò potiùs nobis illa displicuit, caret culpa. Si sit ex rebus visis, cogitatis, auditis, lectis, distingue: aut istæ causæ sunt licitæ puta quia audit quis Confessiones, legit libros suæ professionis; & tunc etiam caret culpa; nec tenetur dictas causas remouere: aut istæ causæ sunt illicitæ, quia non necessariæ, & tunc in pollutione adest culpa, & tenemur illas causas remouere. Si pollutio sit ex superabundantia humoris semi-

nalis quia homo nimis indulget ventri in cibo & potu, non vacat culpa;& tenetur hanc cauſam remouere magis temperatè viuendo. Si ſit ex debilitate Naturæ & virtutis retentiuæ ſeminis caret culpa. His prænotatis.

Dico primò quoties pollutio in ſomnis ſequuta caret omni culpa, tùm in ſe, quia inuoluntaria, & diſplicuit: tùm in cauſa, quia non proceſſit ex cauſa culpabili: tunc non impedit Sacram Communionem, & Miſſæ Sacrificium. Ratio. Quia talis pollutio cum ſit inculpabilis non relinquit maculam in Anima, neque in corpore, cuius fuit effectus quidam naturalis.

Dico ſecundò. quoties pollutio ſiue in vigilia, ſiue in ſomnis habita eſt culpabilis, vel in ſe quia directè volita, vel in cauſa, quia cauſa culpabilis, & non remouetur; vnde ſequens pollutio cenſetur volita indirectè in cauſa: tunc impedit abſq; dubio Miſſæ Sacrificium & Communionem. Sed ſi accedat debitus dolor & confeſſio, non impedit; & ratio eſt; quia per Sacramentum pœnitentiæ homo recipit gratiam iuſtificantem per quam tollitur omnis macula peccati. Verum quidem eſt, quòd, niſi adſit neceſſitas, vel aliqua rationabilis cauſa, optimũ conſilium eſt abſtinere propter quandam decentiam & ad maiorem reuerẽtiam tanti Sacramenti & Sacrificij.

Dico tertiò. quoties poſt pollutionem oriuntur mane, quo ſacrificandum eſt, vel ſumenda eſt Euchariſtia, mentis diſtractiones, carnis commotiones, & importunæ carnalis delectationis cogitationes, quæ animum perturbant & maculant: tunc ſaltem veniale eſt accedere ad tanta myſteria cum iſtis impedimentis in ſententia omnium Theologorum. Excipiuntur hi caſus. Primò vbi quis experimẽto probauit maiores tentationes pati, & in eadem peccata reincidere, ſi abſtineat. Secundò ſi vrgeat feſtus dies valde ſolemnis, vel tẽpus Iubilæi, ad cuius fructum prærequiritur Sacra Euchariſtia.

stia. Tertiò si vigeat consuetudo, vt illa die omnes Sodales alicuius Congregationis, vel omnes Religiosi alicuius religionis celebrent, vel communicent: tunc ad periculum infamiæ præcauendum licitum est celebrare &c.

Quoad Ieiunium, debet celebraturus accedere ieiunus ita vt illa die nihil cibi aut potus, neq; quidquam actione propria & vitali deglutiuerit & in stomachum traiecerit per modum cibi, vel potus, vel per modum medicinæ, etiamsi postea illud euomat. Porrò dies computatur & incipit à media nocte antecedenti. Qui igitur non ieiunus sciens & volens celebrat vel communicat; quamuis infirmitatis causa ieiuniũ fregerit, peccat mortaliter. Vnde magis rigorosum est hoc ieiunium; quam illud quod præcipit Ecclesia in Quadragesima & alijs anni temporibus, quod medicina non soluit; ideò hoc ieiunium prærequisitum ad communionem, vocatur naturale. Verum quidem est, quòd de illo non extat præceptum diuinũ, vt ait Toletus, sed tantùm Ecclesiæ quæ illud præcipit, tùm propter reuerentiam Sacramenti, tùm propter mysticam significationem, nempe vt significetur primùm à nobis quærendum esse vniri cum Christo in charitate & gratia. Extant tamen casus aliqui, in quibus licet sumere Sacrificium seu Sacrum habere sine ieiunio.

Primò. Cum quis omnino immemor suscepti cibi, aut potus accessit ad altare, & post consecrationem recordatur: tunc non debet desistere sed continuare; quod si ante consecrationem recordetur desistat nisi adsit scandalum circumstantium, tunc enim prosequi debet, nec est peccatum.

Secundò. Si sumpsit Sanguinem, & inuenerit non fuisse Sanguinem, quia vinum non appositum sed aqua, vel acetum: tunc quamuis non ieiunus, debet iterum (ne Sacrificium maneat imperfectum) apponere vinum & aquam; & iterum consecrare incipiendo ab illis verbis *simili modo &c.* vsq; ad illa (*vnde & memores &c.*) & sumere, idem dicendum de ho-

ſtia, ſi inuenerit fuiſſe panem corruptum, debet aliam appo-
ne. e, & incipere ab illis verbis (*qui pridie &c.* vſque ad con-
ſecrationem incluſiuè, & ſumere vtrumque, tamen hoc abſq;
noua eleuatione.

Tertiò. Si poſteaquam ſumpſit ablutionem, inuenerit par-
ticulas Sacramenti in corporalibus, tunc debet ſumere niſi
iam notabile tempus tranſijſſet; puta ſi iam in Sacellum ſe re-
cepiſſet; in hoc enim caſu, cum iam compleuerit ſuum mi-
niſterium, debet in loco ſacro ſeruare vſq; ad alium diem;
vel ab alio Sacerdote debent ſumi.

Quartò. Quando eſſet perficiendum Sacrificium Sacer-
dotis caſu deficientis; & non eſſet copia alterius Sacerdotis
ieiuni.

Quintò. Si immineret periculum ob combuſtionem tem-
pli abſumendi Euchariſtiam: vel irruentibus infidelibus ti-
meretur irreuerentiæ conculcatio, vel proiectio in loca fæti-
da, tunc liceret non ſolùm Sacerdoti ſed etiam Laico non
ieiuno proprijs manibus Sacramentum iſtud conſumere;
quia hoc eſſet conſulere reuerentiæ eiuſdem; & ideo ieiu-
nium inſtitutum ad Sacramenti reuerentiam non debet in
maiorem irreuerentiam conuerti.

Quoad decentem corporis ornatum. Requiritur omnis
honeſtas, & compoſitio, quam paſſim tradunt Doctores &
Patres Spirituales. Poſſet hic moueri particularis difficultas
de pileolo; nempe an liceat Sacerdoti abſq; Papæ diſpenſa-
tione vti in Miſſa pileolo ad tuendam valetudinem? cui re-
ſpondemus certum eſſe imprimis à conſecratione vſq; ad
ſumptionem, neq; à Papa id diſpenſari, eò quòd cedat in
magnam Sacramenti irreuerentiam, quod ſeruus aperto ca-
pite cum Domino ſuo pertractet.

Deinde dicimus à ſolo Papa poſſe diſpenſari vſum pileoli
ante conſecrationem per decreta Sac. Cong. Rituum, quæ
refert noſter Gauantus in Coent. ſupra Rubr. Miſſalis part. 2.
tit.

tit. 2. verſ. *Verum Sedi Apoſtolicæ*. Si quis autem abiq; diſpenſatione celebraret cum pileolo, in ſententia aliquorum excuſaretur à mortali ſi id faceret abſq; ſcandalo, & contemptu, & cum iuſta cauſa, puta ob nimiam regionis frigiditatem; vel capitis debilitatem; vel ſenectutem; vel caluitium; vel deformitatem aliquam, vel aliam iuſtam cauſam. Et ratio ipſorum eſt, quia decreta Sacr. Cong. ſunt directiua non præceptiua, cum non vtantur verbis præceptiuis.

Ex parte Animæ triplex etiam Diſpoſitio requiritur ſcilicet Puritas mentis. Preces recitatæ. Actus Deuotionis.

Quoad mentis Puritatem. Hæc includit duo. Primò Purificationem conſcientiæ ab omni labe peccati. Secundò Simplicitatem intentionis.

Purificatio Conſcientiæ requiritur per Sacramentalem Confeſſionem ſi quis habeat conſcientiam lethalis culpæ. De Confeſſione egimus ſupra cap. anteced. Nec ſufficit dolor de peccatis. Nam Diuus Paulus 1. ad Cor. 11. dum ait de hoc myſterio, inquit *Probet autem ſeipſum Homo, & ſic de pane illo edat & de Calice bibat* quam probationem Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. Can. 11. ait. debere fieri per Sacramentalem Cōfeſſionem. Excipit Trid. ab hac regula hunc caſum, nimirum quando deeſt copia Confeſſarij. inquit enim, *Modo non deſit illis copia Confeſſarij: quod ſi neceſſitate vrgente Sacerdos abſq; Confeſſione celebrauerit quamprimum confiteatur*. Multipliciter autem poteſt intelligi deeſſe copiam Confeſſarij. Primò ſi omnino deſit. Secundò ſi deſit moraliter, id eſt, vel non poſſit vocari ob diſtantiam; vel non ſine graui incommodo: vel non ſit approbatus in tali Epiſcopatu: vel non intelligat idioma; vel ſi idem Confeſſarius ſit excommunicatus vitandus: vel probabiliter dubitetur de eius ſcientia neceſſaria: vel quod non ſit ſeruaturus ſigillum. Tertiò ſi pœnitens timeat ſibi, aut proximo aliquod ſpirituale, aut temporale damnum in bonis vitæ, famæ, fortunæ, in electione ad officia,

ficia, & dignitates: vel non habeat cum Confeſſario, cuius copiã habet, animi coniunctionem, ſed rixas. Per illa etiam verba *neceſsitate vrgẽte* multi caſus intelligũtur à Doctoribus.

Primus. Quando deficiente Confeſſario, & Euchariſtia Parochus celebraret ad effectum miniſtrandi viaticum infirmo morti proximo.

Secundus. Quando Parochus die feſto debet celebrare ne Parochiani Miſſa careant. Non eſt autem eadem ratio de non Parocho, nam iuxtà probabiliorem ſententiam non tenetur Sacerdos non Parochus celebrare cum conſcientia peccati mortalis & non præmiſſa Confeſſione, ad hoc vt ipſe & alij ſatis faciant præcepto audiendi Miſſam. Et ratio eſt, quia vbi concurrunt duo præcepta, humanum ſcilicet & diuinum, quæ obſeruari ſimul eodem tempore non poſſunt, certè diuinum eſt humano præferendum: ſed præceptum de præmittenda Confeſſione eſt diuinum iuxtà probabiliorẽ ſententiam per illa verba Diui Pauli. *probat autem &c.* per quæ verba Trid. nullam nouam hac in re legem promulgauit, ſed ipſum ius diuinũ explicauit, ſic intellecto Diui Pauli loco; ergo non licebit non Parocho celebrare vt ipſe vel alij Miſſam in die feſto audiant.

Tertius Caſus eſt, quando omittendo celebrare, vel communicare eſſet periculum infamiæ, vel ſcandali, vel grauis admirationis, quæ moraliter loquendo ſemper eſt coniuncta cum aliquo periculo murmurationis & infamiæ.

Quartus. Quando eſt conſuetudo dicendi Sacrum ad ſepeliendum defunctum: & ſi omitteret, vel aliquam infamiam Sacerdos ſuo nomini compararet, vel defunctum fructu Sacrificij conſueto priuaret.

Quintus. Eſt inchoatio Miſſæ. Sed hic diſtinguendum; vel Sacerdos recordatur peccati mortalis poſt Cõſecrationem; & tũc tenetur proſequi Miſſam, & ſufficit quod doleat, quia præceptum conſumandi Sacrificium eſt fortius illo altero:

vel

vel recordatur ante consecrationem; & tunc si commodè potest recedere absque admiratione & scandalo, tenetur id facere & confiteri: quod si scandalum subsit, doleat & prosequatur Missam cum proposito confitendi post Missam; securè tamen potest continuare Missam quãdo iã incæpit, nec potest confiteri. Idem dicendum de eo, cui subit in mentem excommunicatio; vel aliud impedimentum; tunc enim potest continuare, nec incurrit irregularitatem.

Simplicitas etiam intentionis requiritur, ita vt Sacerdos non accedat ad celebrandum vel ob lucrum temporale: vel vt appareat deuotus: vel ob vanam gloriam: vel ad captandam beneuolentiam astantium: vel ob alium finem temporalem & prauum: vel ob solam consuetudinem: sed solùm ad gloriam DEI, & vtilitatem Ecclesiæ, & sui ipsius. Extat oratio ad formandam intentionem dicenda ante Missam, quæ solet haberi communiter in Sacrarijs, & illam deuote recitanti Greg. 13. concessit 80. annos Indulgentiæ. Tenor illius est vt sequitur. *Ego volo Celebrare Missam, & conficere Corpus & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi iuxtà ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ad laudem omnipotentis Dei, totiusq; Curiæ triumphantis, ad vtilitatem meam totiusq; Curiæ militantis, pro omnibus qui se commendauerunt orationibus meis in genere, vel in specie.*

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam & consolationem Sancti Spiritus, perseuerantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus. Amen.

Quoad recitationem precum. Per preces hic intelligimus Officium diuinum quoad Matutinum. Igitur ante celebrationem debet Sacerdos persoluisse matutinas preces. Habetur hoc in Rubricis Missalis his verbis. *Vt sacerdotes prauia Confessione cum opus fuerit, & saltem Matutino cum Laudibus absoluto orationi aliquantulum vacent priusquam Missam celebrent.* Controuertitur tamen valdè inter Doctores. An omissio Matutini

tutini ante Sacrum sit lethifera & inducat peccatum mortale ? Ne tamen sit æquiuocatio in verbis quæstionis, certa ab incertis seiungamus. Hæc igitur sunt certa apud omnes. Primum esse peccatum mortale facere Sacrum solemne ante Matutinas preces in Choro decantatas, immò ante Primam; quia talis omissio est contra inueteratam consuetudinem omnium Ecclesiarum in materia graui. Secundum Vrgente legitima causa esse licitum celebrare ante Matutinum, vt si Ecclesiã ingrederetur Princeps, Prælatus &c. causa audiendi Sacrum: vel si celebrans valdè mane aggressurus esset iter, habiturus esset concionẽ, lectionẽ, & similes essẽt causæ. Tertium esse saltem veniale, absque vlla causa rationabili celebrare ante Matutinum ; quia fit contra Rubricas. Punctum igitur quæstionis stat in hoc. An Matutinum sit recitandum à celebrante ante Sacrum sub mortali.

Vtraque opinio Doctorum propter auctoritatem est probabilis; affirmatiua est nimis rigida, negatiua mitior, & hac tempestate magis recepta, vnusquisq; sequatur quã iibuerit.

Quoad Actus Deuotionis. Hi actus quamuis sint plurimi, & plures hic possent recenseri: omnes tamen ad duos principales reducuntur tanquam ad radices & fontes cæterorũ. Sunt autem, Primus, Timor, & reuerentia Maiestatis Diuinæ. Secundus, Amor & fiducia misericordiæ & benignitatis illius. Hi duo actus; hæ duæ affectiones semper debent simul iungi; earum quippe disiunctio sine periculo esse non potest. Nam si consideret homo tantùm Maiestatem & Iustitiam Dei, & excitet in se solum timorem; periculum est ne labatur in desperationem salutis. Et si consideret tantùm Misericordiam & Benignitatem diuinam, ac proinde excitet in se solam fiduciam, periculum est ne efferat se in præsumptionem.

Hinc pijssimus Bernardus in quodam sermone super cãtica luculenter ostendit quam sit necessarium, vt duo isti affectus simul iungantur: atque hoc asserit declarando quomodo debea-

beamus adorare & oſculari pedes Saluatoris dicit porrò in hunc modum:[Magnus fructus eſt in primo oſculo, quod ad pedes Domini accipitur; tamen curato vt neutro fraudaris illorum: ſi enim iam dolore peccati, & Iudicis timore compungeris, veritatis & iudicij veſtigio labia impreſſiſti. Quod ſi timorem diuinæ intuitu bonitatis, & ſpe conſequendæ indulgentiæ temperas, etiam miſericordiæ pedem amplecti te noueris: alioquin alterum ſine altero oſculari non expedit: quia & recordatio illius iudicij in barathrum deſperationis præcipitat, & miſericordiæ fallax aſſentatio peſſimam generat ſecuritatem. Datum eſt & mihi miſero nonnunquam ſedere ſecus pedes Domini IESV, & modò hunc, modò illum tota deuotione amplecti, in quantum me ſua benignitas dignabatur admittere. At ſi quando miſerationis eius oblitus, ſtimulante conſcientia, iudicio paulo diutius inhærerem, mox metu incredibili, ac miſerabile confuſione deiectus & tenebroſo circumfuſus horrore, hoc ſolùm palpitans de profundis clamabam. Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Quòd ſi eo relicto pedem miſericordiæ plus amplecti contigerit, tanta è contrario incuria diſſoluebar, vt confeſtim & oratio tepidior, & actio pigrior, & riſus promptior, & ſermo incautior, & omnis denique hominis ſtatus inconſtantior appareret. Proinde magiſtra inſtructus experientia non iudicium ſolùm, aut ſolam miſericordiam; ſed miſericordiam pariter & iudicium cantabo tibi Domine: cantabiles mihi erunt ambæ pariter iuſtificationes iſtæ in loco peregrinationis meæ, quouſq; miſericordia ſuper exaltata iudicio miſeria conticeſcat, vt ſola tibi cantet gloria mea & non compungar.] *Hucuſq; Bernhar. 6. ſuper Cant. in fin.* qui ſatis elegãter, ac doctè oſtẽdit quantũ referat, vt hæduæ affectiones Timoris & Amoris cõiũctæ ſint; & quãtum immineat periculi ſi à ſe mutuo ſeparẽtur. Quamuis autem vtraq; affectio, & conſideratio prodeſſe queat omnibus

vtriuſq; ſexus: fidelib. Sacerdotib. tamen maximè & ſingulari quadam ratione, vt accedentes ad Sacroſanctũ Miſſæ Sacrificium: ex vna parte humilitate, timore & reuerentia ducantur conſiderando Supremam Dei Maieſtatem, quæ veraciter continetur Sanctiſſimo illo Sacramento: Ex altera parte accedant ad eundem auctorem omnium magno amore, grandi fiducia de benignitate eius & miſericordia, quæ ſicut in omnibus ita in hoc opere vehementer eluceſcit. Atq; ex hiſce affectionibus duabus velut radicibus innumeri dimanãt virtutum actus, qui ornant animũ eumq; cõponunt vt ipſo Deo dignè paſcatur. Pro aſſequenda deuotione, & affectibus, de quibus agimus plurimæ orationes virorum illuſtrium reperiuntur. Sanctus Ambroſius tom. 4. duas ponit. Sanctus Thomas Aquinas alteram, quæ ante Miſſam dicendæ ſunt, & in Miſſali habentur. Et in libello qui plenus eſt ſpiritu, & ſapientia, quem vocant de Imitatione Chriſti, deque mundi vanitatum contemptu parte 4. deuotiſſimæ ſunt orationes & contemplationes Sanctiſſimi Sacramenti: & in memoriali R. P. F. Ludouici Granatenſis inuenies luculentas &c. quæ legentibus magno erunt emolumento, cum efficaces conceptus & rationes complectantur, quibus deuotiõ valeat excitari. Sed omnes eiuſmodi orationes quantumuis eleganter compoſitæ hoc habent incommodi, quòd ſi continuò aliquot diebus recitentur, ex illa conſuetudine guſtum perdant & attentionem ad ſenſum verborum, qui maximè intenditur. Vnde vtilius multò erit nonnullas conſiderationes mente complecti; ijſdemque exerceri per formam Meditationis: & quilibet has inſtituat ea ratione, quam ex affectionis præſcripto, & ſpiritu docente optimam iudicarit. Experientia enim ipſa docuit eas orationes, quas vnuſquiſque ſuo modo inſtituit, longè maioris vtilitatis eſſe (licet careant elegantia, & eruditione) quàm aliorum auctorum quantumuis elegantes & doctas. Nihilominus ſi quis cuperet habere Meditatio-

tationes distinctas pro singulis Hebdomadæ diebus ; posset vti deuoto opusculo R. P. F. Antonij de Molina de Institutione Sacerdotum.

Ex parte Temporis potest esse sermo, vel de hora , vel de die. Si sermo sit de Hora. Dico cum communi Doctorum sententia horam celebrandi computari ab Aurora vsque ad Meridiem. Igitur ante Auroram celebrare (extra festum Natiuitatis quoad primam Missam ex tribus quę illo die dicuntur) graue esset peccatum. Ratio. quia hoc Sacramentum ad tempus gratiæ pertinet, quod per diem significatur , secundùm illud ad Rom. 13. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit &c.* Nomine autem auroræ intelligitur initium crepusculi, seu prima Solis radiatio antequam Solare corpus in nostro Horizonte appareat. Itaq; iuxtà probabiliorem & tutiorem opinionem initium auroræ debet esse initium Missæ, quamuis inspectando ipso auroræ initio non sit res mathematicè sed moraliter dimetienda . Limitatur dictum primò in locis vbi est consuetudo celebrandi tribus vel quatuor horis ante Solis ortum hyemis tempore, vt est in Gallia, Germania, Belgio. Secundò In Parocho qui cogitur celebrare ad communicandum infirmũ , præualet enim salus infirmi huic præcepto. Tertiò In Episcopo iter habente , & multò magis in Cardinalibus, quamuis iter non faciant. Quartò in habentibus speciale priuilegium. Similiter post meridiem non est licitum celebrare , exceptis casibus in prædictis limitationibus. Insuper in funere Regis, vel Ducis. In Sabbatho Sancto tùm propter prolixitatem cæremoniarum illius diei; tum quia illa Missa antiquitus dicebatur prope mediam noctem eiusdem Sabbathi. Insuper in Sabbathis ordinationum. Item propter publicam concionem, ne pars populi priuetur Missa. Item in festo solemni propter eandem rationem. Item in causa itineris si occurrat necessitas celebrandi in die festo post meridiem, dummodo horæ spatium non excedatur.

Si sermo sit de Die. Singulis diebus licitum est vna vice celebrare. Difficultas est de triduo Hebdomadæ Sanctæ, id est fer. 5. & Sabbatho Sancto. Circa feriam. 6. in Parasceue omnes conueniunt non licere Sacerdotibus celebrare. Tatio. quia illa die non fit Missæ Sacrificium ab ipso celebrante, vt enim ait Hugo de Sancto Victore, *Non sacrificant amici dum trucidant inimici.* proinde celebrans non consecrat: sed consecratam hostiam & asseruatam consumit. Circa fer. 5. in Cæna Domini, & Sabbathum Sanctum dissident Doctores; omnes tamen se referunt ad locorum consuetudinem. In Archidiæcesi Pragensi extant decreta Synodalia id prohibentia in præcitato loco de Sanctissimo Missæ Sacrificio.

Et hæc satis sint dicta de dispositione quæ requiritur in celebrante ante celebrationem; consistit enim vt dictum est in tribus scilicet, Ex parte Corporis: Ex parte Animæ: Ex parte Temporis. Ex parte quidem Corporis, Munditia, Ieiunium, Ornatus. Ex parte Animæ, Confessio, Intentio, Preces, Oratio. Ex parte Temporis, Hora, Dies.

§. 11. *De Dispositione necessaria in ipsa Celebratione.*

DIspositio necessaria in ipsa celebratione potest attendi quoad quinque. Nempe primò quoad locum. Secundò quoad vestimenta. Tertiò quoad Altare. Quartò quoad Ministrum. Quintò quoad modum.

Quoad locum multa requiruntur ad aptitudinem loci vt possit in eo celebrari Sacrum; sed præsertim quatuor, nimirum primò vt locus sit consecratus, aut saltem benedictus. Secundò vt non sit interdictus. Tertiò vt non sit pollutus. Quartò vt non sit obnoxius periculis effusionis sanguinis.

Primò igitur locus debet esse consecratus aut saltem benedictus. Ante Trid. poterant Episcopi concedere facultatem celebrandi in locis non Sacris; & in priuatis domibus cap. Mis-

Missarum de Consecrati: dist. 5. ibi. *In locis ab Episcopo consecratis, vel vbi permiserit.* Sed hæc facultas videtur illis nunc sublata à Trid. sess. 22. de obseruandis & vitandis in celebratione Missarum per hæc verba, [Præcipit Sacra Synodus Episcopis ne patiantur priuatis in domibus atq; omnino extra Ecclesiam & ad diuinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eisdem ordinarijs designãda, & visitanda Sanctũ hoc Sacrificiũ a Secularibus aut Regularibus quibuscunq; peragi, non obstãtibus priuilegijs aut exẽptionibus quibuscunque] Ex quibus verbis duo colliguntur; Primò, restrictam esse potestatem Episcoporum in hac parte. Secundò posse quidem Episcopum dare facultatem celebrandi in Oratorio priuato dummodo prius designetur & visitationi eiusdem subiaceat.

Secundò. Vt locus non sit interdictus, alias incurritur Irregularitas cum peccato.

Tertiò. Vt locus non sit pollutus seu violatus, quinque autem casibus violatur seu polluitur Ecclesia. Primus est quando in ea sanguis humanus in quantitate notabili ex iniuria effunditur. Secundus quando in ea occiditur aliquis, etiamsi sanguis non effundatur, veluti si laqueo suspendatur, aut aliter citra sanguinis effusionem violenter & cum iniuria occidatur, siue ab alio, siue etiam à se ipso si est compos mentis ita vt iniuriam sibi ipsi, & peccatum commisisse dici possit. Tertius quando humanum semen in Ecclesia criminosè, & notorie est effusum. Quartus quando in Ecclesia excõmunicati alicuius, aut Hæretici, vel cuiuscunq; infidèlis corpus est sepultum. Quintus quando Ecclesia fuit ab excommunicato Episcopo consecrata, si videlicet notoriè erat excommunicatus.

Posset tamen Episcopus ex causa dare facultatem, vt in polluta Ecclesia celebretur antequam reconcilietur. Quinimmò tanta posset esse necessitas, vt si Episcopus accersiri

non

non posset, absq; alia eiusdem licentia, adhuc Sacra licerent, quomodo excusaretur qui in Anglia, Gallia, Germania in violata Ecclesia ex causa sepulturæ Hæretici Missam celebraret. Quamuis in polluta Ecclesia Sacramenta ministrari non possint, & multò minus celebrari, si tamen Ecclesia sit Parochialis licitum erit in ea celebrare & seruare Eucharistiam pro communicandis infirmis.

Quartò vt locus nō sit obnoxius effusioni sanguinis. Christi Quare Doctores communiter dicunt non esse licitum sacrificare in mari, vel in flumine. Nihilominus quidā Auctor refert Clementem VIII. & Paulum V. concessisse nauigantibus in Indiam vt sereno Cælo, & tranquillo mari in onerarijs Missas facere possent.

Quoad vestimenta vt sint apta debet attendi qualitas & quantitas. *Qualitas* triplex est. Prima Benedictio: vt scilicet vestes sint Benedictæ ab Episcopo, vel Abbate; vel ab habēte similem potestatē, quales sunt aliqui Superiores Religiosorum. Secūda Munditia: celebrare enim cum immundis notabiliter vestibus esset mortale; & magna irreuerentia fieret mundissimo Sacramento. Tertia Integritas: vt vestes non sint dilaceratæ notabiliter. In quo profecto magna est apud multos incuria. Prædicta integritas, & munditia necessaria est in his etiam, quæ in Altari sunt, in Corporalibus, in Purificatorijs, in Mappis, & in reliquis.

Quantitas vestium Sacerdotalium est vt sint numero sex; in quo notatur perfectio. Est enim senarius numerus perfectus, sex enim diebus cuncta Deus creauit, sexta ætate redemit mundum; & sex voluit in suo ministerio vestes, sunt autem *Amictus*, *Alba*, *Cingulum*, *Manipulus*, *Stola*, *Casula seu Planeta* quæ non carent magnis mysterijs & mysticis significationibus ex Toleto lib. 2. cap. 2.

Amictus, (si significatio sumatur à Christo Domino; quem Sacerdos repræsentat) significat velamen, quod Iudæi ante

oculos Domini posuerunt cum eum alapis percutiebant. Vt autem ad mores referatur, significat fidem, quæ est primum fundamentum Religionis Christianæ quæ non in euidentia credendorum, sed in voluntaria intellectus captiuitate consistat: ob id optimè per velamen oculorum repræsentatur. Solet Amictus quoddam additum habere ornamentum, quod significat spem bonorum æternorum qua fulciri debemus in omnibus præsentis vitæ calamitatibus: ob id vocatur galea salutis. Amictus iste à capite in humeros & deorsum descendit, per quod significantur opera, quæ debent coniuncta esse cum fide. In humeris enim, & dorso fortitudo laboris consistit. Ab isto duæ Cordulæ descendunt in pectus per modum crucis, quæ intentionem operum in Deo ponendam ostendunt.

Alba, vestis est illa longa, talaris, & ampla, quæ significat vestem illam lõgam albam, qua Herodes induit Regem gloriæ Christum in signum amentiæ, ob idq; erat longa, vt gressu hominis impedito huc illucq; caderet, omnibusq; in derisum esset. Circa mores significat vniuersalem Iustitiam, quæ debet esse in omni opere Sacerdotis, vt quidquid faciat & operetur conforme sit rationi & voluntati diuinæ. Et eius largitas significat amplitudinem operum Sacerdotis, quæ multa & magna, & conuenientissimè facta esse debeant. Insuper hæc vestis debet esse linea aut bissina, non ex animalium pellibus & setis; nam pellibus indutus est Adam post peccatum, quia factus est vt iumentum; hæc autem vestis ex lino, quod ex herbis fit, ad significandam morum viriditatem, & vigorem. Porrò Albedo Innocentiam & vitam immaculatam denotat.

Cingulum, per renes, quo tota Alba comprimitur, significat primum ligamen, quo Iudæi in horto Christum comprehendentes ligarunt. Circa mores significat charitatem quæ cum omni opere Sacerdotis coniuncta esse debet. Hæc enim

valde

valde placet. Et nota quod Cingulum Pontificis habet à læua parte duplex cinctorium dependens, in quo notatur quod caſtitas maximè in ieiunio & oratione conſeruatur & acquiritur.

Manipulus, ſignificat ſecundum ligamen Chriſti, quo in columna ligatus eſt, ponituṙq; in læuo brachio, quod denotat amorem intimum cordis quo Chriſtus paſſionem pertulit, quia cor ad læuam vergit partem, & Sacerdos profitetur ſe ſimili amore reſponſurum ipſi Chriſto. Circa mores ſignificat pœnitentiam, quæ in hac vita, quæ per læuam partem ſignificatur, debet haberi cui pœnitentiæ poſtea reſpondet manipulus retributionis iuxtà illud *euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos*. ſolus Pontifex poſt caſulam ſumit Manipulum vt figuret Chriſtum, cuius opera non fuerunt ante charitatem & gratiam, quia ex ſumma gratia operatus eſt, nec ſibi ſed nobis meruit. Nos autem per pœnitentiam ad charitatem venimus, ob id alij Sacerdotes Manipulum ante Caſulam induunt.

Stola, ſignificat vltimum ligamen Chriſti, quo ad crucifigendum ductus eſt. Circa mores ſignificat in Sacerdote iugum legis Dominicæ quod debet ipſe ferre, ob id ſuper collum eſt. Eſt etiam ſuper vtrumq; humerum vt denotet obedientiam, & patientiam, quibus iugum portari debet. Deſcendunt etiam inferius partes duæ ad ſignificandum prudentiam, & temperantiam. Et extremitates ſunt propè terram ad ſignificandam perſeuerantiam. Et notandum quod Diaconus habet Stolam, ſed tantum in læuo humero, per quod notatur vita actiua; quia ille eſt deputatus tantum ad miniſtrandum: Sacerdos autem habet in vtroque, vt complectatur vtramq; vitam, actiuam ſcilicet & contemplatiuam.

Caſula, ſiue *Planeta* ſignificat tunicam inconſutilem Chriſti; ſeu etiam indumẽtum purpureum, quo indutus eſt Chriſtus

ſtus in domo Piſati. Circa mores ſignificat charitatem, quæ præcipua virtus, eſt, & hæc coniungitur cum amictu, vt denotet fidem coniunctam eſſe debere cum charitate. Hæc veſtis partem anteriorem habet anguſtam, & partem poſteriorem latam, per quod denotatur quod Charitas eſt circa Deum & proximum; ſed circa Deum vnum tantùm, ob id anguſta eſt pars anterior; non enim pluralitas eſt Deorum: latitudo poſterioris notat amplitudinem Chriſtianæ charitatis, quæ ſe extendit ad amicos, & ad inimicos, & eſt longior, quia ſe extendit etiam ad mortuos. Significat etiam duos ſtatus, quibus homines ſaluantur ſcilicet, & ante gratiam, & poſt: ſed prior erat anguſtus; quia non ita diuina gratia, nec diuina remedia abundabāt; ſicut modo in poſteriori ſtatu poſt Chriſtum abundant. Prædicta ſunt veſtimenta ordinaria cuiuſq; Sacerdotis.

Quoad Altare. Multa requiruntur vt Altare ſi paratum pro celebratione, videlicet Ara, Mappa, Corporalia, Vaſa, Liber, Candelæ.

Ara debet neceſſariò adeſſe, ſine qua conſecrare eſſet mortale crimen., debet eſſe lapidea, & non ex alia materia cap. Altaria de conſecr. diſt. 5. debet eſſe integra, non notabiliter rupta cap. 1. & 3. de conſecr. debet eſſe conſecrata, aliàs ſuper illam nullo modo celebrare licet, neq; in hoc poteſt Epiſcopus diſpenſare. Debet eſſe capax vt hoſtiam, & Calicem capiat. Ara ſignificat Crucem, in qua immolatus eſt Chriſtus: eſt autem lapidea ad denotandum Chriſtum eſſe petram Spiritualem. Nota tamen ſi Altare eſt conſecratum, non eſt neceſſaria alia Ara.

Mappæ debent eſſe ad minimum duæ ſeu vna duplicata. dixi ad minimum, quia ordinariè loquendo debent eſſe tres, & Synodus Pragenſis præſcribit loco ſupracitato.

Corporalia benedicta & linea, & nullo modo ſerica, quia Dominus in Syndone linea inuolutus eſt.

Vasa, scilicet Calix & Patena, debent esse vel aurea, vel argentea, vel saltem stannea modò sint deaurata, vt supra dictum ex Synodo Pragensi: ex alia materia esse non debent, quamuis olim linea esse solerent cap. illi. de celebr. Missa. Nunc deponitur ab officio, & beneficio, qui in vase ligneo consecrat. Insuper debent esse consecrata. Calix significat sepulchrum Christi. Patena, lapidem superpositum.

Liber missalis est necessarius, saltem is, in quo continetur Canon, & sine illo celebrare peccatum esset mortale.

Candelæ accensæ sunt necessariæ, sine quibus vel saltem vna mortale esset celebrare. Significat autẽ lumen accensum diuinitatem immortalem & semper existentem, & deponitur Sacerdos ab officio & beneficio, qui sine lumine celebrat cap. fin. de celebrat. Miss. Nec est necessarium lumen ex cera, quamuis securius est *ipso vti*: Prædicta omnia sunt de iure positiuo, in quibus potest Papa dispensare.

Quoad Ministrum. Est necessarius Minister cap. hoc autem de consecr. dist. 1. vbi duo ponuntur. Sed ex consuetudine iam sufficit vnus; & debet esse vir non fœmina vt habetur cap. 1. de consecr. Cler. Nam non licet fœminæ, etiamsi monialis sit, tangere vasa sacra, vel corporalia, vel pallas, nec incensum circa Altare deferre vt habetur cap. Sacratas dist. 23.

Quoad Modum. Hic modus potest attendi, tùm immediatè ante celebrationem: tùm in ipsa celebratione Missæ.

Immediatè ante Celebrationem. Dum se vestiet Sacerdos ad Missam existimabit se præparari ad celebrandũ diuinæ Incarnationis, & Redemptionis mysterium: esse se inuitatum ad nuptias Christi, & Ecclesiæ, atq; illis Sacerdotalibus se indui ornamentis ne inueniatur sine veste nuptiali: se veniisse ad domum parentis velut alterum prodigum omnino nudatum, ac derelictum; cum omnes opes dissiparit: exceptum verò esse à Patre pijssimo magna eiusdem lætitia, quã

di-

dixerit. (*citò proferte ſtolam primam, & induite illum*) oret vt Pater pijſſimus det illi omne quod externis illis veſtibus ſignificatur vt ſupra diximus. Deinde dum ſe induit, recitet orationes præſcriptas ab Eccleſia, & quæ habentur in Miſſali ad quodlibet indumentum, & mente reuoluat (quantum ſpiritus & deuotio ſuggerit) ſignificata illorum cum deſiderio obtinendi virtutes illis indumentis expreſſas. Indutus poſtmodum Sacris veſtibus eleuet mentem in Deum, & obſecret vt non attendat ad eum qui talibus indutus eſt: ſed ad illum quem repræſentat, & cuius ſunt hæc ornamenta: ac per amorem, quo erga illum fertur, impertiat ſibi benedictionem Filij maximè dilecti.

Synodus Pragenſis de hac re ita præſcribit. [Attentè recogitet Sacerdos, ac piè meditetur myſterij quod tractaturus eſt altitudinem, atq; excellentiam, propriamq; ſui ipſius miſeriam ac vilitatem, & ſuum in diligẽdo Deo torporem; totumq; ſe in immenſam miſericordiam proijciens interno cordis clamore ſe tanto hoſpite indignum eſſe cognoſcat, & coram Domino ex præcordijs fateatur.]

In ipſa celebratione quomodo gerere ſe debeat Sacerdos ita præſcribit dicta Synodus. *In Miſſa* inquit, *celebratione omnia ſ. dicè, grauiter, ac diſtinctè pronunciare ſtudeat, nimiam quidem fugiens prolixitatem, atque in primis properam, ac indecentem celeritatem.*

Nos (vt omnis modus tenendus in celebratione facilius memoriæ mandetur, ac retineatur) proponimus quatuor primas literas Alphabeti nempe A. B. C. D. in quibus includitur omnis modus ita vt A. ſignificet Attentè, B. Benè, C. Clarè, D. Deuotè.

Attentè ad verba, ad ſenſum, ad IESVM Chriſtum. Illum reſpiciendo ante Conſecrationem, vt ſupremum Dominum & Deum, cui miniſtrandum eſt, & cui Sacrificium iſtud tanquam obſequium offerendum. Illum conſpiciendo in-

§. 12. *De Dispositione necessaria post ipsam Celebrationem.*

DIspositio post ipsam Celebrationem est duplex, *Altera Proxima, Altera Remota.*

Proxima consistit in hoc, vt Sacerdos conetur semper in his quatuor punctis sese exercere, plus minusue temporis impendendo prout oportunitas edocebit. Primò gratias agat pro beneficijs acceptis. Secundò veniam postulet pro commissis defectibus. Tertiò Cælestem sibi gratiam deprecetur. Quartò offerat Patri Filium cum omni cumulo meritorum.

Quoad primum sub Missa considerare eum oportet, quàm sit insufficiens ad reddendam Deo gratiarum actionem pro tam immenso beneficio, vnde omnibus votis exoptet, vt pro hoc eum collaudent omnes Creaturæ, & ad dandas gratias illi opitulentur. Offerat Deo omnes laudes, quas iam inde à mundi principio illæ dederunt, quasque daturæ sunt in longissimam æternitatem. Primò quidem illas, quas dedit Sacratissima Saluatoris Humanitas in puncto Incarnationis, totoq; vitæ decursu, & maximè cum hoc Sanctissimum condidit Sacramentum; quia tunc optimè cognouit grande beneficium, quod tam in vno, quàm in altero homines recipiebant. Vnde videns nullos sufficere pro reddenda gratiarum actione, ipse velut caput totius generis humani, omnium nomine gratias retulit, & perfectissimas laudes Patri æterno atq; Sanctissimæ Trinitati. Secundò illas offerat, quas dedit Saluatori Sanctissima Deipara, cum eum suis ipsa visceribus concepit, & quas toto vitæ suo curriculo, potissimum quoties illum iam existentē in Cęlis in Sanctis. Sacramēto excepit. Tertiò quas dederunt omnes Sancti & Sanctæ dum in terris versati sunt in sumptione eiusdem Sacramenti, & præcipuè quas nunc refert in gloria omnis exercitus Beatorum.

rum. Quartò illas, quas in mundo ij qui ritè & cum fructu Sacratissimum excipiunt Sacramentum. Harum omnium laudum participem se faciat tanquam membrum Ecclesiæ, atq; desideret vehementer Dominum laudare omnium cordibus atq; linguis, & fateatur, quamuis cūctorum laudes ipse vnus haberet, adhuc tore se imparem ac debitorem tantis meritis tantæq; bonitati (quia maior omni laude) pro quo defectu supplēdo optet vt ipse Deus se ipsum laudet, & laudibus prosequatur. Solus enim est qui id affatim præstare possit.

Quoad secundum Humillimè roget veniam omnium delictorum præcipuè quod sæpiùs illum indignè receperit in Sanctissimo Sacramento. Ac singulatim de modica dispositione, qua nunc eum excepit, deq; omnibus defectibus, quos in Missa commisit.

Quoad tertium. ea petat beneficia, quæ labores, maximè quibus affligitur, leuare possint. Petat confidenter omne id, quod voluerit, quia ille nihil negabit, qui se in cibum dedit. Quando autem nihil sciet in singulari petere, obsecret Deum, (cum nouerit ipse fines, ob quos hoc Sacramentum institutum est, & effectus, qui hoc mediante in anima produci possunt) vt ipse hos in mēte peccatoris operetur, prout ei videbitur conuenire, nec permittat vt vel defectu dispositionis fructu careat Sacramenti.

Quoad quartum. Cum Christus Dominus in Sanctissimo Sacramento seipsum consignet in potestatē recipientis omni cum thesauro meritorum; adeo vt quidquid fecerit ipse, & passus est, tunc ille possideat tanquam rem suam: nō enim minus nostrum est quod datur gratis; quàm quod nostris laboribus comparamus. Iustum est igitur vt recipiens offerat ipsum Christum cum tam ingenti thesauro, quo potitur, æterno Patri, tanquam donum infinitæ dignitatis, & valoris, & summè gratum: vt defectus suppleantur, vt peccata dimittantur, vt pœnæ relaxentur, & beneficia compensen-

tur

tur, vt pericula euitentur, vt mala præcaueantur, vt tentationes superentur, vt miseriæ subleuentur, deniq; vt omnia auxilia concedantur quæ necessaria sunt ad salutem æternam comparandam: Et hæc omnia tam pro se ipso, quàm pro Parentibus, cognatis, amicis, inimicis, benefactoribus, & pro omnibus fidelibus Christianis viuis atq; defunctis.

Remota Dispositio consistit in hoc, vt Sacerdos circa exercitium huius muneris celebrandi fugiat duo extrema. Primum vt non sit valdè rarus in celebrando. Secundum vt non sit adeò frequens vt celebret pluries in die.

Quoad primum de raritate. Consultum & valdè decens est vt Sacerdos (per se loquendo) quotidie sacrificet; Est enim Minister ad hoc publicè ex officio ab Ecclesia deputatus: & non celebrando, cum possit, deest muneri suo. Vnde Venerabilis Beda communiter relatus sic ait. [Sacerdos non legitimè impeditus celebrare omittens quantum in eo est priuat Sanctissimam Trinitatem laude, & gloria: Angelos lætitia: peccatores venia: iustos subsidio, & gratia: in purgatorio existens refrigerio: Ecclesiam speciali Christi beneficio: & seipsum medicina ac remedio.] Etenim Sacrificium nouæ legis suapte institutione non arctatur loco, & tempore sicut Iudaicum, sed iuge, ac continuum esse debet, vt omni die, ac loco offeratur sicuti prædixit Daniel Propheta cap. 12. & Malach. cap. 1. Non negarem tamen, si Sacerdos non bene dispositum se sentiret, melius esse ob Sacramenti reuerentiam a sacrificando abstinere: immò si semel in Hebdomada quis abstineret ob reuerentiam & ad concipiendam maiorem deuotionem, esset fortè potius laudabile, quam damnabile; quia etiam in obligatione celebrandi quotidianam Missam potest Sacerdos, qui talem obligationem suscipit, semel in hebdomada vacare ob honestatem ac Sacramenti venerationem. *Ita Doctores communiter per cap. quotidie de consecrat. dist.* 1. Vtrum Sacerdos peccaret mortaliter si nunquam

Ceremonies, and Rites, which they have devised, and set forth themselves, without any warrant of Holy Scripture, but rather repugnant to the Word of God. And whosoever through his private judgment, willingly and purposely doth openly break the Rites and Ceremonies of the Church, which be not repugnant to the Word of God, and be ordained and approved by common authority, ought to be rebuked openly, that others may fear to do the like, as he that offendeth against the common order of the Church, and hurteth the authority of the Magistrate, and wounded the consciences of the weak brethren. Every particular or National Church hath authority to ordain, change, and abolish Ceremonies or Rites of the Church ordained only by man's authority, so that all things be done to edifying. Holy Scripture doth set forth many rites and ceremonies, as of sacrifices in the old Law, and of the Sacraments in the New Law, as of Baptism and the Supper of the Lord, which have been of great antiquity, and continued in the purest churches of Christ; and therefore no Christian man whatsoever is free to neglect or contemn, but to use them, and that reverently, to the glory of God, and edifying of the Church, unless he will offend his weak brethren, yea, and sometimes of necessity are to be changed, or else taken away, as the Church shall judge most expedient for the time. Of Baptism. Baptism is not only a sign of profession, and mark of difference, whereby Christian men are discerned from others that be not baptized, but it is also a sign of regeneration or new birth, whereby as by an instrument they that receive Baptism rightly are grafted into the Church, the promises of the forgiveness of sin, and our adoption to be the sons of God by the Holy Ghost are visibly signed and sealed, faith is confirmed, and grace increased by virtue of prayer unto God. The Baptism of young children is in any wise to be retained in the Church, as most agreeable with the institution of Christ. Of the Supper of the Lord. The Supper of the Lord is not only a sign of the love that Christians ought to have among themselves one to another, but rather is a sacrament of our redemption by Christ's death: insomuch that to such as rightly, worthily, and with faith receive the same, the bread which we break is a partaking of the body of Christ, and likewise the cup of blessing is a partaking of the blood of Christ. Transubstantiation (or the change of the substance of bread and wine) in the Supper of the Lord cannot be proved by Holy Writ, but is repugnant to the plain words of Scripture, overthroweth the nature of a sacrament, and hath given occasion to many superstitions. The Body of Christ is given, taken, and eaten in the Supper only after a heavenly and spiritual manner. And the mean whereby the Body of Christ is received and eaten in the Supper is faith. The Sacrament of the Lord's Supper was not by Christ's ordinance reserved, carried about, lifted up, or worshipped. Of both kinds. The cup of the Lord is not to be denied to the lay people; for both the parts of the Lord's Sacrament, by Christ's ordinance and commandment, ought to be administered to all Christian men alike. Of one oblation of Christ finished upon the Cross. The offering of Christ once made is that perfect redemption, propitiation, and satisfaction for all the sins of the whole world, both original and actual, and there is none other satisfaction for sin but that alone. Wherefore the sacrifices of Masses, in the which it was commonly said that the priest did offer Christ for the quick and the dead to have remission of pain or guilt, were blasphemous fables and dangerous deceits. Of the Marriage of Priests. Bishops, Priests, and Deacons are not commanded by God's law either to vow the estate of single life, or to abstain from marriage. Therefore it is lawful also for them, as for all other Christian men, to marry at their own discretion, as they shall judge the same to serve better to godliness. Of Excommunicate persons, how they are to be avoided. That person which by open denunciation of the Church is rightly cut off from the unity of the Church, and excommunicated, ought to be taken of the whole multitude of the faithful as a heathen and publican, until he be openly reconciled by penance, and received into the Church by a judge that hath authority thereunto. Of the Traditions of the Church. It is not necessary that traditions and ceremonies be in all places one, or utterly like; for they have been always diverse, and may be changed according to the diversity of countries, times, and men's manners, so that nothing be ordained against God's Word. Whosoever through his private judgment, willingly and purposely doth openly break the traditions and ceremonies of the Church which be not repugnant to the Word of God, and be ordained and approved by common authority, ought to be rebuked openly, that others may fear to do the like, as he that offendeth against the common order of the Church, and hurteth the authority of the Magistrate, and wounded the consciences of the weak brethren. Every particular or National Church hath authority to ordain, change, and abolish ceremonies or rites of the Church ordained only by man's authority, so that all things be done to edifying. Of Homilies. The second Book of Homilies, the titles whereof we have joined under this Article, doth contain a godly and wholesome doctrine, and necessary for these times, as doth the former Book of Homilies, which were set forth in the time of Edward the Sixth; and therefore we judge them to be read in churches by the ministers diligently and distinctly, that they may be understanded of the people. Of the Consecration of Bishops and Ministers. The Book of Consecration of Archbishops and Bishops, and ordering of Priests and Deacons, lately set forth in the time of Edward the Sixth, doth contain all things necessary to such consecration and ordering; neither hath it any thing that of itself is superstitious and ungodly. And therefore whosoever are consecrated or ordered according to the rites of that Book, since the second year of the forenamed King Edward unto this time, or hereafter shall be consecrated or ordered according to the same rites, we decree all such to be rightly, orderly, and lawfully consecrated and ordered. Of Civil Magistrates. The King's Majesty hath the chief power in this realm of England, and other his dominions, unto whom the chief government of all estates of this realm, whether they be ecclesiastical or civil, in all causes doth appertain, and is not nor ought to be subject to any foreign jurisdiction. Where we attribute to the King's Majesty the chief government, by the which titles we understand the minds of some slanderous folks to be offended, we give not to our Princes the ministering either of God's Word, or of the Sacraments, the which thing the Injunctions also lately set forth by Elizabeth our Queen do most plainly testify; but that only prerogative which we see to have been given always to all godly Princes in Holy Scriptures by God himself, that is, that they should rule all estates and degrees committed to their charge by God, whether they be ecclesiastical or temporal, and restrain with the civil sword the stubborn and evil doers. The Bishop of Rome hath no jurisdiction in this realm of England. The laws of the realm may punish Christian men with death for heinous and grievous offences. It is lawful for Christian men at the commandment of the Magistrate to wear weapons, and serve in the wars. Of Christian men's goods, which are not common. The riches and goods of Christians are not common, as touching the right, title, and possession of the same; all and every man hath a several property and interest in that which he hath, and is to be liberally and charitably given to the poor, according to the ability and the needful occasion of the receiver. Of a Christian man's Oath. As we confess that vain and rash swearing is forbidden Christian men by our Lord Jesus Christ, and James his Apostle, so we judge that Christian religion doth not prohibit but that a man may swear when the Magistrate requireth, in a cause of faith and charity, so it be done according to the prophet's teaching, in justice, judgment, and truth. Of Usury. We judge that usury, or unlawful gain, is forbidden in Holy Scripture, and condemned by the Word of God. Of Rebaptizing. They are to be condemned which say that they must be rebaptized, that have truly been baptized in their infancy. Of Wicked Persons, whether they receive the Sacraments. Wicked persons, and such as be void of a lively faith, although they do carnally and visibly press with their teeth (as Saint Augustine saith) the Sacrament of the Body and Blood of Christ, yet in no wise are they partakers of Christ, but rather to their condemnation do eat and drink the sign or Sacrament of so great a thing. Of the Three Creeds. The three Creeds, Nicene Creed, Athanasius' Creed, and that which is commonly called the Apostles' Creed, ought thoroughly to be received and believed; for they may be proved by most certain warrants of Holy Scripture. Of Works before Justification. Works done before the grace of Christ, and the inspiration of his Spirit, are not pleasant to God, forasmuch as they spring not of faith in Jesus Christ, neither do they make men meet to receive grace, or (as the School authors say) deserve grace of congruity: yea, rather for that they are not done as God hath willed and commanded them to be done, we doubt not but they have the nature of sin. Of Works of Supererogation. Voluntary works besides, over and above God's commandments, which they call works of supererogation, cannot be taught without arrogancy and impiety. For by them men do declare that they do not only render unto God as much as they are bound to do, but that they do more for him than of bounden duty is required: whereas Christ saith plainly, When you have done all that are commanded you, say, We are unprofitable servants. Of Sin after Justification. Not every sin willingly committed after justification is the sin against the Holy Ghost, and unpardonable. Wherefore the place is not shut up unto sinful men after they have fallen into sin, neither after they have received the Holy Ghost, that they may repent and obtain pardon of their sins, if they unfeignedly turn unto God. Of the Unity of the Church. The visible Church of Christ is a congregation of faithful men, in the which the pure Word of God is preached, and the Sacraments be duly ministered according to Christ's ordinance in all those things that of necessity are requisite to the same. Of the Authority of the Church. The Church hath power to decree rites or ceremonies, and authority in controversies of faith: and yet it is not lawful for the Church to ordain any thing that is contrary to God's Word written, neither may it so expound one place of Scripture that it be repugnant to another. Wherefore, although the Church be a witness and keeper of Holy Writ, yet, as it ought not to decree any thing against the same, so besides the same ought it not to enforce any thing to be believed for necessity of salvation. Of the Authority of General Councils. General Councils may not be gathered together without the commandment and will of Princes. And when they be gathered together, forasmuch as they be an assembly of men, whereof all be not governed with the Spirit and Word of God, they may err, and sometimes have erred, even in things pertaining unto God. Wherefore things ordained by them as necessary to salvation have neither strength nor authority, unless it may be declared that they be taken out of Holy Scripture. Of Purgatory. The Romish doctrine concerning Purgatory, Pardons, Worshipping and Adoration, as well of Images as of Relics, and also Invocation of Saints, is a fond thing vainly invented, and grounded upon no warranty of Scripture, but rather repugnant to the Word of God. Of Speaking in the Congregation in such a tongue as the people understandeth. It is plain from the Apostle's teaching, that in the Church or congregation no man ought openly to speak in an unknown tongue to the people, without an interpreter. And let him that cannot speak with the tongue understand himself and keep silence in the Church, and speak to himself and to God. Of the Reading of Holy Scripture. Holy Scripture is given of God, to be read and heard, and understanded of learned and unlearned, to the edifying of the Church. And therefore it pertaineth not only to the charge of the Priests and Ministers, but the whole body of the Church is commanded to give themselves to the reading of the same, especially the Bishops, as the chief members of the Church, unless they be let by some urgent cause. Of Private Mass. Private Masses, wherein the Priest receiveth alone, without any to communicate with him, are not to be allowed in the Church. Of the Sufficiency of the Holy Scriptures for Salvation. Holy Scripture doth contain all things necessary to salvation: so that whatsoever is not read therein, nor may be proved thereby, although it be now and then received of some men, yet it ought not to be required of any man, that it should be believed as an article of the Faith, or be thought requisite or necessary to salvation. In the name of the Holy Trinity, the Father, the Son, and the Holy Ghost, Amen.

dum casus necessitatis, in quibus licitum est bis in die celebrare. Refert *Toletus instruct. lib. 2. cap. 3.* sunt autem in hæc scripti. Primus. Cum quis habet duas Parochias, & non habet conductorem vt populus die festo Missam audiat. Secundus. Si posteaquam celebrauit, superuenit Episcopus qui vult audire Sacrum. Tertius Cum superueniunt multi peregrini & est dies præcepti. Quartus Cum infirmus debet communicari pro viatico & non habet Sacramentum. Almost eadem casus affert *Aymon in sua Theologia quæstionibus* [illegible] verum tamen in omnibus casibus semper intelligitur hoc, quod caueatur, sit ieiunus, id est quod in primo Sacro non sumpserit ablutionem.

§. 19. Vtrum valeat suspendi ante Missam dicere.

PRædictum dubium excitatur, disputatur, & resoluitur fusissimè *apud Sanctum Molinam, alias citato de inspect. Sacerdotum tom. 3. cap. 13. §. 1.* Nos breuiter pauca ab ipso delumpta adducemus. Pro solutione igitur vt certa ab incertis secernantur.

Suppono primò certum. Quòd Missa habeat moram & spatium essentiale ac ibi intrinsecum, cui nihil possit subtrahi sine culpa: quod mirum non est, cum quælibet res humana limite suo, & termino circumscribatur. Certum quippe est non posse Psalterium recitari eo temporis spatio, quo vnus Psalmus, nec Missa absolui potest eo spatio temporis, quo Pater noster: sed necesse est, vt alteri habeatur terminus, & spatium cui nihil demi potest.

Suppono secundò certum. Quòd prædictum spatium intrinsecum & essentiale debet necessariò sufficere ad illas quatuor conditiones adimplendas quæ requiruntur in qualibet Missa, & nos supra diximus, & breuiter vt Aperte, Bene, Clare,

& Deuotè celebretur. Et vt clarius dicam: vt pronuncietur aptè omne id quod in Missa legitur, & recitatur. Vt decenter & ritè omnes Cæremoniæ compleantur. Vt attentio habeatur & intelligentia actualis eorum quæ dicuntur: Vt denique respondeat deuotio tùm interior, tùm exterior, per modestiam & grauitatem.

Suppono tertiò certum. Quòd pro dicto spatio ad prædicta sufficienti non potest assignari certa & determinata mensura temporis: tùm propter diuersitatem Missarum, nam Missæ pro defunctis vt plurimum breuiori tempore perficiũtur quàm reliquæ: & inter istas etiam est varietas, nam in aliquibus dicuntur plures, in aliquibus pauciores collectæ, & aliquando dicitur Gloria, & Credo, & aliquãdo nõ, quæ omnia faciunt vt longiori vel breuiori temporis mensura dicantur: tùm propter diuersitatem Sacerdotum; nam aliqui sunt naturæ tardioris, alij celerioris & expeditioris; vnde fit vt eamdem Missam in specie seruatis illis quatuor conditionibus, qui est celer spatio dimidiæ horæ verbi gratia, aut paulo minus: qui verò est tardus spatio longiori & supra dimidiam horã dicat. Hoc tamen in cõfesso est apud omnes doctos & graues viros prædictum spatium essentiale, & necessarium in quacunq; Missa, & in quouis Sacerdote etiam celeri non posse minus esse dimidia hora. Si quis breuiori spatio dicat; probabile est eum deficere in aliquo necessario.

His suppositis vt certis, quod modò est incertum & quod vertitur in quæstionem est: Vtrum ille (exempli gratia) cui pro sua naturali celeritate satis erit dimidia hora, & minus temporis ad celebrandam Missam etiam cum illis conditionibus Attentè, Benè, Clarè, & Deuotè; & si plus temporis voluerit impendere erit illi hoc voluntarium, & arbitrarium. Vtrum, inquam, iste talis melius faciat, si tardè, & cunctanter dicat vtendo spatio voluntario; an verò festinanter contentus spatio necessario, & essentiali? Breuius. Vtrum Sacer-

cerdos celer melius faciat celebrando festinanter spatio dimidiæ horæ, aut paulò minus, an cunctãter supra tale spatiũ?

Respondeo absolutè, & regulariter loquendo melius, securius, prudentius, & laudabilius esse Missam cunctanter dicere quàm festinanter. Fortasse erunt qui non applaudent huic conclusioni. Nihilominus quamuis amicus Socrates, amicus Plato; nobis tamen magis amica veritas. Igitur probemus Conclusionem per partes.

Quod melius sit, probatur. Nam certum est, maturitatem magis conuenire amplitudini rerum quæ dicũtur & aguntur in Missa; naturaliter enim res grandes & seriæ melius perficiuntur actione moderatà quæ maius habeat temporis interuallum quàm celeri; mora etiam magis est accõmodata pronunciationi, & vt quæ dicuntur, & aguntur, attentè, ac ritè impleanturergo maioris erit virtutis in Missa multum temporis, quàm parum insumere.

Quòd securius, probatur. Nam festinando peccari potest; quia facillimè potest accedere aliquis defectus in aliqua illarum conditionum; qui defectus erit saltem culpa venialis: sed cum tractim & cunctanter res agitur, nullum est peccati periculum, poterit quidem Sacerdos culpari vt imprudens in nonnullis casibus de quibus infra: sed nullum erit peccatum contra regulas Missæ; aut ministerium Sacerdotis, aut contra Religionem, quæ debetur; vbi facile peccare potest is qui festinat: ergo securius est cunctari quàm festinare.

Quòd prudentius, consequitur ex dictis. Nam certè magnam prudentiæ laudem consequitur, qui in rebus grauissimis *qualis est Missa* tenet & amplectitur quod est melius ac securius, quàm quod per corruptelam est frequentiùs.

Quod deniq; laudabilius, probatur. Quia incidimus in talia tempora, quibus huiusmodi abusus inter cęteros in Christiana Repuplica maximè inualuit, vt Missæ, vt plurimùm à

bent verbis, & factis damnare, persequi, nolitos; cui incumbat ad quod præcipuè tenentur Superiores, Prælati, & Pastores animarum; quorum gradus quanto altior, tanto perfectior; ipsi enim tenentur prius in se hunc abusum euellere; nam illorum exemplum sit cæteris regula operandi: deinde in suis inferioribus arguendo, obsecrando, increpando, & nihil intentatum relinquendo ut ministeria tanti momenti ea, qua par est, grauitate, maturitate, & reuerentia peragantur.

Dixi in Responsione *absolutè & regulariter* quia dantur casus, in quibus prudenter ageret Sacerdos si se contineret spatio essentiali; & protunc non traheret voluptatem moram in Missa indulgendo suæ deuotioni: exempli causa Pastor aut Beneficiatus, qui ex obligatione Missam dicit coram subditis suis quam illi audire tenentur alias non audituri: si talis noluerit ob suam tarditatem & moram magnum excitari tædium & posse esse causam quo minus illi Sacrum audiant, debet singularem gustum suum postponere auditorum utilitati. Similiter Religiosus cui ex obedientia communi omnes laudare incumbit, ita se debet conformare ut obligationi suæ respondeat, nec debet propter priuatam suam consolationem deesse communitati; communia enim semper debent præferri priuatis. Et sic de similibus casibus. In summa quæ dicta sunt in conclusione, intelligi debent seruatis prudentiæ legibus, ad quam pertinet loci, personarum & temporis, atq; eiusmodi circumstantias dijudicare; Ita tamen ut semper saluetur spatium necessarium, intrinsecum, & essentiale, quo adimpleri possint illæ conditiones toties in superioribus memoratæ inclusæ in illis litteris A. B. C. D.

Sed his non obstantibus adhuc mihi audire videor nonnullos propugnatores celeritatis Missarum dicentes. Charitas tanquam Regina virtutum vbiq; debet præualere: sed ex Missis longis charitas læditur, nam auditores grauiantur tædio, amittunt deuotionem, vadunt se confabulationibus,

bus, aliquando prorumpunt in actus impatientiæ, murmurant, detrimentum patiuntur in negotijs, aliquando scandalizantur, & potius retrahuntur in audiendis Missis, quàm inuitentur, quæ omnia sunt contra Charitatem; ergo melius faciet Sacerdos si celeriter Missam expediat, & sibi aliquid spatij detrahat vt proximorum occurrat vtilitati.

Respondeo. Si isti propugnatores intelligant quòd attentis talibus circumstantijs Sacerdos melius facturus sit si detrahat de spatio Missæ voluntario, iuxtà dicta, damus manus & nos: si autem intelligant quòd Sacerdos propter dictas futiles rationes debeat detrahere de spatio necessario & essentiali ad præstandum bene munus suum, nullo modo possumus conuenire. Bone Deus debetne Sacerdos pluris facere gustum corruptum aliorum, quàm salutẽ animæ suæ? debetne magis respicere homines quàm Deum? debetne esse solicitus placendi magis hominibus quàm Deo? Quis esset tam insipiens qui propter hominum voces non impenderet tempus necessariũ ad sui corporis refectionem? quis tàm leuis (ne dicam stultus) qui propter caniculi latratum desisteret à tractãdis rebus grauissimis cum suo Principe ac Domino? non est contra charitatem non assentiri irrationabili voluntati aliorum; si scandalum patiantur sibi imputent, cæci sunt, & duces cæcorum; non debemus nos propter inania aliorũ dicta omittere virtutũ actus. Est autẽ contra charitatem si propter humanos respectus relinquamus munus nostrum, & negligenter agamus, quod summa diligentia præstandum est, tunc enim lædemus animas nostras, nam scriptũ est: *Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter*. & quodnam aliud rectius vocari potest opus Dei quàm Diuinum Missæ Sacrificium? sed vt verum fatear existimo non esse credibile; vnde nec concedendum; quòd auditores scandalum accipiant si Sacerdos cum maturitate celebret, quamuis tædio aliquo & molestia afficiantur: quod ex hoc facilè colligitur;

nam

nam ſi eos (qui hunc Sacerdotem tardum fugiunt, & quærũt magis expeditum) ex illis duobus velint percunctaris vter melius ſuo munere fungatur, & reſpõdere ex animi religione & conſcientia ſententiam proferent: procul dubio pro illo quem fugiunt: ſed ſi ſequendo libidinis ſuæ ſenſum contrarium aſſerant, irrationabiliter loquentur, & dicta illorum non ſunt magis attendenda, quàm latratus canum.

Profectò res eſt intolerabilis, & manifeſta Dæmonis tentatio, quòd nonnulli horas quaſi innumeras fabulis, luſibus, commeſſationibus, murmurationibus, ac peioribus forte peccatis inſumant; qui poſtea ſi ad Sacrum audiendum accedant, tempus non per horas nec quadrantes; ſed per inſtantia & minutula dimetiantur; ac ſi ad tormentum accederent. ò tempora. ò mores. ò deprauata generis humani conditio. ò cæcitas humanæ mentis? Hoc redarguebat *Auguſtinus in ſermone 211. de temp. illis verbis*, adhuc quoq; (quod valdè dolendũ eſt) conqueri vobiſcũ volo quod ſunt aliqui, & maximè potentes iſtius mundi, qui dum veniunt ad Eccleſiam non ſunt deuoti ad laudes DEI; ſed cogunt Presbyterum vt abbreuiet Miſſam, & ad eorum libitum cantet: nec ei licet morem Eccleſiaſticum ſequi propter illorum gulam, & auaritiam quatenus vnum punctum diei ad Dei officium, & reliquum diurnum ſpatium ſimul cum nocte ad eorum deputetur voluptates. *Ita Auguſtinus.*

Et ſi ſæculares tanta reprehenſione digni videntur, quid dicendum de Eccleſiaſticis ſi eodem vitio, & peiori forta ſſis laborent? certè aperiant oculos, & viderint vbi temporis collocent interualla: conſiderent vtrum illud tempus quòd tàm eſt pretioſum, in altero quàm in hoc melius poſſit impendi, vbi verò nihil eſſe tàm grauè, tàm religioſum, & tanta dignum veneratione deprehendent; tunc aliquando deſinant parcere tempori in re ampliſſima, grauiſſima & ſummæ vtilitatis; cum in rebus nihili, vanis, ijſdemque ſæpe vitioſis

tem-

tempus prodigant: ac fateantur meram Dæmonis esse vexationem citò, & cursim eo munere velle perfungi, quod ipsis proprium, & essentiale incumbit.

Exhortatio ad Sacerdotes.

IAm ex dictis aliquomodo percipi potest quanta sit dignitas Sacrosancti Sacrificij Missæ, quanta excellentia quanta præstantia, quam longe superet omnes huius vitæ actiones etiam Spirituales, & ipsum cultum diuinum respicientes; quantus sit illius valor vt se extendat ad placandum Deum, ad gratias agendum pro beneficijs acceptis, ad remittendum penas debitas pro peccatis, ad impetranda auxilia, & dona pœnitentiæ pro peccatis; ad augendam gratiam, ad impetranda bona spiritualia, nec non bona temporalia quatenus ad vitam æternam conducere possunt: Vnde idem Sacrificium vocatur, & est Honorarium, Eucharisticum, Propitiatorium, Meritorium, Satisfactorium, Impetratorium. Et cum eademmet hostia quæ in Sacrificium offertur Deo omnipotenti, scilicet Corpus & Sanguis Domini nostri Iesu Christi, infinitum bonorum thesaurum in se continens, ineffabiles fructus ex se productiua, & mirabiles affectus excitatiua; eademmet, inquam, ab ipso Sacerdote offeratur, in cibum & potum sumatur & consumatur. Quid est quòd huiusmodi fructus, & affectus vt plurimum in Sacerdotibus non conspiciantur? Si Sacramenta toties, quoties recipiuntur, dant nouum augmentum gratiæ, charitatis, reliquarumq; virtutum; Vbi est thesaurus ille immensus quo par est esse congregatum, cum per tot annorum cursus Sacramenta in dies frequentamus? Vbi est cumulus ille virtutum? Vbi est perfectio quædam animorum absoluta? Reuera hæc res omnium mundi mirabilium mirabilior est videre tantam hominum vtriusq; sexus multitudinem Sanctissimum

Sa-

Sacramentum sumentium, & præcipuè Sacerdotum quotidie celebrantium, & pretioso Corpore & Sanguine Domini se pascentium, qui tamen nullos fructus inde percipiunt, nec curant ad sanctiorem se vitam traducere. Nonne mirabile esset intueri Solem non illuminantem, aut ignem non calefacientem? sed longè mirabilius est tam frequenter (ne dicam quotidie) Solem iustitiæ præsentialiter habere, & non illuminari: Ignem diuinum in pectore continere, & in diuino amore magis, magisque frigescere. ò prodigia. ò portenta. Vnde hoc? an fortè ex parte rei susceptæ? nequaquam: hoc enim diuinissimum Sacramentum quantum est ex parte sua erga omnes æqualiter sese habet, quemadmodum Sol omnibus æqualiter suam lucem impendit. Defectus igitur omnis est ex parte recipientium. Hoc ratio naturalis & Philosophica ostendit à causis produci talem effectum qui conformis sit dispositioni quam inueniunt in subiecto: sicut experientia constat quòd lignum siccum facillimè comburitur, quod si humidum fuerit ac virens, quamuis ignem applices, non incenditur, quinimò ignis ipse vires amittit, & esse definit quia materia non est disposita vt ab igne corripiatur. Sol ipse indurat lutum, ceramq; emollit: atq; eadem cera ad Solem aprica candescit, homines verò infuscantur. Igitur quod hæc diuina mysteria non pariant suos in recipientibus effectus; imò non raro contrarios effectus producant ita vt verè dicatur de hoc diuino cibo. *Mors est malis vita bonis vide paris sumptionis quàm sit dispar exitus.* non ex ipsis, sed ex varia recipientium dispositione procedit. *Hinc Sanctus Augustinus tract. 22. in Ioannem super illa verba Euangelistæ.* [post buccellam tunc introiuit in illum Satanas *sic ait.* Buccella dominica venenum fuit Iudæ, quam cum accepit in eum inimicus intrauit, non quia malum erat quod accepit, sed quia bonum malus malè accepit. Videte ergo fratres panem Cælestem spiritualiter manducate, innocentiam ad Altare porrate, an-

tequam ad Altare accedatis, attendite quid dicatis, dimitte nobis debita noſtra &c. *Et in alio tractatu.* [In bonis enim ſancta ad ſalutem ſunt, in malis ad iudicium; certè enim nouimus quid accipimus, & vtiq; ſanctum eſt quod accipimus. *Sed quid ait Apoſtolus.* Qui manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit, non ait quod illa res mala eſt, ſed quia ille malus eſt qui recipit. Non enim mala erat buccella quæ tradita eſt Iudæ à Domino: abſit. Medicus non daret venenum, ſalutem medicus dedit; ſed indignè recipiẽdo perniciem ſuam accepit.] Concludamus cum verbis *eloquentiſſimi & Sanctiſſimi Chriſoſtomi. Igitur ſic inquit ipſe.* [Chryſ. Homil. 61. ad pòpulum Antioch.] Audiamus Sacerdotes & ſubditi, audiamus & horreamus Sãctis carnibus ſuis nos dedit impleri; ſemetipſum appoſuit immolatum. Quænam igitur erit nobis excuſatio cum talibus paſti talia peccemus, cum lupi fiamus Agnum comedentes, cum tanquam oues paſti more leonum diripiamus. Attendamus itaq; nobis ipſis lectiſſimi fratres, & Patres venerandi, talibus fruentes bonis & cum aliquid turpe dicere voluerimus, vel nos ab ira corripi viderimus, vel alio quopiam huiuſmodi vitio, conſideremus quibus facti ſumus digni: taliſq; cogitatio nobis irrationabilium motuum ſit correctio. Quotquot igitur huius parricipes corporis efficimur, quotquot ſanguine m deguſtamus; cogitemus quod illum ſurſum ſedentem, qui ab Angelis adoratur inccorruptibili vicinus virtuti, hunc deguſtamus. Hei mihi quot ad ſalutem nobis viæ? nos corpus, ſuũ effecit, nobis ſuum communicauit corpus, & horum nos nihil à malis auertit. *Idẽ hom. 83. in Matth.* Quonon oportet eſſe puriorem tali fruentem Sacrificio? quo ſolari radio nõ ſplendidiorẽ manum carnem hanc didiuidentem? Os quod igne ſpirituali repletur, linguam quę tremendo nimis ſanguine rubeſcit? Cogita quali ſis inſignitus honore, quali mẽſa fruaris: quod Angeli videntes horreſcunt, neq; liberè audent intueri

pro-

propter emicantem inde ſplẽdorem, hoc nos paſcimur, huic nos vnimur, & facti ſumus vnum Chriſti corpus, & vna Caro. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis paſtor oues proprio paſcit cruore? & quid dico paſtor? Matres multæ ſunt, quæ poſt partus dolores, filios alijs tradunt nutricibus. Hoc autem ipſe non eſt paſſus, ſed ipſe nos proprio ſangu ine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat. *Hæc Chryſoſtomus.*

Prædicta omnia ex aureo Chryſoſtomi ore deſumpſi, cuius verbis nihil opportunius, nihil efficacius me inueniſſe arbitratus ſum ad excitandas ægro torpore deſides mentes ad conſiderationem tanti myſterij. Vtinam cordibus noſtris infixa permaneant, vt illa frequentius reuoluentes in huius diuini Sacrificij, Sanctiſſimiq; Sacramenti amore, timore, & reuerentia in dies magis magiſq; creſcamus.

CAPVT VII.

De Fide.

QVia Apoſtolus inſtruens Eccleſiaſticos omnes & præcipuè Sacerdotes in perſona diſcipuli ſui Timothei inter cæteras virtutes requirit in illis Fidẽ, ſic enim ait prima ad Timot. cap. 4. *Exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide &c.* Et iterum cap. 6. *Sectare Iuſtitiam, Pietatem, Fidem, Charitatem, Patiẽtiam, Manſuetudinem, certa bonum certamen fidei &c.* Ideò cum in ſuperioribus tractauerimus de Lectione ſpirituali, Oratione, Officio Diuino, Confeſſione, & Sacrificio Miſſæ, quæ ſunt media ad perfectionem conſequendam quatenus per illa, ſi ritè peragantur, conferuntur auxilia diuina (quamuis etiam in illis ritè peragendis non mediocris eluceat perfectio) reſtat modò vt de virtutibus, quæ potiſſimùm in Eccleſiaſticis requiruntur, & in quibus propriè ipſa Chriſtiana perfectio

consistit, agamus. Atq; in primis de Fide, quæ est fundamẽtum reliquarum videndo. Primò de varijs acceptionibus Fidei. Secundò Quid sit Fides humana, quid Fides Diuina. Tertiò De obiecto & subiecto Fidei Diuinæ quodnam sit. Quartò De obiecto materiali Fidei Diuinæ quodnam sit. Quintò An obiectum materiale Fidei Diuinæ propositum ad credendum ab Ecclesia Romana habeat euidentiam credibilitatis. Sextò An obiectum Fidei Romanæ sit magis credibile super omnia obiecta aliarum Sectarum. Septimò An obiectum Fidei Romanæ conuenienter & sufficienter tradatur in Symbolo. Octauò De obiecto formali seu de ratione formali obiecti Fidei Romanæ. Nonò An detur aliqua infallibilis Regula dignoscendi quodnam sit verum obiectum Fidei Diuinæ. Decimò An debeat dari aliquis Iudex in controuersijs de obiecto Fidei, & quisnam debeat esse. Vndecimò De actu Fidei quotuplex sit scilicet interior & exterior. Duodecimò De actu interiori quando necessarius. Decimotertiò De quibus articulis debeat esse explicitus. Decimoquartò De actu exteriori quando necessarius Decimoquintò De conditionibus Fidei actualis. Decimosextò De habitu Fidei tùm quoad essentiam, tùm quoad necessitatem. Decimoseptimò De vitandis vitijs oppositis Fidei præsertim hæresi. Decimooctauò Quantum fides eminere debeat in ecclesiasticis, & de conuersatione eorum in locis vbi grassatur hæresis qualis debeat esse. Decimononò An sit permittenda libertas religionis.

§. 1. *De varijs acceptionibus Fidei.*

HOc nomen *Fides*, latinum est, idemq; sonat ac si dicas. *Fit quod dicitur*. iuxtà quã Ethimologiam Cicero dixit. *Fundamentum autem Iustitiæ est Fides, id est dictorum, conuentorumq; constantia & veritas*. ac si dicere voluisset. Basis iustitiæ

ſtitiæ eſt vt fiat quod dicitur ſeu promittitur. Et Apoſtolus eodem modo accepit nomen Fidei ad Rom. 3. *Numquid incredulitas eorum fidem Dei euacuabit.* id eſt veritatem promittẽtis Dei euacuabit & irritã faciet. Hinc translata eſt vox fidei ad ſignificãdum primò promiſſionem, quam fidelitas implet: ſic dicimus ſeruare fidẽ, id eſt ſeruare promiſſionẽ; & violare fidẽ, id eſt violare promiſſionem. Secundò Conſtantiam in promiſſis: ſic dicimus hominẽ bonæ fidei, id eſt cõſtantem in promiſſis, & cui tutò aliquod ſecretũ concredendũ iudicamus. In hoc ſenſu dixit Sapiens Eccleſ. 28. *Qui denudat arcana amici fidem perdit.* Tertiò Conſcientiam, quæ dictat ſeruandam eſſe fidem in promiſſis, iuxtà hunc ſenſum Apoſtolus ad Rom. 12. dixit. *Quod non eſt ex fide peccatum eſt.* id eſt quod non eſt ex conſcientia. Quartò aſſenſum intellectus, quem præbemus alicui aſſerenti aliquid: Sic dicimus fidem alicui habere, id eſt credere. In hoc ſenſu dicitur Iacobi cap. 1. *Poſtulet in fide nihil hæſitans.* id eſt certò & indubitatè credens ſe à Deo accepturum. Quintò Obiectum ſeu rem affirmatam, quam credimus. Sic Apoſtolus ad Galat. 3. *Ex operibus legis ſpiritum accepiſtis, an ex auditu fidei?* id eſt doctrinę Chriſtianæ. Sextò Deniq; habitum inclinantem ad credendum: iuxtà quem ſenſum dicimus eſſe veritatem.

Fides ſumpta pro aſſenſu Intellectus, ſeu pro actu credendi duplex eſt, ſcilicet humana, & diuina. Humana dupliciter dicitur: Vel ratione principij ſolum, vt ſi quis credat reuelatis à Deo per humana tantùm motiua, & fide acquiſita: Vel ratione obiecti, vt ſi quis credat aliquid dictum ab homine ob illius auctoritatem. Diuina eſt illa, quæ tum ex parte principij; tùm ex parte obiecti eſt ſupernaturalis. Porrò inter fidem Diuinam, & humanam (præſertim eam quæ ratione obiecti dicitur humana) illud maximè intercedit diſcrimen. Quòd Humana non ſemper certam ac firmam; imo ſæpe titubantem adhæſionem continet: Diuina verò certiſſimam

mam atq; firmissimam animi adhæsionem habet; quamuis obscuram seu non apparentem.

Solet moueri difficultas in quo differat Fides ab alijs habitibus intellectus, præsertim à Scientia, Opinione, Dubitatione. Dicimus breuiter quod differant per hoc, quod Scientia est assensus seu dissensus intellectus certus, & euidens, atq; adeò firmus de aliqua propositione propter argumentum ductum à ratione necessaria & infallibili. Opinio est assensus seu dissensus intellectus circa aliquam propositionem non certus ac firmus; sed cum formidine partis oppotæ propter argumentum ductum à ratione solummodo probabili & fallibili. Dubitatio est suspẽsio quædam animi, quæ neutri parti propositæ quæstionis assentitur; sed in suspenso manet, & quodammodo in æquilibrio in neutram partem inclinans: vnde dubitatio excludit assensum. Fides autem est assensus præstitus propter argumentum ductum ab auctoritate.

§. 2. *Quid sit Fides Humana, Quid Fides Diuina?*

Fides humana est assensus seu dissensus circa aliquam propositionem non certus ac firmus propter argumentum ductum ab auctoritate humana, cui potest subesse falsum; quia quilibet homo potest fallere & falli.

Fides Diuina est assensus seu dissensus circa aliquã propositionem certus, & firmus propter argumentum ductum ab auctoritate diuina, cui non potest subesse falsum; quia Deus non potest fallere, nec falli.

Quamuis autem hic assensus sit certus, & immobilis; est tamen ineuidens & obscurus, in quo differt ab assensu scientifico, qui est euidens. Et ratio est, quia ille qui assentitur propositioni propter argumentum ductum à ratione; ideò assentitur quia intuetur veritatem propositionis ex clara ap-

pre-

prehensione connexionis terminorum; & ideò dicitur assensus euidens: Qui autem assentitur propter auctoritatem dicentis; ideò assentitur quia credit dicentem dicere veritatem, non quia ipse intueatur veritatem. Nihilominus quamuis assensus fidei diuinæ sit ineuidens non sequitur quod sit infirmior atq; ignobilior assensu scientiæ; imò est longè firmior & nobilior ratione certitudinis.

§. 3. *De obiecto & de subiecto Fidei Diuinæ quodnam sit.*

NOmine obiecti intelligitur illa res, quæ obijcitur, seu circa quam versatur aliqua potentia, vel aliquis habitus, vel aliquis actus, exempli gratia obiectum potentiæ visiuæ est res colorata. Obiectũ habitus Theologiæ, & actus Theologici est Deus. Sic igitur in proposito dum proponimus quodnam sit obiectum Fidei, intelligimus quænam sit illa res, circa quam versatur, seu in quam tendit assensus vel dissensus intellectus. Et breuiter respõdendo dicimus obiectum assensus intellectualis debere esse aliquid complexum, videlicet propositionem seu enunciationem, verbi grati. *Deus Vnus & Trinus est*. In quo obiecto duo reperiuntur, Alterum quod vocatur materiale obiecti; & hoc est veritas vel falsitas propositionis. Alterum quod vocatur formale obiecti seu ratio formalis; & hoc est ratio, per quam mouetur intellectus ad assentiendum veritati, vel dissentiendum falsitati propositionis.

Nomine subiecti duo possunt intelligi. Primò illud, in quo subiectatur seu cui inhæret ille actus credendi, id est ille assensus vel dissensus: & hoc vocatur subiectum inhæsionis. Secundò illud, de quo dicuntur & prædicantur, & enunciantur propositiones, quæ sunt obiectum actus credendi: & hoc vocatur subiectum prædicationis vel attributionis. Igitur si loquamur de subiecto inhæsionis, hoc est intellectus

crea-

creaturæ rationalis: in illo enim ſubiectatur actus fidei. Si loquamur autem de ſubiecto prædicationis & attributionis, hoc eſt Deus ſecundùm abſolutam rationem Deitatis non ſecundùm aliquod ſpeciale attributum. Et ratio eſt. Quia omnia quæ cadunt ſub actum credendi reducuntur aliquo modo ad Deum vel vt attributa ipſius, vel vt effectus, vel alio modo.

§. 4. *De Obiecto materiali Fidei Diuinæ quodnam ſit.*

OBiectum materiale fidei Diuinæ ſunt omnes propoſitiones reuelatæ, & reuelabiles à Deo tam neceſſariæ vt *Deus eſt. Deus eſt vnus. Deus eſt omnipotens.* & ſimiles: quàm contingentes, ſiue de præterito vt *Abraham genuit Iſaac.* ſiue de futuro vt *Antichriſtus erit.* vel *Vniuerſale Iudicium erit.* Item propoſitiones & veritates tàm ſupernaturales, quæ ſolo lumine fidei cognoſcuntur; quam naturales, quæ poſſent lumine naturæ cognoſci, tamen à paucis cognoſcuntur; & ideò eorum fides neceſſaria fuit pro hominum multitudine; imò etiam pro ſapientibus, vt firmius & certius illas tenerent. Quamuis autem huiuſmodi fidei veritates ſint tàm variæ; ex omnibus tamen conflatur vnum obiectum vnius fidei, quia omnes conueniũt in ratione credibilis, nec ſunt diſtinguendæ tres fides vt faciũt hæretici noſtri temporis, qui ponunt tres fides nempe hiſtoricam, miraculorum, & promiſſionum; & hanc tertiam in duas ſubdiſtinguunt, ſcilicet in generalẽ, quæ eſt de vniuerſalibus promiſſionibus, vt *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit.* Et in ſpecialem, qua vnuſquiſq; iuſtus vt talis ſit, formaliter credere debet ſibi eſſe remiſſa peccata, & conſequuturum eſſe gloriam infallibiliter; & hanc vltimam vocant fidem iuſtificantem. Neq, certitudini huius obiecti derogant propoſitiones & veritates contingentes, Quia ſicut ſcientia Dei eſt certa quamuis ſit de contin-

tingentibus; nam attingit contingentia secundùm statũ præsentiæ & necessitatis; (quia omne quod est necesse est esse) ita potest esse fides certa de contingentibus; quia attingit illa vt sunt sub reuelatione diuina, quæ manat à scientia Dei.

Prædictum obiectum materiale Fidei, quod diximus constari ex omnibus propositionibus reuelatis & reuelabilibus, vno verbo vocatur *Verbum Dei*. Quod tamen tripliciter diuiditur à Doctoribus præsertim à Layman in sua Theologia morali. *lib. 2. trac. 1. cap. 2.*

Prima igitur diuisio est talis. Verbum Dei Aliud est quod Deus per se ipsum reuelat non interueniente alio Nuncio aut Legato: & tale erat Verbum, quod factum est à Domino ad Isaiam, Ieremiam, Ezechielem & alios Prophetas. Eiusmodi etiam erat Verbũ ad Angelos factũ post primam eorũ conuersionem, si quidem & hi non minus quàm homines reuelatæ veritati per Fidem assentiendo, beatudinem mereri debebant. Aliud est verbum Dei, quod Deus per alium tanquam per legatum suum loquitur ac reuelat. Sic in veteri testamento locutus est Deus Patriarchis, & Prophetis; & per hos deinde populo vniuerso, sicut indicat S. Petrus epist. 2. cap. 2. sic inquiens. *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei Homines.* Postea verò locutus est nobis Deus per Apostolos & Euangelistas iuxtà illud Apostoli 1. ad Thessalon. cap 12. *Cum accepissetis à nobis verbũ auditus Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Et reuera sicuti montes Solis lumen primò excipiunt, deinde in subiectas valles demittunt: ita congruum erat, Deo omnia suauiter operante, Maiores Ecclesiæ, Prophetas, & Doctores primò illuminari, & per hos deinceps reliquum populum.

Secunda diuisio. Verbum Dei Aliud est scriptum, & Aliud non scriptum seu traditum. Nam Verbum, quod Deus ad

creaturæ rationalis: in illo enim ſubiectatur actus fidei. Si loquamur autem de ſubiecto prædicationis & attributionis, hoc eſt Deus ſecundùm abſolutam rationem Deitatis non ſecundùm aliquod ſpeciale attributum. Et ratio eſt. Quia omnia quæ cadunt ſub actum credendi reducuntur aliquo modo ad Deum vel vt attributa ipſius, vel vt effectus, vel alio modo.

§. 4. *De Obiecto materiali Fidei Diuinæ quodnam ſit.*

OBiectum materiale fidei Diuinæ ſunt omnes propoſitiones reuelatæ, & reuelabiles à Deo tam neceſſariæ vt *Deus eſt. Deus eſt vnus. Deus eſt omnipotens.* & ſimiles: quàm contingentes, ſiue de præterito vt *Abraham genuit Iſaac.* ſiue de futuro vt *Antichriſtus erit.* vel *Vniuerſale Iudicium erit.* Item propoſitiones & veritates tàm ſupernaturales, quæ ſolo lumine fidei cognoſcuntur; quam naturales, quæ poſſent lumine naturæ cognoſci, tamen à paucis cognoſcuntur; & ideò eorum fides neceſſaria fuit pro hominum multitudine; imò etiam pro ſapientibus, vt firmius & certius illas tenerent. Quamuis autem huiuſmodi fidei veritates ſint tàm variæ; ex omnibus tamen conflatur vnum obiectum vnius fidei, quia omnes conueniũt in ratione credibilis, nec ſunt diſtinguendæ tres fides vt faciũt hæretici noſtri temporis, qui ponunt tres fides nempe hiſtoricam, miraculorum, & promiſſionum; & hanc tertiam in duas ſubdiſtinguunt, ſcilicet in generalẽ, quæ eſt de vniuerſalibus promiſſionibus, vt *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit.* Et in ſpecialem, qua vnuſquiſq; iuſtus vt talis ſit, formaliter credere debet ſibi eſſe remiſſa peccata, & conſequuturum eſſe gloriam infallibiliter; & hanc vltimam vocant fidem iuſtificantem. Neq, certitudini huius obiecti derogant propoſitiones & veritates contingentes, Quia ſicut ſcientia Dei eſt certa quamuis ſit de contin-

tingentibus; nam attingit contingentia secundùm statũ præsentiæ & necessitatis; (quia omne quod est necesse est esse) ita potest esse Fides certa de contingentibus; quia attingit illa vt sunt sub reuelatione diuina, quæ manat à scientia Dei.

Prædictum obiectum materiale Fidei, quod diximus conflari ex omnibus propositionibus reuelatis & reuelabilibus, vno verbo vocatur *Verbum Dei*. Quod tamen tripliciter diuiditur à Doctoribus præsertim à Layman in sua Theologia morali. *lib. 2. trac. 1. cap. 2.*

Prima igitur diuisio est talis. Verbum Dei Aliud est quod Deus per se ipsum reuelat non interueniente alio Nuncio aut Legato: & tale erat Verbum, quod factum est à Domino ad Isaiam, Ieremiam, Ezechielem & alios Prophetas. Eiusmodi etiam erat Verbũ ad Angelos factũ post primam eorũ conuersionem, si quidem & hi non minus quàm homines reuelatæ veritati per Fidem assentiendo, beatudinem mereri debebant. Aliud est verbum Dei, quod Deus per alium tanquam per legatum suum loquitur ac reuelat. Sic in veteri testamento locutus est Deus Patriarchis, & Prophetis; & per hos deinde populo vniuerso, sicut indicat S. Petrus epist. 2. cap. 2. sic inquiens. *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei Homines.* Postea verò locutus est nobis Deus per Apostolos & Euangelistas iuxtà illud Apostoli 1. ad Thessalon. cap. 2. *Cum accepissetis à nobis verbũ auditus Dei, accepistis illud non vt verbum hominum; sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Et reuera sicuti montes Solis lumen primò excipiunt, deinde in subiectas valles demittunt: ita congruum erat, Deo omnia suauiter operante, Maiores Ecclesiæ, Prophetas, & Doctores primò illuminari, & per hos deinceps reliquum populum.

Secunda diuisio. Verbum Dei Aliud est scriptum, & Aliud non scriptum seu traditum. Nam Verbum, quod Deus ad

Adamum, & Patriarchas locutus erat, non ſtatim literis mãdatum fuit; ſed per traditionem profectum vſq; ad Moyſen, qui Pentateuchum ſcripſit. Neq; nouum teſtamentum, quod Chriſtus condidit, ſtatim ſcriptum fuit; ſed annis aliquot poſt eius aſcenſum quando ſcribendi vel occaſio vel neceſſitas ſe obtulit. Verumtamẽ nec omnia ſcripta ſunt, quæ Chriſtus docuit, & Apoſtoli Eccleſijs tradiderunt. Quandoquidem vt habetur Actorum cap. 1. Dominus Ieſus Chriſtus præbuit ſeipſum viuum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis per dies 40. apparens eis, & loquens de Regno Dei. Et tamen de geſtis & dictis Chriſti poſt eius reſurrectionem pauca Apoſtoli, & Euangeliſtæ ſcripſerunt; & tantummodo ea quæ ad Fidem reſurrectionis adſtruendam pertinere videbantur. Multa igitur quæ Dominus & fecit, & dixit præſertim poſt ſuam reſurrectionem habentur per traditionem, & ea cenſentur eſſe, quæ ad Eccleſiæ conſtitutionem, Sacramentorum miniſtrationem, & ſeculi finem pertinent. Vnde S. Epiphanius, hæreſi. 61. ait. *Oportet autem & traditione vti; non enim omnia à diuina ſcriptura accipi poſſunt. Quapropter aliqua in ſcripturis, aliqua in traditione per vocem SS. Apoſtoli tradiderunt.* Quemadmodum dicit S. Apoſtolus. (*ſicut tradidi vobis*). Et alibi (*ſic doceo, & ſic tradidi in Eccleſijs*. Confirmatur exeo, quòd omnis ritè inſtituta Reſpublica partim ſcripto, partim non ſcripto iure vtitur; ergo decet etiam Deum genus humanum ſermone, aut mandatis partim ſcriptis, partim non ſcriptis, ſed aliter traditis gubernare. Cum enim inter ſigna, quibus hominibus aliquid reuelari, vel quod reuelatum eſt, propagari poteſt, non ſit ſola ſcriptura, eaq; ipſa per ſe non ſufficiens; quandoquidem libri ſcripti vetuſtate deprauari, abſumi, igne, alijsq; modis penitus perire poſſũt: facilè hinc apparet, vocis etiam traditione continuò & ſucceſſiuè per Eccleſias deriuata, in fidei myſterijs credendis adiuuari nos oportere.

Ter-

Tertia diuisio. Verbum Dei Aliud est, quod publicam auctoritatem habet, vt ab omnibus fidelibus recipi debeat, cuiusmodi est Testamentum vetus & nouum: item Traditiones tùm Diuinæ tùm Apostolicæ; ac deniq; Ecclesiæ definitiones seu Canones. Alterum est quod publicam auctoritatem non habet; sed priuatim alicui à Deo reuelatum ac nondum Ecclesiæ satis contestatum est. Dixi sub Verbo Dei publicam auctoritatem habente comprehendi Ecclesiæ definitiones; quia Ecclesia Dei viui columna est & firmamentum veritatis vt habetur 1. ad Timot. & Matt. 18. dicitur. *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* Qua propter omnia, quæ Ecclesia tanquam ad fidem & mores generatim spectantia, Christiano populo decernit, ac proponit, habenda sunt pro eiusmodi, quibus falsitas subesse non possit propter assistentiam Spiritus Sancti, quem Christus Ecclesiæ se missurum promisit, vt doceat eam omnem veritatem Ioan. 16. Quare ita argumentari licet. *Omnis sermo procedens ex infallibili assistentia Spiritus Sancti, est Verbum Dei reuelatũ: sed definitio Ecclesiæ est sermo procedẽs ex infallibili assistentia Spiritus Sancti; Ergo definitio Ecclesiæ est Verbum Dei.* Idq; planè expressit S. Athanasius illis verbis. *Verbum Domini per oecumenicam Nicæ Synodum in æternum stat.* Multæ aliæ Patrum auctoritates ad hoc propositum videri possunt apud Layman. loc. cit.

Sunt tamẽ aliqua discrimina inter Ecclesiæ definitiones ac reliquum Verbũ Dei, quod in Canonicis libris cõtinetur.

Primum discrimen. Ecclesia de nouis Fidei mysterijs reuelationes iam non accipit, vti olim Prophetæ & Apostoli; sicuti explicat Alphonsus de Castro; sed assistente & dirigẽte Spiritu Sancto docet quodnam sit verum ac legitimum Dei Verbũ scriptũm, vel traditũ; & quodnam suppositicium. Deinde quis verus & legitimus Verbi Dei sensus; & quinam illegitimus atq; hæreticus. Deniq; quænã ex Verbo Dei scri-

pto aut non ſcripto per bonam conſequentiam deducãtur. Vnde fateri poſſumus hodie aliqua explicitè credi, quæ ante Eccleſiæ definitionem implicitè credebantur; vt ſolent eſſe ea, quæ Eccleſia deducit ex propoſitionibus vna reuelata & altera naturali lumine nota; eaq; fidelibus credenda proponit.

Secundum diſcrimen. Canonici ſcriptores plerumq; clariorem Dei loquentis ac reuelantis cognitionem habuerunt; atq; ſibi reuelatas veritates minore labore ſcripſerunt; vt de ſe ipſo teſtatur Dauid dicens. *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Inſuper doctrinam populo traditam miraculis confirmarunt. Nunc verò Paſtores Eccleſiæ aſſiſtentiam & directionem Spiritus Sancti obſcura fide credunt; deinde in definiendis controuerſijs; atq; in faciendis fidei morumq; decretis multum operæ ac laboris ponere debent perſcrutando ſcripturas, Apoſtolorum traditiones, interpretationes Patrum, Eccleſiarum conſenſum, & ſimilia: Si quidem Deus ceſſante iam miraculorum ac ſignorum tanta frequentia ſecundùm communem legem ordinarijs medijs Eccleſiam ſuam gubernat.

Tertium diſcrimen. Quicquid ad Sacram Scripturam ſpectat, ſingula verba, & ſententiæ (ſiue eæ ſint de generali dogmate fidei aut morum; ſiue de particulari facto præterio aut futuro) ad fidem ſpectant, cui falſum ſubeſſe non poteſt; quia tota ſcriptura à Spiritu Sancto inſpirata eſt ſicut indicat Apoſtolus. At verò in decretis Eccleſiæ ſolùm ſententia abſolutè definitiua alicuius dogmatis tanquam ad fidem, vel mores generatim ſpectantis, infallibilem veritatem habet; non item diſputationes, ſiue inquiſitiones præmitti ſolitæ; neque rationes quibus definitio probatur, nec verba ſingula quibus definitio exprimitur ad fidem ſpectãt, præterquã in caſu quo decretũ de ipſo verbo directè fieret, vt in Cõcilio Nicæ de voce *Omouſion*: in epheſino de voce

Theo-

Theotocos. Deniq; nec iudicia, siue responsa de particulari facto infallibilem veritatem habent. Videri potest *Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 12.*

§. 5. *An Obiectum materiale Fidei Diuinæ propositum ad credendum ab Ecclesia Romana habeat euidentiam credibilitatis.*

REspondeo breuiter affirmatiuè. Et est idem ac dicere. Doctrina Fidei Christianæ Catholicæ Romanæ est euidenter credibilis. Est assertio certa, de qua nullus vnquã Catholicus dubitauit, aut dubitare potest. Tradunt illam cùm *S. Thomas cum Scholasticis omnibus*: tùm *S. Augustinus lib. contrà Epistolam fundamenti cap. 4. vbi habet illa præclara verba*, [Multa sunt quæ in Ecclesia me iustissimè tenent consensio populorum, & gentium auctoritas miraculis inchoata, spe aucta, charitate firmata & vetustate munita: tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas Dominus mandauit vsq; ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum: tenet deniq; ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tàm multas hæreses sola hæc Ecclesia obtinuit.] Consonat huic veritati Sacra pagina dicens. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Et illa verba Domini apud Ioan: cap. 15. *Si opera non fecissem in eis &c. nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, Et Paulus ad Hæbr. 2. *Quomodo nos effugiemus* (scilicet iram Dei) *si tantam neglexerimus salutem, quæ cum initium accepisset narrari per Dominum, in nos confirmata est contestante Deo signis & portentis.*

Ostenditur prædicta euidentia credibilitatis ex triplici fundamento seu motiuo ipsius credibilitatis nempe. Primò Ex conditionibus & qualitatibus doctrinæ quæ proponitur ad credendum scilicet quòd sit Vera; quòd sit Sancta; quòd sit Efficax. Secundò Ex multitudine & varietate testium ipsius doctrinæ. Tertiò Ex varijs modis, quibus Deus quo-

dam-

dammodo ſubſcripſit & approbauit prædicationem dictæ Doctrinæ. Negari enim non poteſt, quin illa doctrina ſit euidenter credibilis, dignaq; vt ab omnibus recipiatur, in qua concurrunt prædicta tria: nam illa tria ſunt ſigna euidentia quod talis doctrina nõ poſſit eſſe ab alio quàm à Deo: At omnia prædicta reperiuntur in doctrina fidei tradita ab Eccleſia Catholica Romana, vt per partes manifeſtè oſtendetur.

Et primò conueniunt illi conditiones aſſignatæ pro credibilitate alicuius doctrinæ, nimirum Quod ſit vera, Quod ſit ſancta; quod ſit efficax.

In primis Quòd ſit vera; imò quòd cõtineat veritatem ſine admixtione alicuius falſitatis probatur. Quia duo genera veritatum docet. Quædam quæ naturali lumine cognoſci poſſunt. Quædam verò, quæ ſuperant lumen naturale, & omninò ſupernaturales ſunt. Sed in neutris quicquam falſitatis admixtum habet. Non in naturalibus; quia euidenter cognoſcimus illas eſſe maximè veras & rationi conſentaneas: huiuſmodi ſunt quæ tradit de Deo ipſo vt eſt Vnus & Creator omnium, & finis vltimus Creaturæ rationalis. Item quæ tradit de immortalitate Animæ, & de vera beatitudine præſertim vitæ futuræ. Neq; in ſupernaturalibus; quia ex his, quæ naturaliter cognoſcimus, colligimus cætera etiam (quæ rationem ſuperant) eſſe vera, ſeu maximè credibilia; tùm quia tota doctrina ab eodem auctore profecta eſt; tùm quia ipſa ratio naturalis dictat, & docet Deum eſſe incomprehenſibilem humano ingenio; tùm deniq; quia quæ ſuperant naturale lumen non oſtenduntur nec oſtendi poſſunt impoſſibilia; imò omnia commendant excellentiam Diuinæ Maieſtatis; & omnem imperfectionem ab ea auferunt. Ergo in tota doctrina Catholica eſt magna conſonantia veritatis; & nihil falſitatis admixtum.

Quòd contineat omnem Sanctitatem; & nihil approbet

quòd

quòd turpe sit (iuxtà illud Psal. *Lex Domini immaculata conuertens animas &c.*) imò tradat omnia quæ ad rectitudinem vitæ necessaria sunt. Probatur. Quia Moralia, quæ docet, Alia sunt naturalia, Alia supernaturalia. Priora pertinent ad legem Naturæ, quam doctrina fidei illustrat; & non solùm nihil continet illi contrarium, verùm etiam multa declarat & consulit, quæ ad perfectiorem illius obseruationem conferunt, vt constat ex doctrina Christi Matt. 5. Quæ est maximè consentanea rationi naturali, & nullus Philosophorum illam assequi potuit. Posteriora etiam maximam præseferunt honestatem, & nihil ei contrarium in illis ostendi potest; & alioqui sunt consentanea excellentiæ Diuinæ; qualia sunt ea, quæ pertinent ad perfectionem amoris eius, & ad grauitatem offensionis illius, & consequenter quæ pertinent ad supplicium peccatorum &c.

Quòd contineat efficaciam probatur. Quia per huius doctrinæ prædicationem pauci homines, pauperes, inermes, & paulò ante Idiotæ, nulla humana sapiẽtia instructi mundum subiecerunt; nõ ergo in humanæ sapientiæ verbis vt ait Apostolus, sed in virtute Spiritus. Adstruit efficaciam huius doctrinæ quòd hi pauci homines non temporalia præmia, non honores quærebant, neq; illa suis Discipulis promittebant, nec etiam prædicabãt doctrinam fouentem delicias aut voluptates; imò potius illis aduersantem; hisq; non obstantibus talem mundo doctrinam persuaserunt: Signum est ergo non fuisse Verbum Hominum, sed Verbum Dei, quod efficacissimum est ad conuertendas animas. Quænam igitur maior credibilitatis euidentia inueniri potest? Hinc Diuus Augustinus inquit. *Quod Mundus in Deum crediderit virtutis fuit Diuinæ, non persuasionis humanæ.*

Secundò principaliter. Quòd habeat innumeros, maximæq; auctoritatis testes probatur. Et primò quidem possemus afferre testimonium ipsius Sanctissimæ Trinitatis in-

Chri-

Christi baptismate, nec non testimonia Angelorum in Christi Natiuitate, & in alijs mysterijs: tamen quia huiusmodi personæ testificantes non erant visibiles sensibus humanis; ideò nunc his testimonijs non vtimur. Afferamus ergo testimonia visibilium personarũ distinguentes illa in sex ordines.

In primo ordine sit testimonium ipsiusmet Christi, qui dictam doctrinam prædicauit, quem (etiam vt Hominem) esse fide dignissimum externi quoq; homines confitentur, & præcipuè Iosephus: *Hebr.* & hoc propter eximiam eius vitæ Sanctitatem, & propter excellentem sapientiam, quam semper ostendit in responsis & prædicationibus suis.

In secundo ordine testimonium Prophetarum præsertim Moysis, & Ioannis Baptistæ.

In tertio ordine testimonium Apostolorum: nam præsumi non potest de illis, quòd aut per malitiam prædicauerint talem doctrinam, quia erant contemptores omnium rerum humanarum: aut per ignorantiam, quia ipsamet doctrina præfert summam lucem & sapientiam; & quia sapientes huius seculi nullum in ea errorem deprehendere potuerunt.

In quarto ordine testimonium Martyrum, qui inde etiam nomen acceperunt, quòd suo sanguine magnum huic doctrinæ testimonium perhibuerint. Aduertendum tamen est constantiam vnius vel etiam pluriũ in cõfitenda aliqua veritate vsq; ad mortẽ, nõ esse ex hoc præcisè sufficiens argumentum veritatis, aut testimonij diuini; nam multi hæretici pro suis erroribus mortui sũt affirmantes se mori propter Christum, eiusque doctrinam: ideò considerandæ sunt peculiares circumstantiæ Catholicorum Martyrum; sunt autem infrascriptæ. Prima est, quòd sunt in multò maiori numero; pro alijs enim sectis rari inuenti sunt, qui mortem sustinuerint: at pro fide Christiana Catholica innumerabiles extitere Martyres. Secunda modus patiendi; nam non solùm æquo animo, sed summa lætitia & cum magnis signis innocentiæ & Sanctitatis,

ctitatis, & sæpe etiam sapientissima responsa, & responsiones plus quàm humanas pro sua fide reddentes. Tertia, Quòd non solùm Viri sed etiam Fœminæ: & non solum ætatis proiectæ, sed etiam puerilis eamdem animi constantiam, alacritatem, & sapientiam in suis Martyrijs ostenderunt. Quarta. Infinita prodigia, quę accidebant dum Martyres patiebantur., & non solùm tempore passionis & mortis eorum; sed etiam in eorum tumulis & sepulchris. Quinta Quòd per tot hominum mortes non fuit Ecclesia diminuta; imò potius mirum in modum aucta; quia vt dixit Magnus Leo *singula grana quæ in terram cadebant multiplicata enascebantur.*

In quinto ordine testimonium Doctorum Ecclesiæ, qui etiam sunt maximi testes veritatis huius doctrinæ, & multùm conferunt ad credibilitatem eius, tùm propter excellentiam ingenij & summam sapientiam quæ in illis elucet; tùm propter magnam sanctitatem, tùm propter illorum multitudinem.

In sexto ordine sit testimonium, quòd desumitur ex consensu & multitudine populorum; quod sanè testimonium per se non sufficeret, nisi in his populis essent sapientes & probi Pastores; & nisi etiam in ijsdem populis magna sanctitas ex vitalis doctrinæ conspiceretur; vniuersaliter quidem in professione; & magna etiam ex parte in vita, & in executione.

Tertiò principaliter. Quòd Deus varijs modis quodammodo subscripserit, confirmauerit, & approbauerit prædicationem præfatæ Catholicæ doctrinæ, eiusq; veritatem. probatur.

Primò. Quia innumera miracula patrata, sunt in illius prædicatione tùm per Christum Dominum, tùm per Apostolos, tùm per alios Sanctos vt in historicis Ecclesiasticis, & Sanctorum vitis passim narratur. Est autem miraculum opus solius Dei iuxtà illud Psalmi *Qui facit mirabilia magna solus.*

Quia eſt ſuprà omnem virtutem cauſarum naturalium: non poteſt ergo niſi à Deo eſſe illa doctrina, quam Deus ſuis miraculis comprobat. Et quamuis alicui videri poſſit quòd miracula poſſint fieri etiam virtute Dæmonis; vt conſtat ex ijs, quæ Magi operabantur in Ægipto: nihilominus illa non erant nec poterant eſſe miracula vera, ſed ſolùm ſecundùm apparentiam. Signa enim veri miraculi ſunt iſta. Primum Diuturnitas & perſeuerantia effectus per miraculum patrati; nam quæ fictè tantùm & per apparentiam fiunt, non durant & ſubitò euaneſcunt. Secundũ Qualitas effectus; nã quando ſunt actiones vitæ, vt dare lumen cęco nato, vitã mortuo, &c. tunc oſtendunt veritatem miraculi. Tertium Inditia veritatis effectus, quæ eſſe ſolent in omnibus rebus, quas præ manibus gerimus; qua enim maiori euidentia conſtare poteſt aliquod vinum eſſe verum vinum, quàm fuerit illud, in quod Dominus aquam conuertit? Quartum Modus mirabilis operandi verum miraculum aut per orationem ad Deum, aut per imperium vt faciebat Chriſtus, qui erat Dominus Naturæ. Quintum Finis veri miraculi, in quo nihil temporale & humanum, nihilq; praui intenditur. Iſta ſunt nota & ſigna veri miraculi, quæ non inueniuntur in miraculis apparentibus, & quæ virtute Dæmonis fiunt: aut ſaltem non omnia. Porrò in miraculis innumeris patratis in atteſtationem ſupradictæ doctrinæ omnia prædicta ſigna eſt inuenire; fuerunt ergo vera miracula, quæ non niſi à ſolo Deo poterant fieri.

Sed obijciet aliquis. Non repugnat bonitati Dei interdum per homines prauos vera exhibere miracula; præſertim cum operatio miraculorum pertineat ad gratias gratis datas, quæ tùm bonis tùm malis communicantur. Ergo miracula quamuis vera non confirmant doctrinæ prædictæ credibilitatem.

Reſpondetur duobus modis poſſe fieri miraculum. Primò ſine vllo reſpectu ad confirmandam per illud aliquam veri-

ta-

tatem; sed solùm ad alicuius vtilitatem vt ad conferendam sanitatem vel quid simille. Secundò in testimonium alicuius doctrinæ vt veram esse confirmetur. Priori modo concedimus Deum posse facere miracula per homines etiam pravos, & in hoc sensu procedit obiectio; quamuis fortè rarissimè hoc contingat; & si quando contingit potiùs est ex fide recipientis, quàm ex virtute operantis. Posteriori modo fieri non potest vt miraculum fiat in confirmationem falsitatis; quia aliàs Deus cooperaretur mendacio, & esset testis illius.

Secundò. Quia inter miracula magna diuinæ potentiæ adnumerari potest duratio eiusdem doctrinæ ab initio prædicationis euangelicæ per tot secula vsq; nunc. Cum enim doctrina huius Catholicæ fidei ex vna parte sit valdè difficilis ad credẽdum quia multum excedit naturalem intellectus capacitatem; multumq; ardua ad obseruandum, quia multa præcipit valdè spiritualia, & concupiscentiæ repugnantia: & ex altera parte quàm plures Sectas & errores destruxerit; vnde factum est vt infinitos habuerit hostes potentissimos, quibus nihilominus non obstantibus integra semper permansit. Vtique fatendum est non nisi speciali Dei virtute & auxilio hoc factum esse; nulla enim virtus humana id efficere potuisset. Vnde experimento videmus impletam Christi promissionem, *Portæ inferi non præualebant aduersus eam.*

Ex prædictis omnibus manifestè colligitur euidentia credibilitatis doctrinæ fidei à Sancta Ecclesia Catholica Romana traditæ. Nec obstat, quòd multa ex his, quæ diximus, peruenerint ad nos per historiam, & per traditionem humanam; Quia talis historia & traditio est tàm constans tàmque vniuersalis & nota, vt sufficiat ad euidentiam humanam inducendam, qualis euidentia est in hac propositione *Roma est* & similibus.

Confirmatur totus præfatus discursus. Quia cum hæc doctrina sub diuina auctoritate proponatur, ad ipsius etiã Dei

auctoritatem & veritatem ſpectat non permittere vt ſub eius nomine,& teſtimonio homines cum tanta credibilitate decipiantur: propter quod Richardus de S.Victore cum Deo loquens auſus eſt dicere. *Si error eſt, quem credimus, à te decepti ſumus; ijs enim ſignis doctrina hæc confirmata eſt, quæ niſi à te fieri non potuerunt.*

§. 6. *An Obiectum Fidei Catholicæ Romanæ ſit magis credibile ſuper omnia alia obiecta aliarum Sectarum.*

PRædicta quæſtio ſolet proponi alijs verbis ſic. An doctrina Fidei Catholicæ Romanæ cõparata ad alias Sectas ſit euidenter credibilior illis: imò illæ omnes ſint pænè incredibiles ratione iſtius? Et Reſponſio eſt affirmatiua.

Probatur primò abſolutè. Quia ſtante euidentia credibilitatis Catholicæ Romanæ doctrinæ, vt ſuprà demõſtratum eſt, impoſſibile eſt quamlibet aliam doctrinam illi repugnantem in comparatione illius eſſe credibilem; alioquin propoſitiones contradictoriæ poſſent eſſe ſimul veræ; quod hoc exemplo erit manifeſtum. Doctrina Catholica dicit *Chriſtus eſt Deus.* Alia Doctrina, quæcunq; ſit, dicit *Chriſtus non eſt Deus.* Si vtraq; doctrina eſt credibilis, illæ duæ propoſitiones, quæ ſunt contradictoriæ eſſent ſimul veræ: hoc autem eſt impoſſibile: ergo ſtante euidentia credibilitatis noſtræ Catholicæ doctrinæ, neceſſe eſt vt aliæ doctrinæ repugnantes non ſint credibiles, aut ſaltem illarum qualiſcunq; apparens credibilitas ſit longè minor.

Probatur ſecundò. Comparando hanc noſtram doctrinam cum alijs Sectis. Theologi communiter tres præcipuas Sectas, ſeu infidelitatis genera ponunt, Paganiſmum, Iudaiſmum,& Hæreſim. Inter quæ hoc diſcrimen, quantum ad præſens attinet, intercedit quòd Pagani nec aliquas diuinas ſcripturas admittunt, nec in Chriſtum vllo modo credunt.

Iu-

Digitized by Google

Iudæi admittunt Scripturas veteris testamenti, & prætentur se credere Messiam, non tamen credunt iam venisse. Hæretici vtrumq; testamentum admittunt, & in verum Christum se credere profitentur, tamen in illius doctrina multum errant. Comparando igitur Fidem, Doctrinamq; Catholicam cum singulis prædictis deprehenditur longè credibilior.

Et quidem comparando illam cum Paganismo (sub quo comprehendimus tàm eos qui plures Deos colunt, qui propriè vocantur Gentiles; quàm eos qui vnum Deum confitentur, quos vocant propriè Mahumetanos) dicimus esse longè credibiliorem. Tùm quia Paganismus admittit multa contrà rationem naturalem de Deo, de illius prouidentia, de vltimo hominis fine: & multa etiam contrà bonos mores. Tùm quia auctores Sectarum Paganismi varijs vitijs subiecti fuere, vt videre est passim apud historicos. Tùm quia in Alcorano, (quam Scripturam Mahumetani vt suam legem, doctrinamq; recipiunt) multæ reperiuntur contradictiones, vt benè expēdit Dionysius Carthusianus. Tùm deniq; quia à Paganis nulla miracula fieri possunt: quòd si interdum aliqua similia fingere sunt ausi; falsitatis & deceptionis facilè sunt conuicti.

Comparando cum Iudaismo est etiam longè credibilior. Nam Iudæi in illo præcipuè errore versantur quod non admittant nec credant Messiam venisse: sed de hoc errore manifestè conuincuntur ex adimpletione prophetiarum veteris testamenti, quæ non solùm continent promissionem ipsius Messiæ, sed etiam signa particularia & sufficientia aduentus eius. Cum igitur dicta signa iam extiterint, vt manifestum est voluenti scripturas, non relinquitur dubitandi locus Messiam venisse.

Comparando cum Sectis Hæreticorum generatim etiam longè credibilior inuenitur. Ad cuius euidentiam sciendum est Hæreticos omnes in multis conuenire cum nostris Catholicis; & in multis discrepare. Conueniunt in his, Primò,

Quòd

Quòd doctrina à Christo & ab Apostolis tradita sit vera. Secundò. Quòd Fides Christi sit vera. Tertiò. Quod debeat esse pura ab omni falsitate. Discrepant autem in hoc, quòd vnusquisq; Hæreticus contendit suam doctrinam esse illam, quam Christus & Apostoli tradiderunt. Vt igitur ostendamus eos falli, & docere incredibilia ad comparationem fidei & doctrinæ quam Ecclesia Catholica Romana docet, nonnulla signa hæresis afferenda sunt. Possumus autem dicta signa colligere præsertim ex defectu illarum cõditionum, quæ requiruntur ad credibilitatem alicuius doctrinæ iuxtà illa tria fundamenta & capita posita in §. superiori.

Primum fundamentum credibilitatis erat Qualitas Doctrinæ nempe quòd debeat esse Vera, Sancta, Efficax (hic addimus vlterius) Antiqua & Constans. Sed omnes istæ qualitates deficiunt in doctrina omnium hæresum præsertim nostri temporis vt consideranti patet. Et quidem.

Veritas deficit in illis. Quia miscent aliqua contrà omnem rationem. Vt quod Deus sit auctor peccati. Ita Caluinus vt refert Becanus in manuale controuersiarum. Quòd non sint necessaria opera bona ad salutem. Quòd peccata tollantur per non imputationem; non autem per illorum expulsionem; & sanctificationem interioris hominis. Ita communiter Lutherani & Caluinistæ vt refert idem Becanus ibidẽ. Et multa similia absurda & contrà rationem.

Sanctitas, Rectitudo, & Honestas deficit. Quia multa contrà honestatem admittunt: præsertim tollunt liberum arbitrium, quod est fundamentum moralis bonitatis & honestatis. Sic enim scribit Lutherus referente Becano *Liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus inane; quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali aut boni; sed omnia sub Deo sunt, contra quem nihil possumus*. Similiter Caluinus, qui ponit duo principia destruentia libertatem arbitrij. Primum. Quòd nihil fiat Deo permittente; sed quæcunq; fiunt, fieri Deo volente.

lente. Secundum. Quòd voluntas Dei inferat rebus necessitatem. Ex quibus concludit omnia euenire necessariò, nihil liberè. Quis autem non videt hæc repugnare honestati; quia tollunt meritum & demeritum; laudem & vituperationem; præmium & pœnam &c.

Efficacia deficit. Quia omnes hæreses mouent homines ad tales Sectas amplectendas non propter pulchritudinem, veritatem, & puritatem doctrinæ propositæ; sed quia promittunt Sectarijs suis libertatem conscientiæ: Vnde laxant habenas omni generi voluptatum & vitiorum. Et quia proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua post naturæ corruptionem per peccatum; hinc non mirum si multi inueniantur qui tales pestiferas doctrinas amplectantur.

Antiquitas etiam deest illis. Quia in quacunq; hæresi notatur initium eius à tempore, & à loco: scilicet vbi & quando incæpit; & ab auctore, à quo nomen accepit. Vnde nulla hæresis potest reducere suam originem ad Christum, & Apostolos; sicut potest nostra Catholica & Romana doctrina; quæ semper continuè, successiuè, & absque vlla temporum interruptione seruata est in Ecclesia Dei, vt patet ex perpetua successione Pontificum Romanorum à Petro vsq; ad hunc qui modò sedet, fæliciterq; gubernat Innoc. X. qui huius doctrinæ & fidei custodes fuerunt, & quos vt Pastores Vniuersales semper agnouit Vniuersalis Ecclesia. Hæretici nostri temporis pressi hac difficultate fingunt suam doctrinam esse antiquam, & in primitiua Ecclesia fuisse; postea verò per multa tempora latuisse vsq; ad Lutherum v.g. vel aliquid simile. E contrario verò fidem Romanam antiquam per aliqua tempora duraſſe, postea verò sensim defeciſſe, & illam, quam nos Catholici nunc profitemur, non esse antiquam sed nouam. Sed hoc est ipsorum effugium; nam si eorum opinio antea erat, & latebat; ostendāt aliquod vestigium eius, vel quomodo eis innotuerit quod latebat. Et si Romana fides sensim de-

fecit,

fecit, assignent tempus in quo cæpit deficere, & quisnam dogma nouum antiquis contrarium cæperit docere. Quod cum non possint ostendere; & è contra ipsa constet experientia nunquam in Ecclesia fuisse exortum nouum errorem quin statim à Catholicis fuerit notatus & expugnatus, dicendum est ab hæreticis gratis hæc confungi ad eorum nouitatem occultandam.

Constantia deniq; deest illis. Quia in omni doctrina hæreticorum inuenitur summa mutabilitas & inconstantia, quæ maximè repugnat veræ Fidei. Tripliciter autem hęc inconstantia deprehenditur. Primò Quia auctor hæresis sæpè in vno loco contrarium illius affirmat, quod prius dixerat per incogitantiam vel inaduertentiam: & hoc in modernis hæreticis maximè notatum est. Secundò Quia idem auctor aliquando mutat opinionem, quã prius tenuerat. Tertiò Quia frequenter accidit vt post exortam hæresim statim diuidatur in plures per varietatem discipulorum; quod apertè repugnat vnitati fidei. Ratio huius inconstantiæ est; quia hæresis nõ fundatur in Spiritu Dei, sed in proprio iudicio; & ideò sicut inter Philosophos inuenitur hæc diuisio Sectarum, & opinionum, ita etiam inter Hæreticos. Hinc etiam notant Patres illud signum hæreticæ prauitatis, quod est mutilare Scripturam, eamq; proprio arbitrio interpretari, aut potius corrumpere; nam vbicunq; vrgentur aliquo Sacræ scripturæ testimonio ita vt illi respondere non possint, magna facilitate negant talem librum esse Canonicum. Ita de facto hæretici nostri temporis negant libros Machabæorum, quia ex illis manifestè probatur Purgatorium. Negant etiam Epistolã Iacobi, quia ex illa cõuincitur necessitas operum. Atq; ita fit vt proprio arbitrio, coniectura, vel affectu admittant, aut negent libros Canonicos, per quod destruitur tota certitudo & constantia doctrinæ Fidei.

Secundum fundamentum credibilitatis doctrinæ erat auc-

to-

doritas testificantium & prædicantiũ talem doctrinam. Hæc auctoritas maximè deficit in peruersis doctrinis hæreticorum, quod maximè notarunt Patres; quia auctor hæresis ordinariè solet esse vitijs deditus, ideoq; fide indignus. Maximè autem duci solent hæretici spiritu superbiæ. Vnde S. Augustinus inquit. *Vna superbia omnes illos genuit.* Sæpe etiam ducuntur Auaritia, vt de Simone Mago legimus in Actis Apostolorum. Aliquando verò concupiscentia & voluptate. Quæ omnia & alia plura complectitur Paulus Apostolus 2. ad Timot. 3. loquens de hæreticis. *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi &c. corrupti mente, & reprobi in fide.* His accedit quod regulariter initium hæresis sumitur ex aliqua humana occasione vt ex indignatione aliqua propter dignitatem non obtentam vel aliquid simile; quod in antiquis hæreticis notat Eusebius. De nouis autem hæreticis notæ sunt historiæ de Luthero, & de Henrico 8. Rege Angliæ.

Tertium fundamentum credibilitatis doctrinæ sumebatur ex diuinis & miraculosis operibus, per quę Deus ipse quasi subscribit tali doctrinæ quæ miracula maximè necessaria sunt quando doctrina, quæ vt supernaturalis proponitur, incipit introduci vt notauit Augustinus. Doctrina autem hæretica noua est, vt diximus, & ab ipsis hæreticis vt supernaturalis venditatur: Ergo deberent in illius confirmationem aliqua miracula exhibere: At nullum exhibent: nisi fortè quòd aliquem viuum ad veram mortem adduxerint dum volunt fingere illum mortuum, & ad vitam eorum precibus reuocatum, & similia deliria vt paulò post videbimus. Ergo signum est manifestum talem doctrinam nequaquam esse diuinam; quia ordinarius modus prouidentiæ diuinæ est doctrinam suam confirmare miraculis præsertim quando incipit euulgari.

7. Igitur conferendo omnia signa credibilitatis non solùm est euidens doctrinam, & fidem Catholicam Romanam esse

credibiliorem & per conſequens excellentiorem & digniorem omnium Sectarum; verùm etiam ſolam illam eſſe credibilem; & cæteras omnes incredibiles, improbabiles, damnabiles, & deteſtabiles.

Porrò vt quicunq; dignatus erit noſtras haſce legere lucubrationes aliquam habeat notitiam miraculorum, quæ ab hæreticis fiunt, ſubijciam duo exempla ex multis quæ poſſem afferre deſumpta ex Dauroultio, qui & ipſe ex fide dignis auctoribus hauſit: Sit igitur.

Primum de Martino Luthero. Is anno 1545. cum eſſet Vuittenbergæ, nixus eſt liberare puellam quamdam dæmoniacam, iuſſit illam adduci in Parochianæ Eccleſiæ Vuitembergenſis Sacrarium, illicq; coràm alijs pleriſq; Doctoribus Dæmonem occapit adiurare, & exorcizare, ſed id tamen more ſuo, non eo, qui apud Catholicos receptus eſt. Cum autem diu multumq; ille coniuraſſet Dæmonem, cedere ille noluit, ſed eas inter anguſtias (ſit venia verbo) Lutheri caligas redegit vt is quamprimùm è Sacrario ſe proripere vellet. At quid accidit? Malignus ille Dæmon vſq; adeò Sacrarij fores obſtrinxerat, vt neq; forinſecus, neq; intrinſecus aperiri poſſent. Quæres Lutherum in maiores anguſtias etiã adduxit ita vt iam ad feneſtrã properaret ſperans per eam ſe poſſe effugere, & exilire. Verùm obſtabant illi cancelli ferrei, ſic compulſus eſt incluſus hærere donec tandem per cancellos ab ædituo oblata eſſet ſecuris, quæ tradita iuueni robuſto fores effregit. Interea viſu admirandum erat vt Lutherus angoribus correptus ſurſum deorſumq; curſitaret, atq; inſtar ouis parturientis huc illuc q; ſeſe inuerteret.

Secundum de Caluino. Quidam Brulæus Oſturio Geneuæ à Caluino edoctus inſtructuſq; morbum ſimulat, & ſe in lectum abijcit. Miniſtri pro concione populo commendant vt precibus iuuent, eleemoſinis ſuccurant. Non diu poſt perſonam mortui induit, & quidẽ mortuum ſe ſimulat. Hinc

Caluinus clàm admonitus quasi tamẽ omnium rerum ignarus deambulatum prodit comitatus magna caterua amicorum. Postquam autem eo ventum est, vt clamores vxoris (quæ desolatam aliquam mulierem egregiè exprimebat) audit, quidnam esset scisciatus domum ingreditur, in genua ipse & reliqua caterua prouoluitur, precibusque alta voce profusis Deum obtestatur vt declarare velit potentiam suam simulque manifestum facere se Caluinum peculiarem sibique gratum seruum esse & se ad Euangelij sui ministerium, Ecclesiaq; reformationem singulariter vocatum. Post quas preces ad mortuum appropinquat, & miseri hominis manu apprehensa in Dei & Filij eius Domini nostri Iesu Christi nomine imperat vt se erigat, Deiq; sic gratiam manifestam faciat. Repetit iterum sæpiusq; eosdem sermones voce etiam altius eleuata. Quid fit? Neque audit, neq; loquitur, neq; se commouet mortuus, iusto enim iudicio is, qui se mortuum simulabat, verè mortuus repertus est. Quo animaduerso plorare ex animo cæpit vxor, & in Caluinum inuecta, impostorem eum, suarium, latronem, qui maritum interemisset, appellans ex ordine rem, quomodo erat gesta, alta voce exponit. Quæ cum nec admonitionibus vllis permoueri, neq; minis satis terreri posset vt taceret, Caluinus ea apud mortuum relicta, illinc se subduxit in vulgum spargens mærore mariti obitu deliram, ideoq; excusandam, & hoc illi indulgendum esse. Ecce qualia miracula sunt hæreticorum.

§. 7. *An Obiectum materiale Fidei conuenienter & sufficienter tradatur in Symbolo & per articulos.*

SYmbolum est vox Græca significans tàm signum seu indicium, quàm collectionem. Quia igitur Formula Fidei fidelibus proposita facta est ex collatione Apostolorum: &

proponitur fidelibus omnibus tanquam signum professionis suæ; ideò rectè ab Ecclesia vocatur Symbolum.

Dico igitur Primò. Conuenientissimum fuit ab Ecclesia fieri Symbolum materiam fidei complectens. Et ratio est. Quia conuenientissimum erat vt singuli fideles haberẽt breuem quamdam formulam fidei quam possent memoria retinere, & quotidie ac frequenter profiteri; & per quam possent se cognoscere, & discernere ab infidelibus; & item tueri se à falsis prædicatoribus, qui fidem corrumpere intendissent: sed huiusmodi formula est Symbolum; Ergo conuenientissimè fuit Symbolum institutum.

Dico secũdò. Materia Fidei sufficienter in Symbolo continetur. Colligitur ex Diuo Thoma & ex Suarez. Probatur. Quia in Symbolo continetur quicquid necessarium est credere explicitè: Vel (vt inquit D. Thomas) quæ per se pertinent ad fidem: illa autem per se pertinent ad fidem, quorum visione in vita æterna perfruemur, & per quæ ducimur ad vitam æternam. Duo autem nobis videnda proponentur; occultum scilicet Diuinitatis, cuius visio nos beatos facit; & mysterium Humanitatis Christi, per quem in gloriam filiorum Dei accessum habemus. Vnde dicitur Ioan. cap. 17. *Hæc est vita æterna vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Sed hæc omnia traduntur in Symbolo; nam ibi docetur Deus, qui est obiectum beatitudinis, quam speramus: traditur etiam Christus, qui est via, per quam tendimus; & de vtroq; docentur omnia mysteria substantialia, & maximè necessaria; ac tandem proponitur præsens Ecclesia, intra quam solam potest sperari salus: item proponitur vita æterna, & resurrectio quam speramus: ac deniq; non omittitur iudicium futurum, & consequenter etiam insinuatur æterna pæna malis præparata, quia timor etiam necessarius est ne spes in præsumptionem transeat; Ergo Symbolum sufficientissimè complectitur obiectum materiale seu materiam fidei.

Obij-

Obijcietaliquis. Omnia, quæ in Sacra Scriptura continentur, sunt credenda: sed Symbolum non complectitur illa omnia; Ergo non sufficienter complectitur omnem materiam fidei.

Respondetur dupliciter. Primò. Quòd omnia quæ in Sacra Scriptura habentur, credenda sunt vel explicitè vel implicitè; non enim omnia explicitè credere necesse est: Satis autem est vt Symbolum tradat omnia quæ explicitè credi debent. Sed ad maiorem claritatem explicandi sunt termini. Explicitè igitur credere nihil aliud est quàm credere aliquid in seipso ita vt sit proximum obiectum, in quod primariò & directè cadit assensus fidei. Implicitè credere, est credere in alio. Et hoc potest contingere tripliciter. Primò Ex parte obiecti formalis, in quo omnia credibilia annexionem habent, ita vt impossibile sit credere vnum ex hoc motiuo v.g. *Quia Deus dixit* quin animus sit paratus ad credendum omnia reuelata si sufficienter proponantur, atq; ea ratione creduntur implicitè: sicut è contrariò qui negat vnum articulum fidei implicitè negat omnia; quia non potest alijs per fidem adhærere. Secundò Ex parte personæ credentis relatæ ad alios explicitè credentes: sic enim fideles Idiotæ & simplices dicuntur credere implicitè omnia quæ Ecclesia credit, vel quæ Apostoli tradiderunt quamuis illi ignorent. Tertiò Ex parte materiæ, idq; etiam tripliciter scilicet vel quia vna propositio continetur in alia vt Conclusio in Præmissis ex quibus potest euidenter colligi. Sic qui credit Christum esse Hominem, implicitè credit esse risibilem. Vel quia vna propositio est connexa cum alia in re ipsa seu per identitatem rei; quamuis connexio ipsa non possit sine fide cognosci. Sic qui credit Deum esse infinitum, implicitè credit esse Trinum. Vel quia vna propositio continetur sub alia tanquam particularis sub vniuersali. Sic qui credit Sacramenta conferre gratiam, implicitè credit Baptismum conferre gratiam.

Se-

Secundò respondetur cum Sancto Thoma. Quæ in Sacra Scriptura continentur sunt in duplici differentia. Quædam pertinent per se ad fidem; & sunt ea quæ pertinent ad beatitudinem quam speramus, & ad media necessaria pro illa consequenda, quia *Fides est substantia rerum sperãdarum.* Quædam verò pertinent ad fidem non quasi principaliter intenta, sed quasi per accidens, ad manifestationem scilicet prędictorum: sicut quòd Abraham habuit duos filios: Quòd ad tactum Elisæi suscitatus est mortuus; & alia huiusmodi quæ narrantur in Sacra Scriptura in ordine ad manifestationem Diuinæ Maiestatis, vel Incarnationis Christi. Symbolum igitur sufficienter complectitur ea, quæ pertinent per se ad fidem; quæ autem pertinent per accidens nec debuerunt nec potuerunt redigi ad aliquam breuem summam; siue ad aliquod Symbolum.

Breuiter. Symbolum debuit cõflari ex illis quæ debemus credere explicitè: illa autem debemus credere explicitè, quę per se pertinent ad fidem: Illa autem per se pertinent ad fidem, quæ pertinent ad beatitudinem quam speramus, & ad media pro illa assequenda.

Dico tertiò. Symbolum Fidei aptè & conuenienter compositum est ex articulis fidei. Ratio. Quia nomen articuli nihil aliud significat nisi coaptationem quamdam aliquarum partium distinctarum: vbi ergo est inuenire partes alicuius totius distinctas & sibi inuicem coaptatas, ibi est assignare articulos. Sed in collectione per se credibilium est inuenire multa quæ sunt distincta propter specialem difficultatem credendi; & habent ad inuicem coaptationem; Ergo Symbolum fidei conuenienter traditur per articulos. Notandum hic non omnem propositionem de fide esse articulum fidei; quamuis è conuerso omnis articulus fidei sit propositio de fide credenda.

Dico quartò. Tria Symbola ab Ecclesia recepta inueni-

mus,

mus, scilicet Apostolorum, Athanasij, & Concilij Nicæni seu Constantinopolitani; quatenus in Nicæno fuit inchoatum, & in Constantinopolitano auctum & magis declaratum. Quando igitur est sermo de articulis fidei contentis in Symbolo intelligitur de Symbolo Apostolorum, quod scilicet ab Apostolis fuit compositum & fidelibus traditum. Quod duobus modis fieri potuit. Vel sic vt totum & singulæ partes eius inter omnes Apostolos conferrentur & approbarentur. Vel sic vt singuli Apostoli singulos articulos & sententias eius conferrent. Hunc posteriorem modum indicant Patres præsertim Augustinus apud Suarez. In hoc igitur Apostolorum Symbolo duodecim articuli assignantur iuxtà duodenarium numerum Apostolorum.

Sed dices. Ad quid multiplicare tot Symbola? Respondetur non esse superflua si considerentur fines singulorum. Nam Apostolicum est ad instructionem populorum, vt sciãt fideles quid credere debeant. Nicænum seu Constantinopolitanum ad refutationem errorum. Symbolum Athanasi ad maiorem explicationem mysteriorum.

§. 8. *De Obiecto formali, seu de ratione formali obiecti Fidei Catholicæ Romanæ.*

VIdimus in superioribus de obiecto materiali Fidei; nũc videndum de obiecto formali; seu, vt alij dicunt, ratione formali, quæ duplex est, nempe formalis sub qua, & hæc est credibilitas; & formalis per quam, quæ est motiuum quo intellectus mouetur ad assentiendum propositioni sibi propositæ; & hoc est proximè Reuelatio diuina; seu Auctoritas diuina; magis remotè Prima Veritas; remotissimè Deitas. Quod totum ostenditur hoc exemplo. Si quis fidelis interrogetur. Habes pro vera & certa hanc propositionem. *Deus est Trinus*. & similes. Vtiq; respondebit habeo pro certissi-

tissima. Si interrog. Vnde habes illius certitudinem. Resp. Quia credo. Int. Multa creduntur quæ non sunt vera & certa; quomodo ergo quia credis habes certitudinem talis propositionis? Resp. Quia Deus reuelauit. Int. Quare ex hoc, quod Deus reuelauit habes talem certitudinem? Resp. Quia Deus est summæ auctoritatis, & non potest fallere, neque falli. Int. Quare Deus non potest fallere &c. Resp. Quia est prima Veritas tàm in cognoscendo quàm in dicēdo: Et quia prima Veritas in cognoscendo ideò non potest falli; quia verò est prima Veritas in dicendo; ideò non potest fallere. Inter. Quare est talis prima Veritas? Resp. Quia Deus. Ecce quomodo manifestè colliguntur ista obiecta formalia, seu rationes formales, seu motiua fidei.

Probatur modò dictum. Illud est obiectum formale alicuius habitus, quod dat illi vnitatem, specificationem, & distinctionem ab omnibus alijs habitibus. Sed reuelatio diuina eo modo, quo dictum est, dat fidei vnitatem, distinctionem &c. Ergo reuelatio diuina est obiectum formale fidei. Maior est principium vniuersale ab omnibus admissum. Minor ostenditur sic. Fides versatur circa res varias & distinctissimas v t constat; Vnde igitur habet quòd sit Vna? Certè non aliunde nisi quia testimonium Dei, seu reuelatio eiusdē rationis super omnes illas cadit. Similiter circa eamdem materiam versari contingit Fidem Diuinam, Fidem humanam, & Scientiam. Exem. gra. huic propositioni. *Deus est Vnus.* possum præbere essensum scientificum, Fidei Diuinæ, & Fidei Humanæ. Vnde igitur isti assensus distinguuntur? certè non aliunde quàm ex motiuis assentiendi; quia Motiuū assēsus Fidei humanæ est auctoritas hominum puta Platonis Aristotelis &c. Motiuum assensus scientifici est ratio demōstratiua; Motiuum verò assensus Fidei Diuinæ est testimonium & reuelatio Diuina.

§. 9.

§. 9. *An detur aliqua infallibilis Regula dignoscendi quodnam sit verum obiectum Fidei Diuinæ.*

SVppono esse necessariam in Ecclesia Regulam aliquam infallibilem Fidei, cui omnes summa certitudine credere teneantur, & qua vti possint Prædicatores Fidei, & Doctores Ecclesiæ ad discernendam Catholicam Doctrinam à falsa, & ad fidem ipsam sufficienter proponendam. Quod sic ostenditur. Ecclesia Christi Vna est, & perpetuitatem habet iuxtà verbum Christi. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Hæc autem Ecclesia non potest in suo esse & in sua puritate conseruari nisi vna & eadē fides in ea semper duret; Quia Fides est quasi vinculum huius Ecclesiæ & quasi forma, per quam constituuntur membra eius; impossibile autem est fidei vnitatem in hac Ecclesia conseruari nisi sit in ea aliqua infallibilis regula, quam omnia huius Ecclesiæ membra in credendo sequi teneantur: Quia alioquin deficiente tali regula vnusquisq; sequeretur suum iudicium & opinionem pro regula in discernenda vera fide à falsa; vel saltem quilibet populus Doctorem aliquem pro regula sibi proponeret: & tot essent regulæ quot Doctores: Ergo aliqua infallibilis Regula ad tuendam vnitatem fidei, & Ecclesiæ necessaria est. His suppositis.

Dico. Quinq; à Catholicis numerantur Regulæ credendi. Prima Scriptura Sacra. Secunda Traditio. Tertia Ecclesia secundùm se sumpta. Quarta Eadem Ecclesia vt loquens per Concilium. Quinta eadem Ecclesia vt loquens per suum caput nempe Summum Pontificem, & Christi Vicarium seu Episcopum Romanum. Duæ priores dicuntur Regulæ inanimes & mortuæ. Tres posteriores dicuntur Regulæ Animatæ & Viuæ.

Prima igitur Regula est Scriptura Sacra, id est Scriptura instinctu Spiritus Sancti scripta dictantis non tantùm sensum sed etiam verba. Et ratio est. Quia si Scriptura est Verbum Dei scriptum, necesse est vt sit Regula veritatis, quia nulla est certior Regula, quàm Dei auctoritas, quæ in verbo eius continetur, & per illud applicatur. Vnde sicut impossibile est mentiri Deum, ita impossibile est mendacium in Scriptura reperiri.

Obijcitur. Regula debet esse clara & perspicua: sed Scriptura est valdè obscura; & quod amplius est, sub vna litera plures habet sensus vel mysticos, vel literales, ex quibus mystici non faciunt per se certam fidem; literales autem sunt ambigui. Ergo non potest Scriptura esse Regula.

Respondetur. Concedendo Scripturam magna ex parte obscuram esse & intellectu difficilem; quod est contra hæreticos huius temporis, qui prædicant Scripturam esse claram vt plebem decipiant; & tamen euidentia est in contrarium, & ipsamet Scriptura contrarium asserit. Diuus enim Petrus Epistola 2. cap. vltimo de Epistolis D. Pauli sic asserit. *In quibus sunt multa difficilia intellectu*. Quæ difficultas & obscuritas oritur tùm ex altitudine materiæ, & mysteriorum quæ in ea tractantur, & rerum futurarum quæ prædicuntur: tùm ex modo dicendi breui, magnaque mysteria paucis verbis complectente: tùm ex varia significatione verborum tàm propria, quàm metaphorica: tùm deniq; ex proprijs idiotismis linguarum, in quibus scripta fuit. Quod factum fuit ex speciali Dei prouidentia vel ad exercenda fidelium ingenia & fidē; vel vt altiora mysteria occultè traderentur. Conceditur etiam eamdem Scripturā plures habere sensus etiam sub eadem litera. Nam.

Duplex est sensus. Vnus literalis, Alter Spiritualis seu mysticus. Literalis est, quem immediatè significant verba; qui rursus duplex. Alter Proprius, quem verba continent

in

in propria significatione, qui sensus ordinariè retinendus est, & alijs præferendus, nisi necessitas vel auctoritas aliud ex necessitate postulet, vt rectè Augustinus *de doctr. Christ. cap. 5. & 15.* quia aliàs nihil esset firmum in Scriptura. Alter Metaphoricus, quem verba immediatè reddunt in metaphorica seu impropria significatione (hunc sensum aliqui vocant Spiritualem, sed immeritò, quia sæpe accidit vt verba non habeant alium sensum literalem & immediatum, sine quo esse non possunt vt iam Christus dixit. *Ego sum vitis vera.*)

Sensus Spiritualis est ille qui continetur in re per verba significata; quia in diuino sermone non tantùm verba, sed etiam res significant; & ideò hic sensus obscurior est & per se non valet ad confirmationem dogmatum nisi alibi sit authenticè explicatus iuxtà D. Thomam *1. p. q. 1. art. 10.* Et hic sensus est triplex, scilicet Tropologicus seu Moralis, qui refertur ad mores. Anagogicus, qui refertur ad statum æternæ beatitudinis. Allegoricus, qui refertur ad mysteria Christi, vel Ecclesiæ militantis.

Quamuis prædicta duo cõcedamus, nimirum Scripturam esse obscuram, & habere plures sensus; non concedimus tamen non posse esse Regulam fidei; sed dicimus & concludimus dictam Sacram Scripturam non esse priuato iudicio interpretandam ad hoc vt possit certam fidem facere: sed debere eodem spiritu intelligi quo facta est, vt possit esse vera Regula fidei. Ita docet Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 4.* quatenus duas tradit Regulas intelligẽdi Scripturam. Prima est iudicium Ecclesiæ, quod si sit definitiuum, facit fidem infallibilem. Secunda, vnanimis consensus Patrum, qui potest dupliciter se habere. Primò, ita vt Patres tradant talem sensum tanquam certum, vel tanquam traditum ab Apostolis: & tunc facit certam fidem, quia tunc Patres sunt sufficientes testes de communi sensu & traditione

Ecclesiæ, Secundò, ita vt Patres solùm tradant hunc sensum tanquam proprio ingenio inuentum; & tunc nō facit certam fidem; valdè tamen temerarium esset illis cōtradicere, Nam vt Augustinus *loc. cit.* dixit, non est verisimile Patres ita conuenire sine Spiritus Sancti regimine.

Secunda Regula Fidei sunt Traditiones Diuinæ. Ad euidentiam afferendæ sunt aliquot traditionū genera, & diuisiones.

Prima Diuisio. Traditionum quædam sunt Vniuersales totius Ecclesiæ Catholicæ. Quædam particulares quarumdam Ecclesiarum.

Secunda Diuisio. Traditionum quædam sunt perpetuæ ab initio Ecclesiæ obseruatæ. Quædam temporales, quarum initium cognoscitur, vel positiuè, vt quando constat quo anno, aut quo tempore incæperint; vel negatiuè, vt quando constat propè initia Ecclesiæ talem v.g. consuetudinem non fuisse, & postea in ipsa Ecclesia inueniri.

Tertia Diuisio. Traditio Vniuersalis & Perpetua iterum subdistinguitur, nam Altera Diuina, Altera Apostolica est (quæ duæ voces solent confundi quatenus omnis Traditio Apostolica est aliquo modo Diuina, quia Apostoli nihil Ecclesiæ tradiderunt sine speciali Spiritus Sancti regimine: & è conuerso omnis Traditio Diuina est aliquo modo Apostolica, quia per Apostolos promulgata est: tamen reuera membra inter se sunt distincta) Traditio Diuina est illa cuius Deus ipse, seu Christus Dominus est immediatus institutor rerum vel doctrinæ, quæ per talem traditionem data est: Apostoli verò solùm fuerūt promulgatores similis traditionis vt v.g. mysterij Trinitatis, Eucharistiæ & similium. Traditio Apostolica est illa, cuius Apostoli fuerunt institutores, vt v. g. quòd Bigamus non ordinetur; & ita hæc traditio simpliciter humana est quia per voluntatem humanam est introducta etiam si Deus specialiter gubernauerit talem voluntatem (solet hic addi tertium membrum traditionis, quæ vocatur

tur Ecclesiastica, & est illa, quæ post Apostolos per Ecclesiã, vel Pontifices, vel per nõ scriptam consuetudinem est introducta: sed huiusmodi traditio non est ex illis quas perpetuas vocamus ab initio Ecclesiæ.

Quarta Diuisio. Traditio in communi iterum distinguitur in Doctrinalem, & Moralem. Doctrinalis est de his, quæ credenda sunt, & per se non ordinantur nisi ad veram & sufficientem cognitionem Dei & Christi ac felicitatis æternæ, & mysteriorum, quæ ad illum finem conducunt. Moralis continet præcepta morum à Christo vel Apostolis tradita, sub quibus etiam Concilia comprehendimus. Doctrinalis semper est Diuina, quia Fides, vt in superiori diximus, debet niti immediatè & formaliter auctoritati Diuinę. Moralis ambigua est; nam possunt in Ecclesia esse præcepta diuina per Apostolos promulgata, & possunt esse præcepta propria per Apostolos tradita. Ad distinguendas ergo has morales traditiones, oportet obseruare materiam; nam si traditio continet præceptum pertinens ad substantiam Sacramentorum, vel Sacrificij, vel ad necessitatem fidei expressæ necessariæ ad salutem traditio est Diuina: si verò de alijs obseruantijs & cæremonijs accidentalibus, traditio censenda est Apostolica. His præmissis,

Dicimus Traditiones quæ sunt Vniuersales, Perpetuæ, & Diuinæ, tàm doctrinales, quàm morales (si tamen includant aliquid credendum) esse Regulas Fidei. Probatur Tùm auctoritate Sacræ Scripturæ. 2. ad Thessal. 2. *Tenete traditiones quas didicistis siue per sermonem siue per Epistolam nostram.* Tùm auctoritate Sac. Concilij Tridentini sess. 4. & Conc. Constantinopolit. 5. act. 10. & aliorum vt *apud Suarez. de fide sect. 4. nu. 8.* Vnde Epiphanius hæresi 61. ait. *Oportet autem & traditione vti: non enim omnia à Diuina Scriptura possunt accipi. Quapropter aliqua in Scriptis, aliqua in traditione Sanctis Apostoli tradiderunt, quem admodum dicit S. Apostolus sicut tradidi*

didi vobis. Tùm ratione. Quia quod eſt credendum, eſt verbum Dei; Ergo quod ſit ſcriptum vel non ſcriptum non variat; neq; minuit eius auctoritatem, quia hæ conditiones extrinſecæ & accidentariæ ſunt; ſicut mandatum Principis eãdem vim & auctoritatẽ habet apud ſubditos ſiue ſcripto ſiue viua voce proferatur: ſed traditio Eccleſiæ ſufficienter proponit Verbum Dei non ſcriptum; Ergo non eſt minor Regula credendi quàm libri, qui continent Verbum ſcriptum. Reſpondent Hæretici verum quidem eſſe Verbum Dei etiam non ſcriptum ſufficere ad credendum ſi daretur; de facto tamen non dari tale Verbum. Sed contrà. Quia gratis hoc affirmant & ſine fundamento; nam Scriptura nunquam dixit, nullum eſſe Verbum Dei in Eccleſia, quod in ipſa non ſit ſcriptum.

Tertia Regula Fidei eſt Eccleſia Vniuerſalis prout dicit Corpus myſticum omnium Chriſti fidelium ſimul cum ſuo capite Põtifice Romano Chriſti Vicario. Sed vt hæc aſſertio magis pateat ſtabilienda ſunt infra ſcripta puncta, quæ ab hæreticis modernis controuertuntur, tamen benè defunduntur, & ſtabiliuntur à Becano in ſuo manuali controuerſiarum.

Punctum primum. Eccleſia Chriſti quæ in terris eſt, & quam militantem appellamus, viſibilis eſt & conſpicua. Probatur. Quia illa Eccleſia neceſſariò viſibilis eſt, in quia Epiſcopi & Paſtores viſibiliter debent gubernare ſuos ſubditos, viſibiliter docere, hortari, Sacramenta adminiſtrare, peccantes corrigere, contumaces ab aliorum commune ſeparare. Et viciſſim vbi ſubditi debent agnoſcere ſuos Paſtores, eorum monitis obtemperare, inſtructionem & Sacramẽta ab eis precipere. Sed hæc omnia fiunt in Chriſti Eccleſia militante. Ergo vera Chriſti Eccleſia militans neceſſariò & verè viſibilis eſt.

Obijciet aliquis. Quod fide credimus non eſt viſibile. Sed Eccleſiam fide credimus; Ergo Eccleſia non eſt viſibilis.

Re-

Reſpondetur tria poſſe conſiderari in Eccleſia. Primò. Multitudo ſeu collectio eorum hominum qui ſunt in Eccleſia. Secundò. Externum regimen, quo Prælati Eccleſiæ gubernant ſuos ſubditos docendo, hortando, iudicando, puniendo, Sacramenta adminiſtrando &c. Tertiò. Interna Fides doctrina & charitas qua inter ſe vniuntur. Duo priora ſunt viſibilia; tertium eſt inuiſibile, & hoc cadit ſub fidem. Huius rei varia extant exempla. Apoſtoli in Chriſto videbant humanitatem, credebant diuinitatem. In Baptiſmo videmus externam aquam & ablutionem; credimus internam vim regenerandi, & peccata abluendi. In Codice Bibliorum videmus chartam, Scripturam, codicem ipſum: credimus quod in eo continetur eſſe verbum Dei. Idem dicimus de Eccleſia. Eſt aliquid in ea quod credimus: eſt aliquid quod videmus: Credimus veram eſſe doctrinam, quæ in Eccleſia traditur: Videmus homines, externos ritus & Sacramenta, quæ in Eccleſia ſunt.

Punctum ſecundum. Hæc viſibilis Eccleſia eſt Vna, Sancta, Catholica, Apoſtolica, Sponſa Chriſti, Domus Dei, Columna & Firmamentum veritatis. Ita paſſim docent Scripturæ, Symbola Fidei, & Patres. Explicemus ſingula.

Dicitur *Vna*, propter vnionem & conſenſum eorum qui in Eccleſia ſunt. Omnes enim vnam eamdemq; fidem profitentur iuxtà illud Apoſtoli Epheſ. 4. *Vnus Dominus, Vna Fides, Vnum Baptiſma*, Et qui recedunt ab hac Fidei Vnitate propriè Sectarij & Hæretici appellantur. Ideò ad eam conſeruandam nos frequenter hortatur Apoſtolus 1. Cor. 1. inquiens. *Obſecro vos fratres vt id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata*. Et Hæbre. 13. *Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci*; & alibi ſæpe.

Dicitur *Sancta* Primò. Quia nemo in eam ingreditur niſi per baptiſmum ablutus & ſanctificatus. Secundò. Quia ipſius inſtituta, cæremoniæ, Sacramenta, & doctrina ad ſanctita-

ctitatem tùm efficiendam, tùm conseruandam ordinantur. Tertiò. Quia extrà illam nulla potest esse sanctitas. Quartò. Quia Christus illius caput & Sponsus est Sanctus Sanctorum. Nec obstat quòd multi mali sint in Ecclesia, quia per hoc non desinit esse Sãcta tùm propter rationes allatas; tùm etiam quia multi in ea sunt Sancti.

Dicitur *Catholica* id est Vniuersalis tribus de causis. Primò. ratione loci, quia per vniuersum orbem diffusa est. Secundò. ratione temporis, quia semper durabit iuxtà prophetiam Danielis. cap. 2. *Suscitabit Dominus Cæli Regnũ, quod in æternum non dissipabitur*. Tertiò. ratione saluandorum; quia quotquot saluantur, in visibili Ecclesia saluantur, & nullus extrà eam saluari potest. Hinc patet discrimen inter Ecclesiam Christi & Synagogam Iudæorum; hæc enim nullo ex prædictis modis fuit Catholica id est Vniuersalis. Non primò. Quia non fuit diffusa per totum orbem; sed per solam Palæstinam. Non secundò. Quia non durauit nisi certo tempore nempe vsque ad mortem Christi. Non tertiò. Quia poterant saluari homines etiam extrà Synagogam vt Niniuitæ & alij.

Dicitur *Apostolica* Tùm quia in Apostolis initium habuit. Tùm quia ab Apostolis per orbem terrarum propagata est. Tùm quia sequitur doctrinam Apostolorum iuxtà illud Galat. 1. *Licet nos aut Angelus de Cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis anathema sit*. Denique quia retinet successionem Episcoporum ab Apostolis.

Dicitur *Sponsa Christi* quia Christus indissolubili vinculo eam sibi coniunxit secundùm illud in Osea cap. 2. *Sponsabo te mihi in sempiternum*. Habet autem hæc Sponsa tria priuilegia, quæ tria simul sumpta nulli vnquam Sponsæ obtigerunt. Primum. Quòd sit fæcunda iuxtà illud Gal. 4. *Non sumus ancilla liberi*. Secundum. Quòd semper Virgo iuxtà illud 2. Cor. *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo*. Tertium.

tium. Quòd ex latere Sponsi progenita, vt pleriq; volunt per illud Ioannis 19. *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua.*

Dicitur *Domus Dei* Quia tametsi vbiq; sit vt ipsemet fatetur apud Ierem. cap. 23. *Cælum & terram ego impleo.* tamen peculiari modo habitat in Ecclesia tanquam in domo sua propter specialem assistentiam & gubernationem. Hanc domum ipse sibi ædificauit vti suprà firmam petram vt nunquam ruitura sit. In hac habet dispensatorem familiæ suæ. In hac generat filios per Baptismum, instruit per prædicationem Euangelij, nutrit per Eucharistiam, sanat per Pœnitentiam, & extremam vnctionem.

Punctum tertium. Extrà hanc visibilem Ecclesiam nemo potest saluari. Ita passim docent Patres, & præsertim S. Augustinus multis in locis, quos citat *Becanus man. Contr. lib. 1. cap. 3. nu.* 28. sed singularis est ille locus Aug. lib. de Vnitate Eccl. cap. 19. vbi sic inquit. *Ad ipsam verò salutem ac vitam æternam nemo peruenit nisi qui habet caput Christum: habere autem caput Christum nemo poterit nisi qui in eius corpore fuerit quod est Ecclesia.* Eius rei variæ assignantur causæ ab Augustino. *ser.* 181. *de temp.* Prima Quia in sola Ecclesia immolatur hostia redemptionis. Secunda In sola vinea laborantes mercedem denarij accipiunt. Tertia Omnes, qui extra arcam Noë fuerunt, diluuio extincti sunt. Quarta Membrum, quod non manet in corpore vitam habere non potest. Quinta Ramus præcisus ab arbore non potest germinare. Sexta Riuus à fonte separatus aresci. Huc spectat illud D. Cypriani. lib. de Vnit. Ecclesiæ. *Non habet Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem.*

Punctum Quartum. Hæc visibilis Ecclesia non potest deficere, vel errare in Fide. Hæc conclusio non debet intelligi de aliqua parte Ecclesiæ, sed de tota Ecclesia. Nam certum est aliquam Ecclesiæ partem, id est aliquos Christianos

errare posse, & re ipsa errasse. Errauit Arius negans Christi diuinitatem. Errauit Macedonius negans Spiritus Sancti diuinitatem. Errauit Nestorius asserens duas in Christo personas; & sic de pluribus alijs, qui omnes propter suos errores ab Ecclesia damnati & tanquam putrida membra abscissi sunt. Dicimus ergo totam Ecclesiam, id est totam multitudinem Christianorum quatenus ex pastoribus & ouibus conflata est, non posse errare in aliquo puncto, vel articulo fidei; ita vt publicè profiteatur aliquod dogma quod sit contra Fidem vel Euangelium. In hoc puncto dissentiunt à nobis Hæretici; aiunt enim totam Ecclesiam visibilem, quæ primis quingentis annis habuit veram fidem, & religionem, postea errasse, & multis seculis ad tempora vsq; Lutheri, in errore perstitisse. Sed delirant; quia ipsi concedunt & admittunt illum articulum fidei in Symbolo contentum *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Sed articuli Fidei semper sunt veri; ergo semper fuit & est verum dari Ecclesiam visibilem, quæ Sancta & Catholica sit; ergo falsum est totam Christi Ecclesiam visibilem post primos quingentos annos defeciisse. Nam si ita esset, non licuisset tunc dicere *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Hæc igitur Ecclesia Christi non potest deficere vel errare in fide propter peculiarem Spiritus Sancti assistentiam, quam Christus illi promisit vt habetur Matt. 28. in illis verbis. *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi.*

Punctum quintum. Ecclesia Romana seu Pontificia est vera Christi Ecclesia, de qua hactenus dictum est; non autem Ecclesia Lutheranorum & Caluinistarum, quam ipsi Reformatam vocant. Pro intellectu Conclusionis notandum Ecclesiam Romanam dupliciter sumi posse. Primò Pro illa sola Ecclesia particulari, quæ olim Romæ fuit & nunc est. Secundò Pro collectione omnium fidelium, qui toto orbe dispersi

ſperſi adhærebant olim Romano Pontifici & nunc etiam adhærent. Et in hoc poſteriori ſenſu habet varia nomina. Primò dicitur Catholica ſeu Vniuerſalis, quia toto orbe diffuſa. Secundò Pontificia quia Pontifici ſubiecta. Tertiò Romana à nobiliori ſui parte. Igitur in hac Concluſione loquimur de Romana Eccleſia poſteriori modo ſumpta, & aſſerimus eam eſſe verã Chriſti Eccleſiam, cuius proprietates hactenus explicatæ ſunt. Quod ſic oſtenditur. Viſibilis Chriſti Eccleſia nõ poteſt deficere aut errare in fide vt ſuprà probatum eſt. Ergo à tempore Apoſtolorum ad nos vſq; ſemper manſit Eccleſia ſine vlla interruptione & errore. Ergo ſola Romana ſeu Pontificia eſt viſibilis Chriſti Eccleſia de qua dictum eſt. Et hoc manifeſtè patet inductione. Quia Iudaica abrogata & repudiata eſt per mortem Chriſti. Turcica ſeu Maumetana non ſemper fuit. Caluiniana & Lutherana, quam reformatam vocant, noua eſt; cæpit enim cum ipſa reformatione (à qua nomen habet) quæ à Luthero & Caluino facta eſt, vt ipſorum aſſeclæ dicunt. Sola Pontificia hucuſq; perſeuerauit & perſeuerat.

Quid hic dicent Hæretici? An putant aliam præter Pontificiam viſibiliter, & ſine errore ſemper extitiſſe? Si putant, dicant, obſecro, quæ illa ſit? quo nomine appelletur? quas mundi partes occupauerit, & adhuc occupet? quos Paſtores & Epiſcopos habuerit, & adhuc habeat? qui Reges & Imperatores illi adhæſerint & adhuc adhæreant? qui Hæretici ab illa damnati? quæ templa & monaſteria erecta? Quid hic reſpondebunt?

Non deſunt tamen qui oppreſſi hoc argumento fingant Eccleſiam quamdam in cunis iacentem ac vagientem, quæ nec fari poſſit nec fidem profiteri. Aiunt enim Eccleſiam Chriſti aliquot ſeculis tàm fuiſſe corruptam ac vitiatam vt nulli in ea fuerint veri fideles niſi infantes baptizati. Et ſine dubio intelligunt Eccleſiam Romanam ſeu Pontificiam

cialiſſima ſeu Diæceſana: & hæc ſunt Synodi quæ in ſingulis Epiſcopatibus cõgregantur, in quibus vnus tantùm Epiſcopus præeſt, & inferiores Paſtores cũ illo conueniũt. Secundum genus eorum, quæ dici poſſunt particularia, & ſunt in duplici differentia: Quædam ſunt Concilia Prouinciarũ & vocantur Prouincialia, in quibus præeſt vnus Archiepiſcopus cum ſuis Suffraganeis Epiſcopis. Quædam ſunt Concilia Regionum, ſeu Nationum & vocantur Nationalia. Tertium genus eorum, quæ dicuntur Generalia ſeu Vniuerſalia, & ſunt ea quæ congregantur auctoritate Pontificis, qui etiam in eo præſidet vel per ſe, vel per Legatos ſuos. Et de his pronunciauimus eſſe Regulam Fidei.

Quinta Regula Fidei eſt Eccleſia vt loquens per ſuum caput, id eſt Summum Pontificem. Itaq; Pontifex definiens ex Cathedra eſt Regula Fidei, quæ errare non poteſt, quando aliquid authenticè proponit Vniuerſæ Eccleſiæ tanquam de Fide diuina credendum. Probatur. Nam Chriſtus dedit Petro & ſucceſſoribus eius auctoritatem paſcendi Eccleſiam maximè in doctrina, & ſingulari modo, id eſt non tantùm per auctoritatem prædicãdi, quam omnibus Apoſtolis indifferenter tribuit cum dixit. *Euntes docete omnes gentes, & prædicate Euangelium omni Creaturæ.* Sed per poteſtatem iuriſdictionis interpretandi, ſeu proponendi veritates credendas & ſub obligatione illas credendi. Ergo hæc poteſtas habet neceſſariò adiunctam infallibilitatem & aſſiſtentiam Spiritus Sãcti. Conſequ. probatur; quia hoc neceſſarium eſt propter infallibilitatem Eccleſiæ in credendo quam ſuprà oſtendimus; nam ſi Pontifex docens illo modo eam poſſet decipere etiam ipſa poſſet decipi; immò cogeretur ad errorem quia credere teneretur. Antecedens probatur. Quia Chriſtus Petro dixit. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & porta inferi nõ praualebunt aduerſus eam & tibi dabo claues Regni Cælorum.* Quibus verbis Chriſtus Dominus inſtituit

Ec-

Ecclesiam suam vt esset vna Spiritualis Respublica habens monarchicum regimen, quod ipsemet Christus in Petro inchoauit vt perpetuò duraret in Successoribus eius; hoc enim indicant illa verba *Et portæ inferi non præualebunt &c.* Quibus Christus significauit perpetuitatẽ ædificij fundari in illa petra; & consequenter illam petram fore perpetuam non in Persona, sed in Cathedra & successione. Hinc est quòd Patres communiter docent Ecclesiam Romanam esse Matrem & Magistram omnium Ecclesiarum.

§. 10. *An debeat dari aliquis Iudex in controuersijs de obiecto Fidei, & quisnam debeat esse.*

SÆpe solent oriri controuersiæ inter Christianos circa materiam Fidei & Religionis. Quæstio igitur est, quis debeat esse Iudex in huiusmodi controuersijs decidendis? Et quamuis hæc quæstio coincidere videatur cum superiori de regula Fidei; vnde satis explicata ibi manet: nihilominus maioris claritatis gratia hic iterum pertractatur sub alijs terminis.

Hæretici dicunt solam Scripturam esse: & ex ea sola, (exclusis Traditionibus, & authoritate Ecclesiæ) controuersias omnes finiri ac decidi posse, innixi quibusdam testimonijs Sacræ, paginæ vt illi Ioan. 5. *Scrutamini scripturas.* & Matth. 15. *Irritum fecistis mãdatum Dei propter traditionem vestram &c.* Et 2. Timot. 3. *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, & arguendum, ad corripiendum &c.* Et Actor. 17. *Quotidie scrutantes scripturas si hæc ita se haberent.*

Catholici distinguunt inter Iudicem & Normam. Iudicem vocant qui fert sententiam inter partes litigantes. Normam, secundùm quam fertur sententia à Iudice. Posita hac distinctione tria docent. 1. Ecclesiã esse Iudicem controuersiarum. 2. Normam, quam sequitur Ecclesia in ferenda sen-

ten-

tentia non esse solam Scripturam, sed Scripturam & Traditionem simul. 3. Ecclesiam iuxtà hanc normam dupliciter sententiam pronunciare posse: vel per Pontificem, qui est Pastor Ecclesiæ vel per Concilia à Pontifice approbata, quæ repræsentant Ecclesiam.

Hanc Catholicam sententiam omninò tenemus, & priorem hæreticam refellimus ostendendo non posse solam Scripturam esse Iudicem controuersiarum.

Primò Ex officio Iudicis, quod Scripturæ non competit. Sic. Qui est Iudex inter duos litigantes debet ita pronunciare sententiam vt vterque litigãtium clarè intelligat quænam sit sententia Iudicis: & alter eorum fateatur illam pro se, alter contrà se latam esse: alioqui, nisi aliter fiat, non cessabunt à lite, sed vterque suam causam prosequetur. Hoc est clarum. Sed Scriptura non potest hoc præstare, quia Lutherani & Caluinistæ multis iam annis litigant de his punctis nempe De baptismo paruulorum. De reali præsentia Christi in Eucharistia. De prædestinatione. De Persona Christi, & de alijs. Et tamen Scriptura, quam volunt esse Iudicem, non potest dirimere aut finire has ipsas controuersias, nec hactenus auditum est ita pronunciasse sententiam, vt vel Lutherani vel Caluinistæ fassi sint contrà se pronunciatum esse. Ergo Scriptura non potest esse Iudex in controuersijs Fidei, & Religionis.

Secundò. Ex parte ipsius Scripturæ, Sic. In scriptura duo spectanda sunt. Litera, & Sensus: sicut in Homine Corpus & Anima. Sed neutro ex capite Scriptura potest esse Iudex controuersiarum, Non ex litera, quia vt inquit Apostolus 2. Corin. 3. *Litera occidit, Spiritus autem viuificat.* Sic olim occidit Iudæos ducẽdo eos in errorem; nam omnia quæ in Moyse & Prophetis prædicta erant de Christo, intelligebant secundùm externũ literam sensum, eiò interius latentem non percipiebant. Sic etiam occidit Hæreticos, quis in suis er-

rori-

roribus propterea perierunt, quòd relicto ſcripturæ ſenſu quem ſequitur Sancta & Catholica Eccleſia, alium ſenſum ſecundùm externam literam amplexi ſunt: vt multis exemplis demonſtrat Becanus. *lib. 1. cap. 5. in man. Controu.* Non poteſt autem eſſe infallibilis Iudex controuerſiarum, qui ducit hominem in errorem & hæreſim; quia propterea quærimus infallibilem Iudicem, ne erremus. Neq; etiam ex ſenſu. Quia ſcriptura quoad verum & legitimum ſenſum ſæpè eſt obſcura & difficilis intellectu: ac proinde ſæpè oritur controuerſia, quæ requirit aliquem Iudicem. Debet ergo aliquis eſſe Iudex qui definiat hunc eſſe legitimum ſenſum, illum nõ eſſe: At hic Iudex nõ poteſt eſſe ipſa Scriptura, de cuius mente & ſenſu controuerſia mouetur. Ergo aliquis alius diſtinctus ab ipſa Scriptura.

Tertiò. Ex parte controuerſiarum, de quarum Iudice quæſtio eſt. Nam aliquæ controuerſiæ ſunt, quæ ex ſcriptura dirimi non poſſunt, cum nulla de ijs in ſcriptura fiat mentio. Exempli gratia. An libri Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici & Machabæorum ſint Canonici & diuini? nec ne? Negant Lutherani & Caluiniſtæ. Nos affirmamus. At quis erit Iudex, qui litem hanc dirimat? Scriptura eſſe nõ poteſt. Et ipſimet Lutherani & Caluiniſtæ non prouocant ad Scripturam, ſed ad Canonem & Traditionem Iudæorum. Aiũt libros iſtos in Canone Hebræorum qui extat apud Hieronymum non reperiri. Vnde fatentur alium in hac cauſa Iudicem, quàm Scripturam, eſſe oportere. Et quem illum? Traditionem Iudæorum. Mira res pluris Iudæos, quàm Chriſtianos faciunt. Similiter An Sacramenta nouæ legis ſint ſeptem vel plura vel pauciora? Hæretici dicunt eſſe duo, Baptiſmum & Euchariſtiam. Nos Catholici, ſeptem. Quid autem Scriptura? Nihil de hoc numero definit. Ergo Scriptura in hac controuerſia Iudex eſſe non poteſt. Ergo alius Iudex quærendus eſt.

Quin-

Quartò. Ex analogia seu proportione Iudicis controuersiarum ciuilium & politicorum. Nam Iudex controuersiarum non est lex scripta, sed Princeps, aut Consistoriũ Principis. Ita controuersiarum Fidei & Religionis Iudex non potest esse Scriptura. Ad cuius euidentiam sciendum multiplicem spectari posse analogiam inter res Fidei ac Religionis ex vna parte, & inter res ciuiles & politicas ex altera. 1. Sicut in politicis ac ciuilibus sæpe oriuntur lites ac controuersiæ, quæ requirunt aliquem Iudicem, qui sententiam ferat inter partes litigantes: sic etiam fit in Fide ac Religione. 2. Sicut in controuersijs ciuilibus distinguuntur hæc tria, Iudex, Lex scripta, & Consuetudo: sic etiam in controuersijs Fidei hæc tria, Iudex, Scriptura vtriusq; Testamenti, & Traditio. 3. Sicut Princeps vel Magistratus secularis fungitur officio Iudicis in decisione controuersiarum ciuilium: sic etiam Princeps Ecclesiæ, vel Synodus Ecclesiastica fungitur officio Iudicis in decisione controuersiarum Fidei. 4. Sicut Lex scripta est quasi norma quædam seu regula, quam sequitur Iudex secularis in decidendis cõtrouersijs ciuilibus: sic etiam scriptura vtriusque Testamenti est quasi norma quædam seu regula, quam sequitur Iudex Ecclesiasticus in decidendis controuersijs Fidei. 5. Sicut sola lex scripta non est sufficiens & integra norma omnium controuersiarũ ciuiliũ; sed lex scripta & cõsuetudo simul: sic etiã sola Scriptura vtriusq; Testamenti non est sufficiẽs & integra norma omnium controuersiarũ Fidei, sed Scriptura & Traditio simul.

Ad testimonia Scripturæ malè ab Hæreticis intellecta sic respondetur. Ad illud Ioannis. *Scrutamini Scripturas* respondetur Christũ in illo loco remisisse Iudæos ad scripturã non tanquã ad Iudicem controuersiarum; sed vt intelligerent ex scripturis se esse Messiã à Deo promissum. Ad illud *Irritum fecistis &c.* respõdetur ibi damnari traditiones particulares contrà legem Dei. Ad illud *Omnis Scriptura &c.* respondetur

Scripturã esse normam &c. sed non esse Iudicẽ vt dictũ est.

Quidam simpliciores sic vlterius obijciunt. Iudex controuersiarum in rebus fidei debet esse infallibilis qui errare non possit, quia si ipse erraret, reliqui etiam errarent; qui illius sententiam sequerentur. Iam verò constat, ex vna parte scripturam esse infallibilem, cum sit verbum Dei, quod errare non potest: Et ex altera, homines non esse infallibiles, sed mendaces & errori obnoxios iuxtà illud Apostoli ad Rom. 3. *Est autem Deus verax; omnis autem homo mendax.* Ergo scriptura potest esse infallibilis Iudex: homines verò, cùm sint mendaces non possunt: At Pontifex est homo: & Ecclesia nihil aliud est quàm collectio hominum: Ergo Pontifex & Ecclesia sunt mendaces & errare possunt. Nemo igitur est tutus ac securus in negotio Fidei, qui illorum sententiam sequitur.

Hæc obiectio, si quid roboris ac momenti habet, non minus valet contrà aduersarios quàm contrà nos. Nam si omnis homo mendax est & errare potest, necessariò sequitur Moysen, Prophetas, Apostolos, Euangelistas, Lutherum quoq; & Caluinum, itemq; omnes Prædicantes Lutheranos & Caluinianos mendaces esse, & errare posse, quia homines sunt. Nihil igitur illis credendum aut fidendum est: sed omnia quæ ab illis dicuntur, suspecta & incerta haberi oportet. Vbi ergo Fides? nec refert si dicant se non hominis, sed Dei verbum annunciare. Nam si mẽdaces sunt, etiam in hoc puncto mentiri possunt. Nihil ergo certi est.

Sed absit vt nos ita loquamur, aut sentiamus. Longè aliter res se habet. Ac primò quidem fatemur, Scripturam certam ac infallibilem esse, quia verbum Dei est, sed addimus, cum sæpè obscura sit, non facilè vnicuiq; constare posse de legitimo illius sensu. Itaq; alio Iudice opus est, qui infallibiliter decernat quis legitimus Scripturæ sensus sit. Hic autem Iudex non potest esse quilibet homo priuatus, quia alio-

alioqui tot essēt diuersi Iudices, quot diuersa capita & sententiæ. Et sic nulla controuersia componi posset. Quisque enim diceret se benè sentire, reliquos malè. Necesse igitur est vt sit aliquis publicus Iudex, qui cum authoritate decernendi & definiendi inter partes litigātes, potestatē habeat.

Deinde asserimus, homines dupliciter spectari posse. Primò Quatenus sunt filij Adam, & obnoxij varijs corruptionibus: Sic sine dubio proni sunt ad mēdacium & falsitatem. Secundò Quatenus à Spiritu Sancto dirigūtur & gubernantur ad aliorum instructionem: Sic infallibiles & sine mendacio sunt. Talis in veteri Testamento fuit Moyses cum Senatu seniorum. Tales alij Pontifices qui deinde secuti sunt. Tales Prophætæ Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, & alij. Tales in nouo Testamento Apostoli, quibus dictum est à Christo. *Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis* sic Ioan. 15. Et alibi Ioan. 16. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* At vbi omnis veritas, ibi nullum mendacium. Talis denique semper fuit & nunc etiam est Ecclesia, quæ propter perpetuam Spiritus Sancti assistentiam & directionem nunquam errauit hactenus, nec deinceps errare poterit. Est enim ædificata *supra firmam petram, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Matt. 16. Et vt Apostolus ait. 1. Timot. 3. *columna & firmamentum veritatis.* Est igitur infallibilis Iudex, quem quærimus.

Sed an omnes & singuli, qui in Ecclesia sunt habeant hāc assistentiam & directionem Spiritus Sancti vt in fide errare non possint? facilis responsio. Singuli quidem habent sed dependenter ab ipsa Ecclesia. Quamdiu ergo manent coniuncti cum Ecclesia errare non possunt: Si dissentiunt ab Ecclesia, iam errant. Quod declarari potest similitudine ducta à membris humani corporis. Nam si quæras, an singula membra, quæ sunt in humano corpore, habeant in se spiritus vitales & sensitiuos, quibus vita cōseruatur? respondendum

dum est, singula quidem habere, sed dependenter à capite & corde. Nam à capite & corde, tanquam à duplici principio, deriuantur huiusmodi spiritus in reliqua membra. Vnde si intercipiantur aut occludantur meatus illi seu carnales, per quos fit illa spirituum deriuatio & distributio, necesse est vt reliqua membra destitui spiritibus, & officium suum exercere non possint. Sin pateant & aperti sint, res salua est. Sic etiam in Ecclesia. Singuli fideles qui sunt quasi membra Ecclesiæ, habent quidem assistentiam & directionem Spiritus Sancti, sed dependenter à Pontifice, qui est veluti caput Ecclesiæ, & à Concilijs, quæ sunt quasi cor Ecclesiæ. Quamdiu ergo singuli manent colligati cum doctrina Pontificis & Cõciliorum, participant de assistentia & gubernatione Spiritus Sancti nec in fide errare possunt. Sin per discordiam & pertinaciã discedant à capite & corde, iam occludunt sibi omnes meatus, vt assistentia & directio diuina ad eos deriuari non possit. Et sic à vanitate abducuntur, & erroribus obnoxij sunt. Quod contigit Ario, Nestorio, Macedonio, Pelagio, & sexcentis alijs tùm antiquis tùm modernis hæreticis. Hinc Apostolus frequẽtissimè nos hortatur ad consensũ & vnitatẽ doctrinæ vt Rom. 16. *Rogo autem vos fratres vt obseruetis eos qui dissensiones & offendicula prater doctrinam, quam vos didicistis, faciunt; & declinate ab illis.* Et 1. Corint. 1. *Obsecro vos fratres vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Et Ephes. 4. *Seruantes vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum Corpus, & vnus Spiritus; sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, Vna Fides, Vnum Baptisma.* Et Hebræ. 13. *Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci.*

§. 11. *De Actu Fidei quotuplex sit.*

POstquam vidimus de obiecto Fidei tàm materiali quàm formali, priusquam dicamus de illius Habitu, dicendum

dum est de Actu, qui natura sua prior est; nam propter illum est Habitus, & ab illo speciem sumit. Igitur Actus Fidei duplex est nimirum Interior, qui est ipsum *credere*: & Exterior, qui est *Confessio Fidei* iuxtà illud Apostoli Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

Quantum ad actum Interiorem, qui est *credere*. Sciendum est nihil aliud esse credere quàm *assentiri firmiter rebus reuelatis propter authoritatem Dei obscurè reuelantis*, Est autem actus elicitus ab intellectu; quia credere nõ est appetere aliquam bonitatem; sed est cognoscere quandam veritatem: Cognitio verò est actus elicitus ab intellectu. Quamuis autẽ actus credendi eliciatur ab intellectu, imperatur tamen à voluntate non solùm quoad exercitium actus (hoc enim commune est omnibus actibus seu cogitationibus intellectus) sed etiam quoad determinationem & speciem actus; vt est communis omnium Patrum sententia, de qua testatur Suarez *de Fide disp. 6. sect. 6. nu.* 5. Probatur ex illo loco Apostoli 2. Cor. 10. *In captiuitatem redigentes omnem intellectũ in obsequium Christi.* Quasi diceret per imperium voluntatis captiuitantes intellectum &c. Colligitur etiam ex scripturis dicentibus posita eadem prædicatione Euangelij quosdam credere, quosdam non credere, quæ est indifferentia quoad specificationem; nam illud non credere significat positiuum dissensum. Probatur etiam ratione primò à priori. Quia nihil est quod necessitet intellectum ad credẽdum. Non Deus inferendo illi necessitatem extrinsecam. Non alia causa extrinseca, quia solus Deus habet potestatem mouendi mentem immediatè præsertim ad actum secundum. Non alia causa intrinseca; quia hæc est sola euidentia. Sed in actu fidei non datur euidentia; Ergo restat vt sola voluntas determinet intellectum ad credendum. Secundò à posteriori. Quia Infidelitas est graue peccatum iuxtà illud. *Qui non crediderit condemnabitur*. Peccatum autem supponit libertatem

ad

ad oppoſitum actum: Ergo qui credit, voluntariè & liberè credit: Ergo credere eſt actus imperatus à voluntate.

Quantum ad actum exteriorem, qui eſt *Confeſsio* Hæc *eſt locutio exterior manifeſtatiua eorum, quæ in corde concipiuntur*. Eſt autem triplex vt docet S. Thomas 2.2.q.3.a. 1. *ad* 1. Vna eſt confeſſio eorum, quæ ſunt Fidei, & iſta eſt proprius actus fidei. Alia eſt Confeſſio gratiarum actionis ſiue laudis: & iſta eſt actus latriæ; ordinatur enim ad honorem Deo exterius exhibendum, quod eſt finis latriæ. Tertia eſt Confeſſio peccatorum: & hæc ordinatur ad deletionem peccati, quæ eſt finis pœnitentiæ; vnde pertinet ad pœnitentiam. Quòd Confeſſio eorum, quæ ſunt fidei, ſit proprius actus fidei probat D. Thomas. Quia, inquit, actus exteriores illius virtutis propriè ſunt actus, ad cuius fines ſecundùm ſuas ſpecies referuntur, ſic ieiunium ſecundùm ſuam ſpeciem refertur ad finem abſtinentiæ, quæ eſt compeſcere carnem, & ideò eſt actus abſtinentiæ. Confeſſio autem eorum quæ ſunt fidei, ſecundùm ſuam ſpeciem ordinatur ſicut ad finem, ad id quod eſt fidei ſecundùm illud 2. Cor. 4. *Habentes eumdem ſpiritum fidei, credimus propter quod & loquimur*. Ergo ſicut conceptus interior earum rerum quæ ſunt fidei eſt propriè actus fidei; ita etiam & exterior Confeſſio.

§. 12. *De actu interiori quando neceſſarius.*

SVppono Fidem actualem (idem enim eſt actus Fidei, & Fides actualis) eſſe neceſſariam non ſolùm neceſſitate medij, ſed etiam neceſſitate præcepti omnibus vſum rationis habentibus ad primam, & ſecundam ſalutem non ſolùm implicitè, verùm etiam explicitè quoad aliquos articulos.

Dixi *neceſſitate medij* Quia ad Hebræos 11. Apoſtolus dicit. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator eſt*. Vbi notanda eſt particula *oportet credere*

quæ

quæ ſatis indicat fidei actualis neceſſitatem, ideſt quod homo actu credat, ſeu eliciat actum fidei; & quidem ibi oſtenditur neceſſitas medij.

Dixi *ſed etiã neceſſitate præcepti.* Tùm quia quę ſunt neceſſaria neceſſitate medij multò magis ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti; quilibet enim tenetur aſſumere medium ſibi neceſſarium ad ſalutem. Tùm etiam quia Marci vltimo capite dicitur. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur*; Ex quibus verbis colligitur iſta neceſſitas præcepti; nullus enim condemnatur niſi peccauerit; omne verò peccatum eſt per tranſgreſſionem alicuius præcepti.

Dixi *Omnibus vſum rationis habentibus*; Quia paruulis ante vſum rationis ſufficit fides habitualis infuſa à Deo in baptiſmo. De qua infra.

Dixi *ad primam ſalutem* id eſt ad iuſtificationem. Quod probatur ex Concilio Tridentino, *ſeſſ. 6. cap.* 8. ſic habente. *Fides humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum eius conſortium peruenire*. Et quidem ibi eſt ſermo de fide actuali; nam ſupra *ibid. cap.* 6. idem Concilium dicit. *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam dum excitati diuina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum, credentes vera eſſe, quæ diuinitus reuelata, & promiſſa ſunt; atq; illud in primis, à Deo iuſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu* vbi notãda eſt particula *credentes* quæ apertè indicat actum fidei, qui eſt *credere*.

Dixi *ad ſecundam ſalutem* Quiã ſecunda ſeu vltima ſalus non obtinetur ante iuſtificationem ſeu antè primam ſalutem; nihil enim coinquinatum intrabit in Regnum Cælorum inquit Scriptura *Apocal.* 21. id eſt nullus obtinebit ſalutem æternam, antequam iuſtificetur per gratiam, per quam non iuſtificatur ſine fide.

Dixi

Dixi *non solùm implicitè sed etiam explicitè quoad aliquos articulos.* Quod expressè asseritur ab Apostolo illis verbis. *Accedentem ad Deum &c.* Quinam articuli debeant explicitè credi dicetur §. sequenti. His suppositis quærimus quando sit necessarius actus fidei interior. Quod explicabimus in sequentibus afferendo nonnullos casus.

Primò. Ille qui baptizatus est in infantia, & postquã adeptus est vsum rationis, cognoscit necessitatem fidei; ille, inquam, tenetur directè ex vi præcepti ad eliciendos actus fidei, & si omittit grauiter peccat nisi per inaduertentiam seu inuincibilem ignorãtiam excusetur. Ratio est. Quia quilibet tenetur assumere medium necessarium ad salutem dum potest; alioquin grauiter peccat. Ob eamdem rationem tenentur infideles actum fidei elicere, dummodo illis sufficienter proponantur ad credendum articuli fidei; sufficienter autem proponuntur quando rationibus, aut miraculis, aut signis, aut coniecturis ita proponuntur, vt ratio dictet fidem nostram esse veram, & ipsorum sectam esse falsam: non tamẽ peccant infideles contrà hoc præceptum quando articuli fidei nondum fuerunt ipsis sufficienter propositi; quia *qui credit citò leuis est corde Eccles.* 19. Ex quo sequitur infidelem, aut hominem baptizatum sed nutritum & instructum inter infideles non peccare contrà præceptum fidei, nec esse hæreticum disputando cum dubio de rebus fidei, quæ nondum sibi fuerunt sufficienter propositæ; fieri tamen potest vt peccet contrà ius naturæ si colat idolum aut adulteretur; nam hæc sunt contrà ius naturæ dictans adulterium vitandum & vnum Deum colendum esse.

Secundò. Tenetur homo actum fidei elicere quando tenetur se ad Deum conuertere, & gratiam ante amissam recuperare. Verum quidem est, quòd præceptum fidei in hoc casu non obligat per se & directè; sed per accidens, quatenus scilicet homo tenetur se ad Deum conuertere, quod facere

non

non potest sine Spe, consequenter neq; sine Fide, cum speremus ea, quæ credimus. Existimant tamen aliqui non improbabiliter hominem, qui semel iustificatus est, & elicuit actus fidei, non teneri iterum explicitè actus fidei habere quando postea vult iterum iustificari per Sacramentum pœnitentiæ, aut per actum contritionis; vel sufficere actum fidei præteritum, & non retractatum.

Tertiò. Quando periculum est incidendi in aliquod peccatum nisi actus fidei eliciatur. Ratio. Quia quilibet tenetur assumere medium necessarium ad vitandum peccatum, alioquin exponit se periculo peccandi, & peccat eo peccato, cuius periculo se exponit non assumendo medium ad illud vitandum. Verum nihilominus est hoc peccatum sufficienter in Confessione exprimi explicato peccato, ad quod vitandum necessarius erat actus fidei; nam in hoc casu præceptum fidei non obligat per se & directè; sed per accidens, vt dictum est supra.

Quartò. In articulo mortis, quatenus homo tunc tenetur se ad Deum per actum contritionis conuertere, qui in articulo mortis necessarius est; actus autem contritionis, vt dictum est, habet implicitè adiunctum actum fidei & spei, cum nullus possit Deum super omnia diligere, & peccatum detestari super omnia quatenus est Dei offensa, nisi in Deum credat & speret.

Quintò. Quando fidem exterius tenetur confiteri, quam non potest confiteri absq; actu interno fidei; quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media, sine quibus finis subsistere non potest; actus autem externus confessionis fidei si humano modo siat, non subsistit sine actu interno.

§. 13. *De quibus articulis actus Fidei interior debeat esse explicitus.*

SVppositis ijs, quæ diximus suprà §. 9. præsertim quòd credere aliquid explicitè sit credere in se; credere autẽ implicitè sit credere in alio: modò dicimus actum fidei debere esse explicitum de omnibus illis articulis, qui proponunt nobis nostrum vltimum finem in quem tendimus; & viam per quam tendere oportet. Vnde debemus credere explicitè hos articulos. Primò Deum esse, & remuneratorem esse. Secundò Mysterium Trinitatis: Quia sine cognitione Trinitatis non potest cognosci Christus, qui est Vnigenitus Patris, & conceptus virtute Spiritus Sancti: cognitio autem Christi est necessaria, vt mox dicetur, Hinc Matth. 28. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Tertiò Mysterium Christi, quia ipse est via perueniendi ad Deum iuxtà illud Ioan. 14. *Ego sum Via, Veritas, & Vita.* Sicut igitur est nessaria cognitio finis in quẽ tendimus; ita etiam est necessaria cognitio viæ per quam ambulare & peruenire debeamus ad finem. Hinc Ioannis capite 17. dicitur. *Hæc est autem vita æterna vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.*

Porrò non omnes articuli, qui ad Christum pertinent, necessariò sunt explicitè credendi, sed illi solummodo qui sunt fundamentum nostræ salutis; sunt autem ij qui cõtinentur in Symbolo Apostolorum, vt Christum esse verum Deum & verum Hominem: Mortuum esse: ac Resurrexisse pro totius humani generis salute &c. quos tamen articulos non est necesse memoria tenere & recitare eo prorsus ordine, aut ijsdem omnino verbis, quibus proponuntur; sed satis est scire substantiam ita vt, si de illis interrogetur homo, rectè respondeat, & illa debito tempore seruet.

§. 14.

§. 14. *De actu exteriori Fidei quando necessarius,*

PRo resolutione supponendum duplex esse Præceptum, Affirmatiuum, & Negatiuum. Affirmatiuum est illud, quo præcipitur aliqua actio facienda. Negatiuum est illud, quo prohibetur aliqua actio. Hoc supposito.

Dico Primò. Homo tenetur aliquando ex præcepto affirmatiuo fidem exterius confiteri, iuxtà illud *Luc. 9. Qui me erubuerit, hunc filium hominis erubescet.* Et illud. *Matt. 10. Qui me confessus fuerit confitebor & ego eum &c.* Et alibi. *Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Si ad salutem est necessaria confessio fidei: Ergo homo tenetur aliquando fidem exterius confiteri cum teneatur ad præstandum ea, quæ sunt necessaria ad salutem. Dixi *aliquando* quia præcepta affirmatiua non obligant secundùm omne tempus, sed in certis quibusdam casibus.

Interrogabit aliquis quinam sunt isti casus, in quibus tenetur homo fidem exterius confiteri.

Respondeo. Primus est quando non confitendo fidem subtrahitur honor debitus Deo.

Secundus. Quando ex omissione talis confessionis aut sequitur damnum spirituale: aut impeditur vtilitas spiritualis proximi. Hos duos casus ponit Diuus Thomas 2.2. q. 3. art. 2.

Tertiò. Quando ipsius confitentis propria salus id exigit. Vnde ad praxim si ex taciturnitate, aut dissimulatione, aut fuga tua probabiliter putetur sequuturũ esse Vel Religionis Catholicæ contemptum: Vel proximorum scandalum: Vel illorum spiritualem ruinã: in huiusmodi casibus teneris fidem palam profiteri. Similiter teneris, si ex publica tua professione secuturum sit magnum augmentum Religionis, aut cultus diuini, cui salus corporalis meritò postponenda est

ſecundum Charitatis ordinem. Item teneris, ſi tibi *ipſi* periculum imminet ne fidem abneges, niſi eam oblata occaſione palàm profitearis. Exceptis dictis caſibus & excluſo omni motiuo alicuius aut neceſſitatis aut vtilitatis profiteri fidem ſuam publicè apud Hæreticos, alioſue infideles cum illorum perturbatione temerarium potius cenſendum, quàm laude dignum teſte Diuo Thoma loc. cit. ad tertium. Prædictis tribus caſibus addunt Doctores alios duos ſequentes. Nempe.

Quartus Quando aliquis ſuſcepturus eſt munus docendi aliquam artem literariam vt Gramaticam, Philoſophiam &c. etiam ſi priuatim in domibus doceat. Iſti enim tenentur Fidei profeſſionem emittere ex decreto Pij IV.

Quintus. Quando quis ad beneficium parochiale promouetur, vel de Canonicatu, aut Dignitate in Eccleſia Cathedrali prouidetur.

Dico ſecundo. Homo ex præcepto negatiuo ſemper prohibetur negare fidem externa voce vel alio quocunq; ſigno etiam ad vitandam mortem. Similiter etiam ſemper prohibetur falſam Religionem & Fidem profiteri, quamuis id faciat ad vitandam mortem. Ita S. Thomas 2. 2. *q.* 3. *art.* 2. quem ſequuntur omnes. Ratio. Quia præceptum negatiuum obligat ſemper & ad ſemper. Ampliatur dictum vt procedat etiamſi ille, qui exterius negat veram fidem, vel falſam profitetur, interius veram fidem retineat; quia adhuc facit contrà virtutem veritatis, quæ obligat nos vt non mentiamur: mẽtiremur autem ſi externa voce negaremus Fidem Chriſti, quam interno corde profitemur. Hinc ſequitur non licere Catholico negare ſe eſſe Catholicum; tùm quia hoc eſſet negare fidem Chriſti, quod eſt contrà obligationem Confeſſionis fidei: tùm quia eſſet mendacium, quod eſt contrà obligationem veritatis. Si autem quis Lutheranus, aut Caluiniſta negaret ſe talem eſſe, peccaret tantũmodo contrà

trà veritatem, non contrà Confessionem Fidei. Idem dicendum de Catholico Sacerdote, aut Religioso, qui negaret se Sacerdotem aut Religiosum esse; is enim peccaret quidem contrà veritatem quia mentiretur; non tamen contrà Confessionem fidei quia non negaret fidem sed statum.

Dico tertiò. Licitum est Christiano seu Catholico ad interrogationem priuatam alicuius infidelis occultare fidem tacendo, aut dissimulãdo, aut ambiguè respondendo: dummodo ex tali occultatione non subtrahatur honor Dei aut spiritualis vtilitas proximi, vel propria: vt dictum est: quod tunc certè eueniret quando adessent alij Christiani qui grauiter offenderẽtur vel scandalizarentur ex interrogati silentio vel dissimulatione: aut quando adessent Hæretici vel alij infideles, qui benè affecti essent ad Fidẽ Catholicam, & propter talem occultationem inciperent dubitare de illius veritate. Ratio pro Conclusione est. Quia in tali casu non vrget præceptum affirmatiuum de cõfitenda fide, quod tunc vrget, vt diximus in prima Conclusione, quando honor Dei, aut vtilitas spiritualis propria, vel proximi interuenit. Dixi in Cõclusione *Ad interrogationem priuatam* quia si interrogetur à persona publica an sit Christianus vel Catholicus? non potest tacere aut ambiguè tergiuersari; sed tenetur apertè confiteri se talem esse. Ratio autem diuersitatis quoad hoc inter priuatam & publicam personã est. Quia persona publica habet ius ac potestam interrogandi, ac proinde interrogatus tenetur ei respondere; non potest autem respondere nisi quod verũ est; ergo si interrogetur an sit Christianus aut Catholicus? tenetur respondere se talẽ esse. At priuati homines nõ habent ius ac potestam interrogandi, & examinãdi alios de rebus ad se non pertinentibus; ac proinde interrogati non tenentur illis respondere; ergo possunt tacere vel interrogationem elidere dicendo Quid ad te? Quorsum me rogas? aut simibilibus verbis. Objcies Principes vel Magi-

stra-

ſtratus infidelis non habet poteſtatem interrogandi & examinandi Chriſtianos de ſua fide. Reſpondeo Principem aut Magiſtratũ infidelẽ habere talẽ poteſtatem ſi ille Chriſtianus ſiue Catholicus ſit ſubditus, vel commoretur in prouincia illius Principis cauſa mercaturæ ſiue alterius negotij: Princeps enim temporalis habet ius ac poteſtatem inquirendi quid in ſuo regno ſiue à domeſticis ſiue ab extraneis agatur; & cuius quiſq; ſit vitæ, famæ, ac religionis, vt hac ratione conſeruare poſſit pacem & tranquillitatem in regno ſibi commiſſo.

Dico quartò. Homo Chriſtianus tempore perſecutionis poteſt fugere vel ſe occultare, ne cogatur reſpondere de rebus fidei; vt ſic periculum vitæ euadat. Ita communiter Doctores per illud Domini Matt. 10. *Cum autem perſequentur vos in Ciuitate iſta fugite in aliam*. Et confirmatur exemplo Pauli Apoſtoli, qui cum cuſtodirentur portæ Ciuitatis, per murum in ſporta dimiſſus eſt vt poſſet fugere. Ratio eſt. Quia in tali caſu fugiens non ſignificat per ſuam fugam ſe non eſſe Chriſtianum vel negare fidem Chriſti, ſed potius indicat contrarium, nempe ſe nolle fidem Chriſti negare, & ideò vitare periculum negandi: Vel certè ſe cupere adhuc diutius viuere, vt poſſit fidẽ Chriſti propagare, quod omnino Paulum ſpectaſſe credibile eſt. Videri poteſt S. Athanaſius in apologia pro ſua fuga.

Non negamus fieri poſſe, vt huiuſmodi fuga propter aliquam circumſtantiam reddatur illicita, præſertim in Paſtore, vel Epiſcopo, qui ratione ſui officij tenetur manere apud ſuos ſubditos tempore perſecutionis etiam cum periculo vitæ, idque ex duplici cauſa. Primò. Ne ſubditi fideles, qui manent in perſecutione, relinquantur ſine Paſtore, cuius præſentia tunc maximè neceſſaria eſt. Secundò. Quia fuga Paſtorum ſolet eſſe occaſio minoris æſtimationis fidei, vt ait Diuus Thomas. 2. 2. *q.* 3. *art.* 2. *ad* 2. Nam infideles inſul-

inſultant Chriſtianis & contemnunt eorum Religionem quando vident à proprijs Paſtoribus in caſu neceſſitatis illam non defendi.

Dico quintò. Non poteſt Homo Chriſtianus ſimulare alienam fidem & Religionem exercendo actiones, vtendo rebus, veſtibus & ſignis proprijs infidelium, ſi illa ſigna ſint inſtituta ad cultum falſæ Religionis, & proteſtatiua illius: etiamſi talis Chriſtianus id faceret ad cauendum periculum vitæ; & abſq; interna voluntate profitendi falſam Sectam & Religionem. Ratio eſt. Quia ſemper prohibemur negare veram Fidem ſiue verbis ſiue factis vt dictum eſt ſupra dico 2. Sed ſimulare alienam fidem, & Religionē per talia ſigna eſt negare factis veram fidem, nam cum tali ſimulatione alterius fidei ſtat negatio veræ fidei; quod enim eſt mendacium in verbis, idem eſt ſimulatio in factis: ergo ſemper prohibemur ſimulare alienam fidem &c. Hinc colligitur diſcrimen inter ſimulationem & diſſimulationem; nam ſimulare eſt oſtendere quod non eſt: diſſimulare autē eſt non oſtendere id quod eſt. Simulare nunquam licet quia eſt vitium, eſt enim mendacium in factis: diſſimulare aliquando licet, quia non eſt mendacium, quòd enim aliquis non oſtendat id quod eſt, cum non tenetur, non per hoc mentitur, imò aliquando eſt virtus, quando propter aliquem bonum finem occultamus ea, quæ ſcimus, quæ videmus, quæ habemus &c. Dixi in Cōcluſione *Si illa ſigna ſint inſtituta ad cultū falſæ religionis &c.* Quia ſi non ſint talia ſed indifferentia, quamuis adhibeantur ab infidelibus & ſint quodammodo propria ipſorum, poteſt tamen Chriſtianus illis vti ad vitandum periculum vitæ dummodo interius retineat veram fidem, & dummodo non adſit ſcandalum &c. Ratio. Quia tunc talis Chriſtianus non poteſt redargui quod factis negauerit fidem; quia illa ſigna ſunt indifferentia.

Ex prædicta diſtinctione ſignorum facillimè reſoluuntur

omnes

omnes ferè caſus ad hanc materiam pertinentes. Nam licitum erit Chriſtianis ad liberandum ſe ab inuaſione, à captiuitate, à morte; aut ob aliam magnam vtilitatem vel neceſſitatem (citrà tamen abiurationem veræ fidei & citrà ſcãdalum aliorũ) vti pileo, ligamine, veſtibus & ſignis Turcarum: vti veſtibus, quibus Hebræi vtuntur, vti pileo flaui coloris, quo ipſi Romæ vtuntur: veſci carnibus diebus ab Eccleſia prohibtis: ingredi Synagogas & Moſcheas: audire cõciones Hæreticorum: aduocare Iudæos ad medendum: recipere medicinas ab illis & ſimila. Ratio. Quia iſta ſigna, & iſtę actiones ſunt ex ſe indifferẽtes; & nõ proteſtatiuę de ſe falſę Religionis. E contrà verò non licet Homini Chriſtiano per ſimulationem adorare idola: incenſum illis adolere participare cum Lutheranis aut Caluiniſtis in Euchariſtia: ingredi illorum templa, aut ipſorum conciones audire, vel ad imperium Principis, qui hoc præcipiat in contemptum & odium noſtræ Religionis; vel ad profitendum hæreticorum Sectam. Ratio. Quia iſta omnia ſunt de ſe proteſtatiua falſę religionis. Hinc Eleazarus veneranda canitie ſenex mori potius elegit quam ſuillam carnem comedere quæ Iudæis erat prohibita, *vt habetur* 2. *Machab.* 6. Quia illi hoc præcipiebatur ad deteſtationem Iudaicæ religionis, quæ tunc erat vera: & quia inde magnum apud reliquos Iudæos ſcandalum ſequebatur.

§. 15. *De conditionibus Fidei actualis.*

ACtus Fidei, ſeu Fides actualis tres præcipuas conditiones debet habere nempe Vt ſit ex affectu pio voluntatis: Vt ſit firma & immutabilis. Vt ſit integra.

Igitur ad Fidem, poſito lumine ex parte Intellectus, requiritur pius affectus ex parte voluntatis. Ratio eſt. Quia ad Voluntatem ſpectat Intellectum captiuare in obſequium Chriſti, & obſequium Fidei, eiq; imperare ne ab aſſenſu ab ineuiden-

dentiam recedat. Propter hoc dicit Scriptura *Corde creditur ad iustitiam* hoc est pio voluntatis affectu creditur, & actus fidei elicitur. Vnde & discipulos reprehendit Christus quòd essent tardi corde ad credendum. Deus ergo radium suæ lucis infundit intellectui vt credat; sed volũtas debet cooperari vt homo voluntariè credat non coactè. Quia non obstante illuminatione quã facit Deus in interiori hominis vt attrahat ad fidem potest resistere voluntas, & claudere oculos cordis, & fenestras mentis huic lumini.

Secundò requiritur vt Fides sit firma & immutabilis. Ratio est. Quia Fides nostra innititur reuelationi Dei, qui prima veritas est & immutabilis, nec fallinec fallere potest vt sæpius diximus. Imò Deus non potest reuelare contrarium, quia sic mutaretur. Quamobrem adeò firma esse debet, vt quicquid ratio aut demõstratio, aut quælibet auctoritas suggerat, potius negandum sit, quàm quod fides docet. Hinc dicebat Diuus Augustinus lib. 1. de Trinit. *Aufer argumenta vbi fides quæritur: iam Dialectica taceat, non Dialecticis creditur sed Piscatoribus.*

Hanc fidei firmitatem habebat beatus ille senex simplicissimæ naturæ, de quo narrat Eusebius, *lib.* 10. *Hist. Eccl. cap.* 3. quod Constantini temporibus cum videret Philosophum quemdam Catholicis insultantẽ, nec reperiri qui illius versutias & eloquentiæ vim elideret, velut alter Dauid in Goliath non hasta aut clypeo, sed fide munitus proposcit ab omnibus locum velle se paucis cum Philosopho sermocinari, & propositis simpliciter fidei articulis in fine dixit *Credis hoc Philosophe? hoc te oportet credere non disputare.* Ad quæ verba miro stupore correptus Philosophus repentè mutatus Christianam fidem amplexus est. Cumq; illi, qui à parte eius stabant, admirarentur, & scisciterentur ab eo cur illis verbis nõ responderet. *Quamdiu* inquit, *rationibus actum est, euadere potui & respondere; sed nunc virtute huius sermonis victum me fateor fidei me submitto;*

Dixi *non solùm implicitè sed etiam explicitè quoad aliquos articulos.* Quod expressè asseritur ab Apostolo illis verbis. *Accedentem ad Deum &c.* Quinam articuli debeant explicitè credi dicetur §. sequenti. His suppositis quærimus quando sit necessarius actus fidei interior. Quod explicabimus in sequentibus afferendo nonnullos casus.

Primò. Ille qui baptizatus est in infantia, & postquã adeptus est vsum rationis, cognoscit necessitatem fidei; ille, inquam, tenetur directè ex vi præcepti ad eliciendos actus fidei, & si omittit grauiter peccat nisi per inaduertentiam seu inuincibilem ignorãtiam excusetur. Ratio est. Quia quilibet tenetur assumere medium necessarium ad salutem dum potest; alioquin grauiter peccat. Ob eamdem rationem tenentur infideles actum fidei elicere, dummodo illis sufficienter proponantur ad credendum articuli fidei; sufficienter autem proponuntur quando rationibus, aut miraculis, aut signis, aut coniecturis ita proponuntur, vt ratio dictet fidem nostram esse veram, & ipsorum sectam esse falsam: non tamẽ peccant infideles contrà hoc præceptum quando articuli fidei nondum fuerunt ipsis sufficienter propositi; quia *qui credit citò leuis est corde Eccles.* 19. Ex quo sequitur infidelem, aut hominem baptizatum sed nutritum & instructum inter infideles non peccare contrà præceptum fidei, nec esse hæreticum disputando cum dubio de rebus fidei, quæ nondum sibi fuerunt sufficienter propositæ; fieri tamen potest vt peccet contrà ius naturæ si colat idolum aut adulteretur; nam hæc sunt contrà ius naturæ dictans adulterium vitandum & vnum Deum colendum esse.

Secundò. Tenetur homo actum fidei elicere quando tenetur se ad Deum conuertere, & gratiam ante amissam recuperare. Verum quidem est, quòd præceptum fidei in hoc casu non obligat per se & directè; sed per accidens, quatenus scilicet homo tenetur se ad Deum conuertere, quod facere

non

non potest sine Spe, consequenter neq; sine Fide, cum speremus ea, quæ credimus. Existimant tamen aliqui non improbabiliter hominem, qui semel iustificatus est, & elicuit actus fidei, non teneri iterum explicitè actus fidei habere quando postea vult iterum iustificari per Sacramentum pœnitentiæ, aut per actum contritionis; vel sufficere actum fidei præteritum, & non retractatum.

Tertiò. Quando periculum est incidendi in aliquod peccatum nisi actus fidei eliciatur. Ratio. Quia quilibet tenetur assumere medium necessarium ad vitandum peccatum, alioquin exponit se periculo peccandi, & peccat eo peccato, cuius periculo se exponit non assumendo medium ad illud vitandum. Verum nihilominus est hoc peccatum sufficienter in Confessione expriimi explicato peccato, ad quod vitandum necessarius erat actus fidei; nam in hoc casu præceptum fidei non obligat per se & directè; sed per accidens, vt dictum est supra.

Quartò. In articulo mortis, quatenus homo tunc tenetur se ad Deum per actum contritionis conuertere, qui in articulo mortis necessarius est; actus autem contritionis, vt dictum est, habet implicitè adiunctum actum fidei & spei, cum nullus possit Deum super omnia diligere, & peccatum detestari super omnia quatenus est Dei offensa, nisi in Deum credat & speret.

Quintò. Quando fidem exterius tenetur confiteri, quam non potest confiteri absq; actu interno fidei; quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media, sine quibus finis subsistere non potest; actus autem externus confessionis fidei si humano modo siat, non subsistit sine actu interno.

§. 13. *De quibus articulis actus Fidei interior debeat esse explicitus.*

SVppositis ijs, quæ diximus suprà §. 9. præsertim quòd credere aliquid explicitè sit credere in se; credere autē implicitè sit credere in alio: modò dicimus actum fidei debere esse explicitum de omnibus illis articulis, qui proponunt nobis nostrum vltimum finem in quem tendimus; & viam per quam tendere oportet. Vnde debemus credere explicitè hos articulos. Primò Deum esse, & remuneratorem esse. Secundò Mysterium Trinitatis: Quia sine cognitione Trinitatis non potest cognosci Christus, qui est Vnigenitus Patris, & conceptus virtute Spiritus Sancti: cognitio autem Christi est necessaria, vt mox dicetur, Hinc Matth. 28. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Tertiò Mysterium Christi, quia ipse est via perueniendi ad Deum iuxtà illud Ioan. 14. *Ego sum Via, Veritas, & Vita.* Sicut igitur est nessaria cognitio finis in quē tendimus; ita etiam est necessaria cognitio viæ per quam ambulare & peruenire debeamus ad finem. Hinc Ioannis capite 17. dicitur. *Hæc est autem vita æterna vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.*

Porrò non omnes articuli, qui ad Christum pertinent, necessariò sunt explicitè credendi, sed illi solummodo qui sunt fundamentum nostræ salutis; sunt autem ij qui cōtinentur in Symbolo Apostolorum, vt Christum esse verum Deum & verum Hominem: Mortuum esse: ac Resurrexisse pro totius humani generis salute &c. quos tamen articulos non est necesse memoria tenere & recitare eo prorsus ordine, aut ijsdem omnino verbis, quibus proponuntur; sed satis est scire substantiam ita vt, si de illis interrogetur homo, rectè respondeat, & illa debito tempore seruet.

§. 14.

§. 14. *De actu exteriori Fidei quando necessarius,*

PRo resolutione supponendum duplex esse Præceptum, Affirmatiuum, & Negatiuum. Affirmatiuum est illud, quo præcipitur aliqua actio facienda. Negatiuum est illud, quo prohibetur aliqua actio. Hoc supposito.

Dico Primò. Homo tenetur aliquando ex præcepto affirmatiuo fidem exterius confiteri, iuxtà illud *Luc. 9. Qui me erubuerit, hunc filium hominis erubescet.* Et illud. *Matt. 10. Qui me confessus fuerit confitebor & ego eum &c.* Et alibi. *Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Si ad salutem est necessaria confessio fidei: Ergo homo tenetur aliquando fidem exterius confiteri cum teneatur ad præstandum ea, quæ sunt necessaria ad salutem. Dixi *aliquando* quia præcepta affirmatiua non obligant secundùm omne tempus, sed in certis quibusdam casibus.

Interrogabit aliquis quinam sunt isti casus, in quibus tenetur homo fidem exterius confiteri.

Respondeo. Primus est quando non confitendo fidem subtrahitur honor debitus Deo.

Secundus. Quando ex omissione talis confessionis aut sequitur damnum spirituale: aut impeditur vtilitas spiritualis proximi. Hos duos casus ponit Diuus Thomas 2.2. q. 3. art. 2.

Tertiò. Quando ipsius confitentis propria salus id exigit. Vnde ad praxim si ex taciturnitate, aut dissimulatione, aut fuga tua probabiliter putetur sequuturũ esse Vel Religionis Catholicæ contemptum: Vel proximorum scandalum: Vel illorum spiritualem ruinã: in huiusmodi casibus teneris fidem palam profiteri. Similiter teneris, si ex publica tua professione secuturum sit magnum augmentum Religionis, aut cultus diuini, cui salus corporalis meritò postponenda est

ſecundum Charitatis ordinem. Item teneris, ſi tibi ipſi periculum imminet ne fidem abneges, niſi eam oblata occaſione palàm profitearis. Exceptis dictis caſibus & excluſo omni motiuo alicuius aut neceſſitatis aut vtilitatis profiteri fidem ſuam publicè apud Hæreticos, alioſue infideles cum illorum perturbatione temerarium potius cenſendum, quàm laude dignum teſte Diuo Thoma loc. cit. ad tertium. Prædictis tribus caſibus addunt Doctores alios duos ſequentes. Nempe.

Quartus Quando aliquis ſuſcepturus eſt munus docendi aliquam artem literariam vt Gramaticam, Philoſophiam &c. etiam ſi priuatim in domibus doceat. Iſti enim tenentur Fidei profeſſionem emittere ex decreto Pij IV.

Quintus. Quando quis ad beneficium parochiale promouetur, vel de Canonicatu, aut Dignitate in Eccleſia Cathedrali prouidetur.

Dico ſecundo. Homo ex præcepto negatiuo ſemper prohibetur negare fidem externa voce vel alio quocunq; ſigno etiam ad vitandam mortem. Similiter etiam ſemper prohibetur falſam Religionem & Fidem profiteri, quamuis id faciat ad vitandam mortem. Ita S. Thomas 2. 2. q. 3. art. 2. quem ſequuntur omnes. Ratio. Quia præceptum negatiuum obligat ſemper & ad ſemper. Ampliatur dictum vt procedat etiamſi ille, qui exterius negat veram fidem, vel falſam profitetur, interius veram fidem retineat; quia adhuc facit contrà virtutem veritatis, quæ obligat nos vt non mentiamur: mẽtiremur autem ſi externa voce negaremus Fidem Chriſti, quam interno corde profitemur. Hinc ſequitur non licere Catholico negare ſe eſſe Catholicum; tùm quia hoc eſſet negare fidem Chriſti, quod eſt contrà obligationem Confeſſionis fidei: tùm quia eſſet mendacium, quod eſt contrà obligationem veritatis. Si autem quis Lutheranus, aut Caluiniſta negaret ſe talem eſſe, peccaret tantũmodo contrà

trà veritatem, non contrà Confessionem Fidei. Idem dicendum de Catholico Sacerdote, aut Religioso, qui negaret se Sacerdotem aut Religiosum esse; is enim peccaret quidem contrà veritatem quia mentiretur; non tamen contrà Confessionem fidei quia non negaret fidem sed statum.

Dico tertiò. Licitum est Christiano seu Catholico ad interrogationem priuatam alicuius infidelis occultare fidem tacendo, aut dissimulãdo, aut ambiguè respondendo: dummodo ex tali occultatione non subtrahatur honor Dei aut spiritualis vtilitas proximi, vel propria: vt dictum est: quod tunc certè eueniret quando adessent alij Christiani qui grauiter offenderẽtur vel scandalizarentur ex interrogati silentio vel dissimulatione: aut quando adessent Hæretici vel alij infideles, qui benè affecti essent ad Fidẽ Catholicam, & propter talem occultationem inciperent dubitare de illius veritate. Ratio pro Conclusione est. Quia in tali casu non vrget præceptum affirmatiuum de cõfitenda fide, quod tunc vrget, vt diximus in prima Conclusione, quando honor Dei, aut vtilitas spiritualis propria, vel proximi interuenit. Dixi in Cõclusione *Ad interrogationem priuatam* quia si interrogetur à persona publica an sit Christianus vel Catholicus? non potest tacere aut ambiguè tergiuersari; sed tenetur apertè confiteri se talem esse. Ratio autem diuersitatis quoad hoc inter priuatam & publicam personã est. Quia persona publica habet ius ac potestam interrogandi, ac proinde interrogatus tenetur ei respondere; non potest autem respondere nisi quod verũ est; ergo si interrogetur an sit Christianus aut Catholicus? tenetur respondere se talẽ esse. At priuati homines nõ habent ius ac potestam interrogandi, & examinãdi alios de rebus ad se non pertinentibus; ac proinde interrogati non tenentur illis respondere; ergo possunt tacere vel interrogationem elidere dicendo Quid ad te? Quorsum me rogas? aut similibus verbis. Obijcies Principes vel Magi-

stra-

ſtratus infidelis non habet poteſtatem interrogandi & examinandi Chriſtianos de ſua fide. Reſpondeo Principem aut Magiſtratũ infidelẽ habere talẽ poteſtatem ſi ille Chriſtianus ſiue Catholicus ſit ſubditus, vel commoretur in prouincia illius Principis cauſa mercaturæ ſiue alterius negotij: Princeps enim temporalis habet ius ac poteſtatem inquirendi quid in ſuo regno ſiue à domeſticis ſiue ab extraneis agatur; & cuius quiſq; ſit vitæ, famæ, ac religionis, vt hac ratione conſeruare poſſit pacem & tranquillitatem in regno ſibi commiſſo.

Dico quartò. Homo Chriſtianus tempore perſecutionis poteſt fugere vel ſe occultare, ne cogatur reſpondere de rebus fidei; vt ſic periculum vitæ euadat. Ita communiter Doctores per illud Domini Matt. 10. *Cum autem perſequentur vos in Ciuitate iſta fugite in aliam*. Et confirmatur exemplo Pauli Apoſtoli, qui cum cuſtodirentur portæ Ciuitatis, per murum in ſporta dimiſſus eſt vt poſſet fugere. Ratio eſt. Quia in tali caſu fugiens non ſignificat per ſuam fugam ſe non eſſe Chriſtianum vel negare fidem Chriſti, ſed potius indicat contrarium, nempe ſe nolle fidem Chriſti negare, & ideò vitare periculum negandi: Vel certè ſe cupere adhuc diutius viuere, vt poſſit fidẽ Chriſti propagare, quod omnino Paulum ſpectaſſe credibile eſt. Videri poteſt S. Athanaſius in apologia pro ſua fuga.

Non negamus fieri poſſe, vt huiuſmodi fuga propter aliquam circumſtantiam reddatur illicita, præſertim in Paſtore, vel Epiſcopo, qui ratione ſui officij tenetur manere apud ſuos ſubditos tempore perſecutionis etiam cum periculo vitæ, idque ex duplici cauſa. Primò. Ne ſubditi fideles, qui manent in perſecutione, relinquantur ſine Paſtore, cuius præſentia tunc maximè neceſſaria eſt. Secundò. Quia fuga Paſtorum ſolet eſſe occaſio minoris æſtimationis fidei, vt ait Diuus Thomas. 2. 2. *q.* 3. *art.* 2. *ad* 2. Nam infideles

inſul-

inſultant Chriſtianis & contemnunt eorum Religionem quando vident à proprijs Paſtoribus in caſu neceſſitatis illam non defendi.

Dico quintò. Non poteſt Homo Chriſtianus ſimulare alienam fidem & Religionem exercendo actiones, vtendo rebus, veſtibus & ſignis proprijs infidelium, ſi illa ſigna ſint inſtituta ad cultum falſæ Religionis, & proteſtatiua illius: etiamſi talis Chriſtianus id faceret ad cauendum periculum vitæ; & abſq; interna voluntate profitendi falſam Sectam & Religionem. Ratio eſt. Quia ſemper prohibemur negare veram Fidem ſiue verbis ſiue factis vt dictum eſt ſupra dico 2. Sed ſimulare alienam fidem, & Religionē per talia ſigna eſt negare factis veram fidem, nam cum tali ſimulatione alterius fidei ſtat negatio veræ fidei; quod enim eſt mendacium in verbis, idem eſt ſimulatio in factis: ergo ſemper prohibemur ſimulare alienam fidem &c. Hinc colligitur diſcrimen inter ſimulationem & diſſimulationem; nam ſimulare eſt oſtendere quod non eſt: diſſimulare autē eſt non oſtendere id quod eſt. Simulare nunquam licet quia eſt vitium, eſt enim mendacium in factis: diſſimulare aliquando licet, quia non eſt mendacium, quòd enim aliquis non oſtendat id quod eſt, cum non tenetur, non per hoc mentitur, imò aliquando eſt virtus, quando propter aliquem bonum finem occultamus ea, quæ ſcimus, quæ videmus, quæ habemus &c. Dixi in Cōcluſione *Si illa ſigna ſint inſtituta ad cultū falſæ religionis &c.* Quia ſi non ſint talia ſed indifferentia, quamuis adhibeantur ab infidelibus & ſint quodammodo propria ipſorum, poteſt tamen Chriſtianus illis vti ad vitandum periculum vitæ dummodo interius retineat veram fidem, & dummodo non adſit ſcandalum &c. Ratio. Quia tunc talis Chriſtianus non poteſt redargui quod factis negauerit fidem; quia illa ſigna ſunt indifferentia.

Ex prædicta diſtinctione ſignorum facillimè reſoluuntur omnes

omnes ferè casus ad hanc materiam pertinentes. Nam licitum erit Christianis ad liberandum se ab inuasione, à captiuitate, à morte; aut ob aliam magnam vtilitatem vel necessitatem (citrà tamen abiurationem veræ fidei & citrà scãdalum aliorũ) vti pileo, ligamine, vestibus & signis Turcarum: vti vestibus, quibus Hebræi vtuntur, vti pileo flaui coloris, quo ipsi Romæ vtuntur: vesci carnibus diebus ab Ecclesia prohibtis: ingredi Synagogas & Moscheas: audire cõciones Hæreticorum: aduocare Iudęos ad medendum: recipere medicinas ab illis & similia. Ratio. Quia ista signa, & istę actiones sunt ex se indifferẽtes; & nõ protestatiuę de se fallę Religionis. E contrà verò non licet Homini Christiano per simulationem adorare idola: incensum illis adolere participare cum Lutheranis aut Caluinistis in Eucharistia: ingredi illorum templa, aut ipsorum conciones audire, vel ad imperium Principis, qui hoc præcipiat in contemptum & odium nostræ Religionis; vel ad profitendum hæreticorum Sectam. Ratio. Quia ista omnia sunt de se protestatiua fallę religionis. Hinc Eleazarus veneranda canitie senex mori potius elegit quam suillam carnem comedere quæ Iudæis erat prohibita, *vt habetur 2. Machab. 6.* Quia illi hoc præcipiebatur ad detestationem Iudaicæ religionis, quæ tunc erat vera: & quia inde magnum apud reliquos Iudæos scandalum sequebatur.

§. 15. *De conditionibus Fidei actualis.*

ACtus Fidei, seu Fides actualis tres præcipuas conditiones debet habere nempe Vt sit ex affectu pio voluntatis: Vt sit firma & immutabilis. Vt sit integra.

Igitur ad Fidem, posito lumine ex parte Intellectus, requiritur pius affectus ex parte voluntatis. Ratio est. Quia ad Voluntatem spectat Intellectum captiuare in obsequium Christi, & obsequium Fidei, eiq; imperare ne ab assensu ab ineuiden-

dentiam recedat. Propter hoc dicit Scriptura *Corde creditur ad iustitiam* hoc est pio voluntatis affectu creditur, & actus fidei elicitur. Vnde & discipulos reprehendit Christus quòd essent tardi corde ad credendum. Deus ergo radium suæ lucis infundit intellectui vt credat; sed volũtas debet cooperari vt homo voluntariè credat non coactè. Quia non obstante illuminatione quã facit Deus in interiori hominis vt attrahat ad fidem potest resistere voluntas, & claudere oculos cordis, & fenestras mentis huic lumini.

Secundò requiritur vt Fides sit firma & immutabilis. Ratio est. Quia Fides nostra innititur reuelationi Dei, qui prima veritas est & immutabilis, nec fallinec fallere potest vt sæpius diximus. Imò Deus non potest reuelare contrarium, quia sic mutaretur. Quamobrem adeò firma esse debet, vt quicquid ratio aut demõstratio, aut quælibet auctoritas suggerat, potius negandum sit, quàm quod fides docet. Hinc dicebat Diuus Augustinus lib. 1. de Trinit. *Auser argumenta vbi fides quæritur: iam Dialectica tacetat, non Dialecticis creditur sed Piscatoribus.*

Hanc fidei firmitatem habebat beatus ille senex simplicissimæ naturæ, de quo narrat Eusebius, *lib.* 10. *Hist. Eccl. cap.* 3. quod Constantini temporibus cum videret Philosophum quemdam Catholicis insultantẽ, nec reperiri qui illius versutias & eloquentiæ vim elideret, velut alter Dauid in Goliath non hasta aut clypeo, sed fide munitus proposcit ab omnibus locum velle se paucis cum Philosopho sermocinari, & propositis simpliciter fidei articulis in fine dixit *Credis hoc Philosophe? hoc te oportet credere non disputare*. Ad quæ verba miro stupore correptus Philosophus repentè mutatus Christianam fidem amplexus est. Cumq; illi, qui à parte eius stabant, admirarentur, & scisciterentur ab eo cur illis verbis nõ responderet. *Quamdiu* inquit, *rationibus actum est, euadere potui & respondere; sed nunc virtute huius sermonis victum me fidei me submitto;*

Hanc etiam tenebat ille ſimplex & bonus Sacerdos, de quo refert *Marchantius in ſuo Horto Paſtorum tract. 1. lect. 5. his verbis*. Quidam Palatinus de Podolia in Regno Poloniæ vocauerat ad prandium quemdam antiquæ probitatis Sacerdotem: Subornarunt interim Prædicantem ſuum qui ſimplicitatem viri diſputando illuderet. Hic ergo ſtatim cæpit ſua eloquentia illum agitare, proponens varia de doctrina Catholica, de tyrannide Papæ, de diſſolutione Eccleſiaſticorum. Sacerdos ne verbo quidem reſpondet, cibum interim ſumens. Riſu res excipitur, & vrgetur à Palatino vt reſpondeat. At ille: vocatus ſum, inquit, vt cibum ſumam non vt diſputem, peracto tamen prandio, ſi potuero, reſpondebo. Cibis ſublatis, facto ſilentio ſic orditur Sacerdos. *Ego hodie ingrediens altare dixi Domino (Diſcerne cauſam meam de gente non Sancta) ſpero per eius miſericordiam, & potentiam me exaudiendum.* Tunc formans ſignum Crucis ait: *In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti: & auctoritate Dei omnipotentis, cuius ego ſum indignus Sacerdos & ſeruus; præcipio tibi immunde Spiritus, vt mutus ſis in ore huius hominis nec amplius loquaris.* Vix verba finierat, & miniſter vocem perdit. Tunc Sacerdos *Loquere nunc vt Homo, & reſpondebo tibi; nolui enim conteſtari cõtrà malignum Spiritum, qui per os tuum loquebatur vomens iniurias contrà Eccleſiam ſponſam Chriſti*. Sed miſer balbutiens nec verbum edere potuit; vnde præ maxima confuſione ſe à ſocietate ſubducere coactus eſt omnibus miraculo hoc obſtupefactis. Et Palatinus ipſe in corde percuſſus abiurauit hæreſim, in qua enutritus fuerat, & ſe Eccleſiæ Catholicæ cum ſuis agregauit, in illaq; perſeuerauit.

Hanc firmitatẽ habent, & profitentur omnes veri Catholici; qui non circumferuntur omni vento doctrinæ in nequitia vt faciunt Hæretici, qui mutant ſuas opiniones iuxtà cerebrum & ſomnia ſua. Fridericus Dux Saxoniæ interrogatus quid Lutherani ſui crederent? reſpondit *Quid nunc credant ſcio;*

ſcio; quid autẽ anno ſequenti neſcio, Hinc Diuus Hilarius ad Cõſtantiũ ait. [Periculoſum eſt & mirabile tot nunc fides exiſtere quot voluntates: tot doctrinas, quot mores; dum fides vt volumus ſcitur, vt volumus intelligitur. Et ſic plurimæ cæperunt eſſe Fides ne vlla ſit; imò annuæ & menſtruoſæ de Deo fides decernuntur, nouis ſubuertuntur vetera.]

Tertiò requiritur vt Fides ſit integra. Hinc eſt quòd ſi vnicus ſit error tota Fides euertitur: Et qui errat in vno articulo cum pertinacia, iam amplius non credit alios articulos Fide diuina; deſtruitur enim in illo donum Fidei demeritoriè vt loquuntur Theologi cum *Diuo Thoma* 2. 2. *q.* 5. *art.* 3. Sicut Charitas tota demeritoriè aufertur per vnum actum peccati quando offenditur Deus in vno ſolo præcepto: ita & Fides quando offenditur non credendo pertinaciter alicui articulo per Eccleſiam propoſito. Vnde dici poteſt de illis, quod dicebat *Diuus Auguſtinus contrà Fauſtum cap.* 3. [Qui in Euangelio quod vultis creditis, quod non vultis non creditis, vobis potius quàm Euangelio creditis; quia cum ſuus cuiuſque animus auctor eſt quid in quaq; ſcriptura probat vel improbat non ſe iam auctoritati Scripturarũ ad Fidem; ſed ſibi Scripturas ſubijcit ipſe ad voluntatem.]

Cæterum ad integritatem Fidei ſpectat credere non ſolùm ea quæ in Sacra Scriptura continentur; ſed etiam in Traditionibus & ea, quæ Eccleſia Catholica tenet; itemq; proponit de Fide credenda vel per ſuum caput Pontificem Romanum, vel per Concilium Vniuerſale ab eodem Pontifice confirmatum, iuxtà ea, quæ diximus ſuprà §. 11. Qui in aliquo prædictorum deficit, à tota fide deficit. Minima fiſſura vocem Campanæ quamuis ſonoræ penitus euertit, & inutilem reddit. Vnica rima nauem ſubmergit. Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Vnica vox diſſonans totam muſicæ harmoniam diſſoluit. Sic vnicus error cum pertinacia totum fidei ædificium labefactat.

§. 16. De Fide habituali seu de Habitu Fidei tùm quoad essentiam tùm quoad necessitatem.

IN superioribus considerauimus Fidem secundùm obiectum eius tàm materiale, quàm formale; & item secundùm actum ipsius; nunc considerandà est secundùm habitum, quæ consideratio consequitur ad prædictas duas; habitus enim specificantur per actus, & actus per obiecta. Igitur vidēdum quid sit Fides sumpta pro habitu. Et quanta illius necessitas.

Quantum ad primum de essentia Fidei. Variæ definitiones traduntur à Doctoribus. Quidam sic definiunt. *Fides est donum Dei supernaturale, quo firmiter assentimur ijs, quæ reuelata sunt siue scripta sint siue non scripta.* Alij sic. *Fides est lumen supernaturale, quo illustratus homo firmiter assentitur omnibus, quæ Deus reuelauit & per Ecclesiam credenda proposuit siue sint scripta siue non scripta.* Celebris est definit in quā tradit Apostolus Hebr. 11. *Fides est substantia rerum sperandarū argumentū non apparentium.* Quā sequuntur cōmuniter Scholastici. Sed si velimus tradere rigorosam definitionem, quæ constet genere & differentia oportebit illam sic definire cum alijs. *Fides est virtus supernaturalis inclinans intellectum ad credendas res à Deo reuelatas propter ipsius auctoritatem.* Quamuis hęc definitio quoad substantiam non differat ab illa, quam tradit Apostolus. Dicitur *Virtus supernaturalis* quia non est quid naturale vt Fides humana: ideò donum Dei à Concilijs meritò appellatur. Dicitur *inclinans intellectum* quia hic habitus est in intellectu; in illa enim potentia est habitus, à qua eliciūtur actus illius habitus: sed actus assentiendi & credendi, qui sunt actus Fidei, eliciuntur: ab intellectu: Ergo in intellectu tanquam in subiecto erit ipsa Fides. Dicitur *ad credendas res à Deo reuelatas*

vt

vt ostendatur obiectum materiale, circa quod versatur Fides. An autem obiectum Fidei possit esse aliquod visum aut scitũ? videri potest apud *S. Thomam* 2.2.*q.* 1.*art.* 4.*&* 5. eiusq; commentatores. Dicitur *propter ipsius auctoritatem* vt ostendatur obiectum formale seu ratio formalis, seu motiuum, propter quod creduntur res fidei, de quo supra §. 10. Nec obstat quòd ideo credimus, quia Ecclesia nobis proponit id quod credimus. Quia respõdemus in actu fidei duas rationes posse considerari. Vna à priori, & hæc est auctoritas diuina, quæ est motiuum credendi. Altera à posteriori; & hæc est auctoritas Ecclesiæ, quæ est regula infallibilis proponẽs res à Deo reuelatas. De quibus latè supra §. 11.

Quantum ad secundum. de necessitate Fidei. Supposita illa distinctione de duplici necessitate tùm medij tùm præcepti; dico absolutè Fidem habitualem necessariam esse vtraq; necessitate omnibus ad salutem. Ratio. Quia vt inquit Apostolus. Hebr. 11. *Sine Fide impossibile est placere Deo*. Dixi *omnibus* quia siue sint infantes siue adulti omnes debent habere fidem si velint salui esse; cum hac tamen differentia, quod infantibus sufficit fides habitualis infusa à Deo in baptismate: in adultis verò requiritur etiam Fides actualis eo modo quo dictum est *supra* §. 14. 15. *&* 16.

§. 17. *De vitandis oppositis Fidei & præsertim Hæresi.*

TRia præcipuè vitia opponuntur virtuti Fidei nempe Infidelitas, Apostasia, Hæresis (quamuis Infidelitas accipiatur etiam genericè prout dicitur de Infidelitate specificè sumpta, de Apostasia, & de Hæresi) Verum nullum ex his tribus vitijs periculosius quàm Hæresis, quippe quæ virus suum latenter suauiterque diffundit. Est autem Hæresis *Error cum pertinacia in his, quæ sunt Fidei* & numeratur inter grauissima peccata.

Qua-

Quatuor autem ob causas præcipuas debent fideles omnes, & præsertim Ecclesiastici cauere ab hæresi. Primò. Quia destruit Fidem. Secundò. Quia ducit ad Atheismum. Tertiò. Quia est venenum pestilens. Quartò. Quia est euersio Reipublicæ.

Primò igitur fugienda est Hæresis; Quia destruit Fidem, quæ est primum donum Dei, fundamentum cæterorum, radixq; qua succisa, Charitas & cætera dona intereunt. *Domus enim Dei* vt inquit Augustinus *credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Quando igitur huius ædificij fundamentum perfoditur, tanta est ruina vt totum funditus virtutum ædificium vnico velut impetu collabatur. Incidat Catholicus in alia peccata v.g. fornicationis, adulterij, perjurij, furti, & similia; si tamen Fides incolumis permaneat, erit adhuc spes aliqua salutis, adhuc illa poterit nouella spiritualis vitæ germina pullulare. Habet iste adhuc lumen, quo possit ad veram salutis viam reuerti: habet adhuc pharmaca salutis: habet adhuc maternum Ecclesiæ sinum; habet adhuc vnde possit ad medicum clamare: vno verbo habet adhuc fundamentum, super quod possit ædificare. Nihil autem horum habet Hæreticus, quia extincta Fide extinguitur in eo omnis vitæ spiritualis sensus; extinguitur lumen in corde; in tenebris est; in tenebris ambulat; & de tenebris ad tenebras peccatorum semper incedit, donec à tenebris interioribus animi mittatur ligatis manibus & pedibus ad tenebras exteriores inferni.

Hos paucis perstringit & describit Iudas Apostolus in sua Epistola Catholica his verbis. *Hi sunt nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales infructuosæ; bis mortuæ, eradicatæ; fluctus feri maris despumantes suas confusiones; sidera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum.* Hi sunt tituli honorifici Hæreticorum, quos exponens D. Thomas dicit. *Comparantur nubibus propter fidei instabilitatem; arbo-*

ribus

ribus autumnalibus &c. propter operum sterilitatem; fluctibus propter eorum turbationem; sideribus errantibus propter doctrinæ falsitatem.

Secundò: Hæresis est vitanda; Quia post multa peccata solet ducere ad atheismum, qui est quasi centrum peccatorum. Sicut est quædam scala Iacob, scala spiritualis per varios virtutum gradus perducens hominem ad salutem: ita possumus dicere esse quamdam scalam Esau, scalam reproborum per varios peccatorum gradus hominem perducens vsq; ad abyssum & perditionem. Per hanc descendunt omnes hæretici, gradus autem varij, per quos descendunt sunt infra scripti.

1. Curiositas legendi omnis generis libros.
2. Præsumptio iudicandi de omnibus.
3. Pertinacia rebellis in sustinendo propriã opinionem.
4. Contemptus omnium qui eis contradicunt.
5. Cæcitas cum superbia coniuncta.
6. Dei derelictio, & quasi abnegatio per quẽdã atheismũ.
7. Abyssus peccati dũ de peccato in peccatũ ruit hęretic⁹.
8. Desperatio iuncta cum conscientiæ tortura.
9. Mors miserabilis.
10. Æterna damnatio.

Per hanc Scalam descendit ille Religiosus, de quo Cassianus in collationibus Patrum his verbis. Cæpit ipse comparare Sanctos; & cum pertinacia hos illis præponere proprio iudicio. Arguitur de hac indiscreta deuotione, sed procedit vlterius per contemptum dicens. Viuentes esse tàm Sanctos ac probos, quàm illos, qui sunt Canonizati. Arguitur huius erroris; sed dicit non posse ei ex Scriptura contrarium demonstrari. Citatur Scriptura. Dicit eos non intelligere. Citantur Patrum interpretationes. Ridet, & dicit esse homines, qui possint errare. Deducitur ad infallibilem Spiritus Sancti assistentiam regentis Ecclesiam. Id ipsum ridet,

& in abyſſum vltimam ruens Deum ipſum negat. Sic ex Monaco atheus efficitur; & tam pertinax vt nullus eũ ad rectam veritatis viam potuerit vnquam reducere; imò velut rabido furore correptus tãquã bellua mortuus eſt. Ecce Scala Eſau in infernum deducens, per quam Hæretici infeliciter deſcendunt.

Tertiò. Hæreſis eſt vitanda; Quia tanquam peſtis illicò venenum ſuum diffundit de domo in domum; de Ciuitate in Ciuitatem: ideò comparatur cancro, ſeu cancrenæ, quæ paulatim ſerpens depaſcitur vicina membra. Nonne videmus apertè ita prorſus accidere in hæreſi? Error Lutheri nõ ſe continuit in Saxonia, vbi exorſus eſt; ſed breuiſſimo tempore ſe extendit in Daniam, Sueciam, & totam ferè Germaniam occupauit: Sic & error Caluini Belgium, Galliam, & multa alia loca breuiſſimo tempore infecit. In Apocalypſi 17. deſcribitur quædam infamis mulier his verbis. *Meretrix ſedens ſuper aquas ornatu regio, plena nominibus blaſphemiæ ſuper beſtiam coccineam, habens poculum aureum in manu, ſed plenum veneno, abominatione, immunditia, inuitans potentes & populos ad bibendum.* Pulchrè & eleganter omnia prædicta verba ponderat Marchantius applicando illa hæreſi. Inquit enim. Dicitur *Meretrix* quia Deum & verum Sponſum Chriſtum deſerit. *Plena nominibus blaſphemiæ.* Quia non nouit niſi euomere blaſphemias contrà Deum, Sanctos, & Sacra myſteria. *Ebria ſanguine Sanctorum.* Quia necem ſitit Catholicorum: audiuimus enim præcedenti ſeculo quomodo gladius hæreticus Catholico ſanguine fuerit inebriatus: quomodo Monarorum; Sacerdotum & Epiſcoporum ſanguis fuerit effuſus in Gallia, in Anglia, in Belgio. *Habet poculum aureum* exterius; intus plenum venenatis dogmatibus peſtiferæ doctrinæ: venenum velut auro obducit dum colore fulgido Scripturæ eloquentia & pietatis prætextu tegit. Sic omnes inuitat ad bibendum de hoc venenato calice, populos & magna-

tes

tes decipiens illos inebriãs & infatuans. In hac porrò deceptione eorum miracula consistunt. Sic etenim volebat Lutherus pro miraculo haberi quòd breui adeò tẽpore tot sectatores suæ doctrinæ pertraxerit. Rectè respondit ei Thomas Morus. *Ad propositam vitæ licentiam populum ruere tantam habet miraculi speciem, quãtam saxa deorsum ruere.* Epicurusplures habuit discipulos quam alij Philosophi, quia ad populare nomen voluptatis inuitabat omnes inquit Lactantius. *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.* Sic de Luthero dicere solebat Lanspergius Cartusianus, quòd non aliud fecerit, quàm tibiam seu vtrem inflare: Homines enim ad saltum parati erant, sed Cãtor deerat; carnales homines ad carnalia iam parati erãt defluere si proponerentur; ideò cum Lutherus eis proposuisset non esse ieiunandum, virginitatem non esse colendam, pœnitentiam agendam; venenum hoc scripturarum aureo fulgore colorans, statim multos ad bibendum attraxit.

Quartò. Hæresis est maximè vitanda; Quia est euersio Reipublicæ; est enim seminarium omnis discordiæ, & rebellionis in Ciuitatibus, Prouincijs, Regnis. Patet experientia. Nunquam orta est hæresis & religionis nouitas sine seditionibus, bellis, sanguine; Religio enim & status Reipublicæ, vel Regni ita sunt conglutinata vt quantumlibet sit exigua diuisio in religione & Fide in perniciem status Reipublicæ redundet, ita vt fidei diuersitas Regna florentissima velut ad tumulum trahat.

Religio Sancta est velut fundamentum, super quod Regni stabilitur felicitas: hoc fundamento moto per Nouatores totus status mouetur. Religio dicitur à religando, quia ligat & religat corda, & animas; vnit voluntates; societatem publicam alit, leges seruat in vigore. Vnde si hæc mutatur, ipse etiam status accipit mutationem, tenebras, confusionẽ. Hinc ab eo tempore, quo Religionis mutatio accessit, & Hæresis exceptus est hospitio in Europa: nil aliud vidimus apud

Germanos, Gallos, Anglos, Belgas, niſi calamitates, tenebras, confuſiones.

Rectè Hæreſi pro Symbolo tribuunt biblia ex vna parte, gladium ex altera; Armat enim ſubditos & excitat ad rebellandum cõtrà Superiores, Principes, Reges. Theodorus Beza (teſte Prateolo) dicebat ſe tria cupere extincta ſcilicet Nobilitatem, Romanam Eccleſiam, & Iuris prudentiã. Vnde & primus fructus Lutheranę & Caluinianæ doctrinæ fuerunt diuiſiones, ſeditiones, vaſtationes Prouinciarum, & ſanguinis effuſio.

Nam docendo eſſe contrà libertatem Euangelicam Magiſtratus & Superioritates Principium, ſtatim populus arma ſumpſit contrà Nobiles, ita vt diruerint plus quam trecenta Caſtella Nobilium; & magnus numerus Comitum, Baronum, Nobilium neci fuerit datus. Poſtea verò nobiles armati contrà ruſticos plus quàm ducenta millia igne & gladio ab ſumpſerunt. ò quanto ſtetit ſanguine hæc turbulentorum hominum vox *Viuat Euangelium* Interin Lutherus ridebat dicens eſſe naturam Euangelij bella & ſeditiones mouere, teſte Eraſmo. Vnde & Zuinglius dicebat Heluetijs ſuis, ignem oportere ſanguine extinguere. Et Rex primus Anabaptiſtarum dicebat gladium ſuum aſperſum ſanguine eorũ qui ſe doctrinæ ſuæ opponerent, eſſe gladium Gedeonis ſibi à Deo commiſſum.

Hæc & plurima alia mala ex deteſtabili & nunquam ſatis damnata hæreſi exoriuntur. Quæ tamen iuſtiſſimus æquè ac potentiſſimus Deus multis de cauſis permittit; ſed vt autumo ex tribus mox dicendis.

Prima eſt, in pœnam & punitionem peccatorum noſtrorum. Sicut enim maledicta eſt terra propter peccatum Adæ vt ſpinas germinaret & tribulos: ita propter peccata noſtra has ſpinas hæreſum & errorum in Eccleſiæ agro permittit tanquam maledictionem quamdam. Vnde dicit Apoſtolus.

lus. 2. Thess. 2. *Charitatem veritatis non receperunt vt salui fierent; ideò mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio.* Quis ambiget tot iam Prouincias erroribus immersas in cæcitate ambulare quia Domino peccauerunt, vt loquitur Sophonias Propheta. Cum enim Lutherana colluuies inundare cæpit, regnabat in populis inquitas; in Religionibus libertas; in Rectoribus Ecclesię ambitio, & circa gregem sibi commissum grauis socordia; in Ministris grauis ignorantia cum mala vita; in toto Clero disciplina languebat Ecclesiastica; ita vt tabida quędam lues per diuersa Ecclesię membra serperet maximèq; carnis & ventris voluptas in Germanię populis; apud quos hæc execranda pestis primordia, progressus, & incrementa recepit.

Secunda causa, ob quam Deus permittit hæreses, est vt ij, qui Ecclesiæ curam gerunt, è graui socordia & inerti somno excitati ad Sacrarum literarum studium, & ad veritatis illustrationem incumbant. *Hoc docet Diuus Augustinus contrà Manichæos sic inquiens.* [Ideo diuina prouidentia multos diuersi erroris hæreticos permisit vt cum insultant nobis, & interrogant quæ nescimus, vel sic excutiamus pigritiam, & diuinas nosse scripturas cupiamus: ab aduersario enim mota quæstio discendi existit occasio; multa quippe ad fidem Catholicam pertinentia dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, vt aduersus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clariùs, & prædicantur instantius.] Vtitur ergo Deus hæreticis tanquam follibus vt lucem doctrinæ succendat, & veritatis elucens flamma omnibus innotescat. Et sicut cum ignis ardet folles subtrahuntur; ita cum veritatis flamma apparet, solet hæreses submouere, & ad tempus subtrahere illorum infestationes saltem violentas. Dico saltem violentas, quia semper Ecclesia & Fides aliquam patitur oppugnationem, & semper aliquos hæreticos habet in se. Iebusæus olim semper mansit

inter filios Iſrael in ipſa etiam Ieroſolyma, nec vnquam deleri potuit, Deo ita diſponente ad Iudæorum ignauiam repellendam, vt ſcilicet ſcirent ſe viuere inter eos, quos timere, & propter quos vigilare oporteret. Ita etiam nunc quantumlibet expurgetur Eccleſia ab hæreticis, ſemper ad noſtrum exercitium Iebuſæus erit in medio.

Tertia cauſa. Ad hoc permittit Deus hęreſes vt vnuſquiſque appareat quàm tenax, fidelis, & firmus ſit Catholicæ Fidei amator. *Oportet hæreſes eſſe vt probati manifeſti fiant*. dicit Apoſtolus 1. *Cor.* 1. Hæreſis ergo Eccleſiam mundat, eos qui peioris vel inconſtantioris ſunt viæ ad ſe alliciens; frumentum ſolidum relinquens in area, palcas ad ſe faciens aduolare. Sic clauſtra purgauit & monaſteria, illos educens, qui cum iam ſeculo valedixiſſent, & mundum velut Ægiptum reliquiſſent vt ad terram promiſſionis pertingerent, tædebat tamen eos itineris & laboris, atq; ad allia, & ad cæpas ſuſpirantes corde in Ægiptum reuertebantur. Ideo hanc nouæ doctrinæ occaſionem ad excutiẽdum Obedientiæ & Caſtitatis iugum arripuerunt; & tanquam paleæ auolarunt ab area; id eſt ab Eccleſia, excuſſi ab hæreſi tanquam à turbine vehementi.

Non tamen per hoc culpandus aut incuſandus eſt Religionis ſtatus, quòd multi ex eo prodierint qui hæreſes vel ſectati ſint, vel etiam primi docuerint. Sicut non eſt inculpãdum Apoſtolicum Collegium, quòd ex eo prodierit proditor Iudas nefandi facinoris auctor. Nec cõgregatio prima Diaconorum, quòd ex illa prodierit Nicolaus quidam fædiſſimæ hæreſis inuentor. Nec Cælum ipſum, quòd ex eo prodierint Angeli deſertores ad omnem malitiam homines inſtigantes. Non eſt, inquam, culpa Religionis, quæ poteſt dicere *Prodierunt ex nobis, ſed non erant ex nobis*. Sed eſt culpa huius, vel illius perſonæ particularis. Non eſt culpa Regulæ, ſed tranſgreſſoris; ſicut non eſt culpa Fidei quòd multi

reperiantur impij inter fideles. Interim nouit Deus (qui potens eſt, de malis bona elicere, vtiturq; hæreſi ſicut Medicus vtitur inciſione) impios illos tanquam prauos humores educere de Religionis aut de Eccleſiæ corpore, ne corpus corrumpant. Et quia Eccleſiam ſuam nunquam eſt deſerturus iuxtà promiſſionem Saluatoris Petro factam illis verbis. Luc. 22. *Ego rogaui pro te Petre vt nõ deficiat fides tua &c.* Et alijs. Matt. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi.* Ideo alijs cadentibus alios eriget; & multis in hæreſim deficientibus nouum mundum ad Fidem vocat, quem in locum cadentium ſubſtituit.

§. 18. *Eccleſiaſtici debent antecellere Laicos in Fide. Et quomodo ſe gerere debeant inter Hæreticos.*

ECcleſiaſtici & præcipuè animarum Paſtores debent antecellere alios in Fide. Ratio eſt. Quia ipſi debent docere & inſtruere alios in Fide: Cum enim Fides ex auditu concipiatur vt ait Apoſtolus, Rom. 10. *Quomodo audient ſine prædicante?* Quomodo autem prædicabunt niſi ipſi perfectius teneant quod alijs tradere debent? Quis vnquam audiuit aliquem poſſe alteri communicare quod ipſe in ſe non præhabeat: Ergo debent Eccleſiaſtici eſſe præſtantes & benè firmi in Fide.

Verùm ſi vllo vnquam tempore fuit hoc neceſſarium in Eccleſia Dei, certè hoc potiſſimum tempore. Iã enim à multis retrò annis exierunt falſi Prophetæ in mundum, de quibus dixit Dominus. Ierem. 23. *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos & ipſi prophetabant.* vt varijs doctrinis & peregrinis Chriſtianorum animos deprauarent. Qua in re (vt inquit Catechiſmus Romanus) illorum impietas omnibus Satanæ artibus inſtructa tàm longè progreſſa eſt, vt nullis ferè certis finibus contineri poſſe videatur; ac,

niſi

niſi Saluatoris noſtri præclara illa promiſſione niteremur, qui ſe adeò ſtabile Eccleſiæ ſuæ fundamentum poſuiſſe affirmauit, vt portæ inferi aduerſus eam prævalere nunquam poſſint: maximè verendum eſſet ne hoc tempore tot vndiq; hoſtibus obſeſſa, tot bellorum tumultibus diuexata, tot machinis tentata, & oppugnata corrueret. Nos Eccleſiaſtici, Nos Sacerdotes debemus claſſicũ canere: Et vt verbis Apoſtoli vtar. Nos debemus confortari in Domino, & in potentia virtutis eius: Induere debemus nos armaturam Dei, vt poſſimus ſtare aduerſus inſidias Diaboli, quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes & poteſtates; aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contrà Spiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Propterea accipiamus armaturam Dei vt poſſimus reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. Stemus ergo ſuccincti lumbos noſtros in veritate; & induti loricam iuſtitiæ; & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis: in omnibus ſumentes ſcutum Fidei, in quo poſſimus omnia tela nequiſſimi ignea extinguere; & galeam ſalutis aſſumere, & gladium Spiritus quod eſt verbum Dei: per omnem orationem & obſecrationem; orantes omni tempore in ſpiritu.

Cæterum quoad Conuerſationem Eccleſiaſticorum inter Hæreticos magna prudentia & cautela adhibenda eſt, quæ circa duo potiſſimùm verſari debet, nempe Circa Mores, & Circa Doctrinam.

Circa Mores. Debent profectò Eccleſiaſtici vbiq; eſſe tanquam ſal terræ; tanquam lux mundi; tanquam lucerna poſita ſuper candelabrum; ſed præſertim in terris, vbi Catholici cum Hæreticis mixti reperiuntur. Ibi debent fulgere virtutibus; & quidem ijs, quæ ſunt oppoſitæ vitijs, quibus obuoluuuntur vt plurimùm non ſolùm Hæretici, ſed etiam ipſi Catholici qui inhabitant cum Hæreticis. Sunt autẽ huiuſmodi vitia frequẽter, quæ in carnis voluptates inclinant

Cir-

Circa Doctrinam. Debent quidem Ecclesiastici sufficienter illa pollere; sed non minus prudenter illa vti; nam (vt rectè obseruauit Martinus Becanus in principio manualis controuersiarum) aduersarij siue illi Lutherani sint, siue Caluinistę, siue alterius Sectæ, non eodem modo omnes affecti, & dispositi sunt. Aliqui in suo errore Pertinaces. Alij Zelosi. Alij Frigidi. Alij Dubij ac fluctuantes sunt.

Pertinaces sunt, qui quidem agnoscunt se recedere à communi sensu Ecclesiæ & antiquorum Patrum: sed tamen ex superbia & obdurationę mentis, ne videantur à veritate conuicti, obstinatè persistunt in sua opinione. Hi propriè dicuntur Hæretici teste Augustino Epist. 126.

Zelosi sunt, qui non ex superbia & obstinatione; sed ex quadam ignorantia falsò persuasi sunt suam Sectam veritati & Euangelio consentaneam esse; ideoq; tanto studio eam defendunt vt videantur parati vitam potius quàm Sectam deserere.

Frigidi sunt qui neq; ex Superbia neq; ex Ignorantia; sed ex alijs causis, quas frigidè prætendunt, manent in suo errore. Et quando monentur de Catholica Fide capessenda solent cunctari, friuolas excusationes adferre. Alij se in ea religione natos & edoctos esse. Alij non audere palàm profiteri Fidem Catholicam propter amicos & consanguineos, qui omnes alterius Sectæ sunt. Alij se non posse id facere ne offendant suum Principem. Et alij aliter.

Dubij sunt, qui simplici ac recto corde quærunt veritatẽ: Et quia per se, seu suopte ingenio & industria non possunt eam inuenire, petunt ab alijs se Doctoribus adiuuari.

Igitur cum his omnibus non eodem modo agendum est.

Cum Pertinacibus non facilè disputandum de Fide, ac Religione; quia cum sint superbi ac contumaces nolunt resipiscere etiamsi manifestè conuincantur, vt patet exemplo Phariſæorum qui sæpe à Christo conuicti, nihilominus in

suo

ſuo errore perſiſtebant. Si tamen cum illis agendum eſt propter vtilitatem aliorum tria ſeruari debent. Primò coercẽdi sũt intrà limites certæ materiæ ne ex vna in aliam dilabantur, nec permittenda digreſſio; mos enim illorum eſt, quando in vna propoſitione vinci videntur, ſtatim in alteram ſermonem diuertere; talem autem facientes digreſſionem aufugiunt veritatem. Secundò reſtringendi ad formam Syllogiſticam, vt vis argumenti appareat; nec permittendum vt ſine ordine, ſine methodo, ſine connexione quaſi cõcionabundi multa effutiant, quod ipſis familiare eſt. Tertiò cum obſtinati permanent, palàm confundendi, & increpandi ſunt: ſicut Saducæi, Scribæ, & Phariſæi à Chriſto fuerunt confuſi & increpati illis verbis Matth. 22. *Erratis neſcientes ſcripturas neq; virtutem Dei.* Et alias. 23. *Væ vobis duces cæci &c.* Idem à Paulo Apoſtolo factum fuiſſe legimus. Actor. 9. *Saulus autem magis conualeſcebat & confundebat Iudæos.* Hæc confuſio dupliciter prodeſt. Primò. Quia per eam minuitur auctoritas hæreticorum. Deinde illorum aſſeclæ minori in pretio eos habent atq; ita facilius ad nos redeunt. Debet tamen confuſio eſſe rationabilis non per conuicia & maledicta; ſed per iuſtam reprehenſionem, aut apertam victoriam quod longè melius eſt.

Cum Zelotis autem (quia hi pertinaces non ſunt) contrario modo, id eſt modeſtè ac benevolè agendum eſt: nec tàm rationibus & argumentis obruendi, quàm Deo per orationem commendandi ſunt. Sic Stephanus orabat pro Saulo, qui ex præpoſtero zelo Eccleſiam Chriſti perſequebatur. De quo Auguſtinus *ſer. 1. de Sanctis*, ſic ait. *Si Sanctus Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* Sic Sancta Monica cum lachrymis pro eodem Auguſtino filio ſuo orabat, qui Manicheorum erroribus erat infectus. De quo ipſi Monicæ reuelatum fuit filium tantarũ lachrymarũ non poſſe perire.

Cum Frigidis. (Quia hi ægrè abſtrahuntur, & ratò ad fru-

gem

gem perueniunt) seriò ac seuerè agendum est. Quod dupliciter fieri potest. Primò ostendendo prætensiones & excusationes ipsorum esse friuolas. Secundò identidem inculcando vt saluti suæ consulant; neq; propter humanos respectus, fauores, & secularia negotia patiantur se ab æterna & cælesti gloria excludi. Meminerint illius parabolæ Euangelicæ de Cæna, ad quam ij, qui inuitati erant, noluerunt ire varias prætendentes excusationes, vt habetur Luc. 14. *Vnus enim dixit villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam. Alter dixit. Iuga bouum emi quinq;, & eo probare. Alter dixit. Vxorem duxi, & ideò non possum venire.* Sed quid factum est? Indignatus Paterfamilias dixit. *Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Dura sententia sed iusta. Qui enim ad vocationem Dei cunctabundi, & frigidi sunt, meritò ab omni spe vitæ æternæ excluduntur.

Cum Dubijs, Qui sincerè quærunt veritatem, fraternè, & ad cuiusq; captum accommodatè tractandum est. Nam aliter docti & ingeniosi: aliter rudes & idiotæ instituendi sunt. Sumamus exemplum à Christo Domino. Is simplicè Iudæorum turbam instruebat, parabolas & similitudines, quas facilè capiebant, proponebat. Discipulis in Emaus euntibus Moysen & Prophetas interpretabatur. Nicodemo baptismi necessitatem ex analogia humanæ generationis explicabat. Et sic de alijs.

§. 19. *An sit permittenda Libertas Religionis.*

QVamuis hæc materia potius ad Principes Seculares, quàm ad Ecclesiasticos pertineat; tamen Tùm quia inter Ecclesiasticos etiam sunt quidam præcipui Episcopi præsertim in Germania, qui sunt etiam Principes, & gaudẽt iurisdictione tẽporali; Tùm etiã quia non dedecet Ecclesiasticos, quos intendimus informare, aliquam huius-

materiæ cognitionem habere, ideò ex *Bonacina tom. 2. disp. 3. q. 2. pun. 8. §. 1.* aliquid huc afferemus resoluendo breuiter tria puncta. Primum. An Libertas Religionis possit licitè introduci. Secundum. An possit permitti. Tertium An permissa vel promissa tolerari queat.

Ad primum respondeo Libertatem Religionis nullo pacto posse introduci. Ratio est. Tùm quia l. nullus. c. de sum. Trinit. & Fid. Cath. dicitur *Nullus hæreticis misteriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinationis dementiam pateat occasio, arceantur cunctorum hæreticorũ ab illicitis congregationibus turbæ &c.* Tum quia Libertas conscientiæ aduersatur Primò Vnitati Fidei, quam Christus præcepit, Christus enim vnam tãtùm Ecclesiam instituit; & vnum cõstituit Pastorem; ait enim Apostolus. Ephes. 4. *Vnus Dominus, Vna Fides, Vnum Baptisma.* Secundò. Quia aduersatur publicæ tranquillitati, quæ sine Fidei vnitate seruari non potest; nam omne Regnum in se diuisum desolabitur; cum autem Princeps, alijq; Magistratus ex charitate & ex iustitia publicæ vtilitati consulere teneantur, sequitur non posse ab ipsis libertatem Conscientiæ seu Religionis introduci.

Ad secundum. Respondeo Libertatem Religionis non solùm non posse licitè introduci; verùm neq; posse licitè permitti. Ratio est. Quia qui potest peccatum aliquod impedire, & non impedit quando tenetur, censetur eiusdem peccati cooperator & particeps, nisi iustam illius permittendi causam habeat. Vnde Paulus V. Pont. Max. Sanctæ recordationis nunquam adduci potuit (vt refert Bonac. loc. cit.) ad concedendam Catholicis Principibus facultatem permittendi libertatem Religionis sectatoribus hæreticæ pranitatis, quamuis ex denegata libertatis concessione asperrimum & diuturnum bellum cum periculo amittendorum Regnorum, & Prouinciarũ ingrueret & proximè immineret. Itaq; libertas Religionis seu Conscientiæ indulgeri non potest

in-

intuitu solùm conseruandæ Reipublicæ; aut metu amissionis Prouinciarum, Regnorum, & Vitæ; nam ex communi Theologorum sententia bona inferioris ordinis exponenda sunt periculo ad tuenda bona superioris ordinis: sed Prouinciæ, Regna, ac Vita sunt bona inferioris ordinis; bonum vero Religionis est bonum superioris ordinis; Ergo Prouinciæ, Regna &c. periculo exponenda sunt ad tuendam Catholicã Fidem; Ergo metu amissionis Prouinciarum, Regnorum, ac vitæ permitti non potest libertas conscientiæ, qua permissa mediocriter læderetur Catholica Religio, & plurimi in non grandi & aperto salutis discrimine versarentur.

Limitatur nostra responsio; modò aliud non postulet commune Religionis bonum; quoties enim sine grauiori Catholicæ Religionis incommodo impediri non potest; seu quoties commune Religionis bonum id postulat, permitti potest. Ratio est. Tùm quia permissio mali, si iusta & sufficiens adsit ipsius permissionis causa, non est mala; alioquin Principes nullum peccatũ permittere possent: Tùm quia de duobus malis minus est eligendum dum vtrumq; vitari non potest: hic autem eligitur minus malum, cùm metu grauioris incommodi eligatur permissio libertatis non vt malum, sed tanquam medium ad præcauendam grauiorem Catholicæ Fidei ruinam.

Ad tertiùm. Principes non tenentur stare promissioni & pacto de permittenda libertate Religionis, dum eam sine grauiori damno veræ & Catholicæ Religionis impedire possunt, aut dum conatum ad eam impediendam vtilem fore sperant. Ratio est. Quia promissio de re illicita & turpi non obligat; sed promissio seu pactum seruandi priuilegium libertatis est de re illicita, cùm libertas conscientiæ sit intrinsecè mala; Ergo promissio permittendæ Religionis non obligat; Ergo Princeps non tenetur illi stare, nec promissam Religionis libertatem tolerare; etiamsi promissionem iuramen-

to firmauerit; nam iuramentum de re illicita non obligat. Secus dicendum est quoties Princeps dictam libertatem sine grauiori incõmodo impedire non potest. Ratio est. Tùm quia hæc non dicitur approbatio mali; sed electio minoris mali ad præcauendum maius. Tùm quia Fides alteri data de re licita seruanda est: promissio autem libertatis in proposito casu licita est.

Nec obstat quòd nonnulli Principes Catholici facultatem licitè faciunt Iudæis cõmorandi in suis Vrbibus & Prouincijs, permissis ipsorum ritibus & Cæremonijs; Ergo etiam licitum videtur hæreticos permittere concessa Religionis libertate.

Quia respõdetur Iudæos facilius tolerari posse quã Hæreticos. Tùm quia minus periculum subuersionis est tolerare Iudæos quam Hæreticos; nam Catholicis facilius est trãsitus ad Hæreticos quàm ad Iudæos propter similitudinem inter illos. Tùm quia ritus Iudæorum non ita noxij sunt Religioni sicut hæreticæ prauitatis libertas: imò illi ritus comprobant quodammodo & confirmant nostram Fidem, quia sunt illius vmbra & figura; Circũcisio enim, Agnus Paschalis, & Sacrificia indicant Baptismum, Eucharistiam, & Sacrificium nouæ legis. Tùm quia Iudæi seruiunt communi Reipublicæ vtilitati; Hæretici verò communem Reipublicæ pacem, & tranquillitatem frequenter turbant.

Et hæc satis dicta sint de tota Fidei materia pro præsenti nostro instituto, qui plura fiat, adeat & hauriat è copiosis fontibus Scolasticorum.

Cap.

CAP. VIII.
De Spe.

QVemadmodum inter virtutes Theologicas secundum locum post Fidem obtinet Spes; ita etiam videtur illam Apostolus exquirere in Ecclesiasticis, quos in personis Timothei, & Titi discipulorum eius instruit, dum 1.ad Tim.4.ait *Speramus in Deum viuum, qui est Saluator omnium hominum maximè fidelium.* Et ad Tit.3. *Vt iustificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Igitur agemus in hoc capite de Spe videndo. 1. varias acceptiones huius nominis. 2. de Spe prout accipitur in malum, seu de vana cõfidentia. 3. de Spe prout accipitur in bonum, seu de Spe prout est virtus videndo quid sit. 4. quomodo est virtus Theologica. 5. quodnam sit subiectum Spei. 6. de Spei obiecto. 7. de fructibus & vtilitatibus Spei. 8. an liceat sperare in aliquo alio præterquàm in Deo. 9. & vltimo de ijs, quæ inducunt nos in actum spei.

§. 1. *De varijs acceptionibus huius nominis Spei.*

NOmen spei seu sperare aliquando accipitur amplissimè & impropriè pro quauis expectatione futuri euentus siue boni siue mali; itaut idem sit sperare, ac expectare: Sic Virg.4.Æneid.

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

Sed vt ait D. August.in enchir.cap.8. abusus est vocabuli vt spes ad malum referatur, sed propriè dicitur respectu boni. Sic Horatius.

Sperat infestis metuit secundis
Alteram sortem benè præparatum
Pectus

Præ-

Præterea respectu boni adhuc dupliciter dicitur spes. Vno modo vt significat passionem appetitus irascibilis conuenientem etiam brutis. Altero modo vt significat virtutem. Quatenus significat passionem definitur à D.Thom. 1.2.q.40. a.1.quòd sit *Motus in bonum futurum, arduum, possibile*. Dicitur *in bonum*, per quod differt à timore, quoniam spes est de bono, & timor de malo. Dicitur *futurum*, per quod differt à gaudio; gaudium enim est de bono præsenti, & quies quædam in bono habito. Dicitur *arduum*, per quod differt à desiderio seu concupiscentia, quæ est de quocunque bono siue facili siue arduo; Vnde spes addit supra desiderium conatum quemdam, & extensionem ad bonum consequendum: Differt etiam per hoc ab audacia; quia audacia importat extensionem appetitus in bonum arduum vt repellatur malum; spes autem extensionē appetitus in bonū arduum vt acquiratur. Dicitur deniq; *possibile*, per quod differt à desperatione; cum enim cognoscitur aliquod bonum nobis impossibile, tunc statim animi conatum deponimus, & ab illo obtinendo desperamus. Hanc passionem spei moderatur virtus, quæ appellatur Magnanimitas vt docet S. Thom. 2. 2. q. 125. a. 2. ad 3. Ex hac acceptione translatum est hoc nomen spei ad significandum similem motum in voluntate ad bonum intelligibile futurum, arduum, possibile, vel per vires naturæ vt Philosophi accipiunt; vel intelligibile & possibile per lumen & auxilium supernaturale, vt Theologi & Christiani loquuntur de spe vitæ æternæ. Et hic motus voluntatis ad bonum intelligibile &c. est illa virtus, quæ vocatur Spes.

Rursus nomen spei quatenus dicit virtutem aliquando accipitur pro habitu inclinante ad motum voluntatis in bonum: sic. 1. Cor. 13. *Nunc manent Fides, Spes, Charitas.* Aliquando pro actu procedente à tali habitu: sic in Psal. 60. *Moab olla spei meæ*. i. malorum persecutio, excitat, perficit, & quodammodo feruere facit spem meam. Aliquando pro obie-

cto ſpei, ſeu pro re ipſa, quæ ſperatur: ſic ad Tit. 2. *Expectantes beatam ſpem* .i. viſionem beatam. Aliquando deniq; pro certitudine quæ ſequitur ſpem: ſic ad Rom. 5. *Probatio verò* .i. ſpei certitudinem.

§. 2. *De Spe prout accipitur in malum ſeu de vana Confidentia.*

SPes prout accipitur in malum, quæ etiam dicitur vana confidẽtia eſt etiam triplex prout ait *Diuus Antoninus in ſua ſum. par. 4. tit. 7. cap. 1. §. 1.* Prima eſt confidentia de ſeipſo. Secunda eſt confidentia de alio. Tertia eſt confidentia de aliquo vano. De prima dicitur Prou. 28. *Qui confidit in corde ſuo ſtultus eſt*. Verè autem ſtultus eſt confidens de ſe, & propriè loquendo is dicitur præſumptuoſus: nam homo non eſt ſufficiens ex ſe, nec ad ſuſtinendum, nec ad defendendum ſe, nec ad merendum. Quòd homo, nec alia quæuis creatura ſit ſufficiens ad ſuſtinendum ſe oſtendit Diuus Gregorius dicens. *Eſſe omnium, quæ de nihilo ſunt, in nihilum tenderet, niſi ea omnia manus regiminis retineret.* Neq; eſt ſufficiens homo ad ſe defendendum ab hoſtibus ſuis, immo à dæmonibus citò perimeretur niſi à Deo protegeretur: hinc dicitur Tren. 3. *Miſericordiæ eius quia non ſumus conſumpti.* Minus eſt etiam ſufficiens ad merendum; quia ex ſe nec valet ad inchoãdum bonum, iuxtà illud 2. Cor. 3. *Non quòd ſufficientes ſimus aliquid cogitare à nobis quaſi ex nobis &c.* cogitatio autem initium cuiuſq; operis eſſe videtur: nec valet ad perſeuerandum in bono ſemel inchoato; vnde Greg. dicit. *Citò bonum amittitur niſi à largiente cuſtodiatur;* nec valet ad perficiendum; quapropter in Pſal. 80. dicitur. *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te.*

Confidentia ſeu ſpes in alio homine eſt fallax & confundẽs hominem Iſai. 31. *Confundentur ab Æthiopia ſpe ſua*. Confidunt homines in aliquem aliquãdo ratione poteſtatis; ſed his dicitur Iſai. 31. *Væ qui deſcendunt in Aegiptum ad auxilium*

ſpe-

ſperandum, & non ſunt confiſi ſuper Sanctum Iſrael: aliquando ratione conſanguinitatis; ſed dicitur Ierem. 17. *Maledictus vir qui confidit in homine, & ponit carnem* (.i. parentelam) *brachium ſuum* (.i.robur ſuum)aliquando ratione malitiæ & iniquitatis; ſed dicitur Pſal. 61. *Nolite ſperare in iniquitate.* Scilicet putantes per aſtutias hominum obtinere quæ vultis.

Confidentia in re vana eſt confidentia vel in vita temporali, quæ breuis & momentanea eſt Sap. 5. *Spes impij quaſi lanugo, quæ à vento tollitur:* vel confidere in diuitijs.i.ad Tim. 6. *Diuitibus huius ſeculi præcipe non ſperare in incerto diuitiarum; ſed in Deo viuo:* vel confidere in fama & opinione hominum Iob. 8. *Spes hypocritæ peribit.* Quid enim hypocrita in cunctis ſuis operibus ſperat, niſi honorem, reuerentiam, gloriam laudis, à melioribus metui, Sanctus ab omnibus vocari? Sed peribit iſta ſpes, quia æternitatem nõ quærens fugit quod tenet; quia eius intentio in illa gloria non figitur, quę ſine fine poſſidetur. Iob. 8. *Sicut tela aranearum fiducia eius* (ſcilicet hypocritæ) Omnis ergo iſta mala impropriè vocata ſpes abijcienda eſt, & amplectenda ſpes, quæ virtus eſt, de qua in ſequentibus.

§. 3. *De Spe prout accipitur in bonum, & ſonat Virtutem. Quid illa ſit.*

DVpliciter poteſt definiri Spes, quæ virtus eſt, nempe & ſecundùm habitum, & ſecundùm actum. Secundùm habitum ſic definitur. *Spes eſt virtus theologica à Deo in voluntate infuſa, qua homo inclinatur & diſponitur ad certitudinaliter expectandam futuram beatitudinem mediante auxilio gratiæ diuinæ, & operibus meritorijs ab illa procedentibus.* Secundùm actum ſic definitur à Mag. ſent. in 3. *Spes eſt certa expectatio futuræ beatitudinis ex gratia & meritis proueniens.* Dicitur *certa expectatio*; eſt autem actus proprius Spei expectare beatitudinem, non ſpe-

ſperare ſolum; & ratio eſt quia cum ſpes tendat in bonum poſſibile nobis adipiſci; ſi ſpes tendat in bonum obtinendum ſecundùm propriam virtutem, ſic dicitur ſpes ſperare tantùm; ſed ſi tendat in aliquod bonum obtinendum per virtutem alienam, ſic propriè dicitur ſpes expectare. Additur *certa* ad oſtendendum quòd ſpes præſupponit facultatem, & facit certitudinem perueniendi in beatitudinem futuram. Vnde Apoſtolus innixus huic ſpei dicebat 2. ad Tim. 2. *ſcio cui credidi & certus ſum, quia potens eſt depoſitũ meum ſeruare &c.* Nec obſtat quod aliqui deficiunt à conſecutione beatitudinis. Quia hoc prouenit ex defectu liberi arbitrij ponẽtis obſtaculum peccati, non autem ex defectu diuinæ potentiæ vel miſericordiæ, cui ſpes innititur. Vnde hoc non præiudicat certitudini ſpei. Dicitur *futuræ beatitudinis*; nã proprium & primum obiectum ſpei eſt beatitudo futura, vt dicetur inferius. Ratio eſt. Quia ſpes innititur virtuti infinitæ Dei; ſed proprium eſt infinitæ virtutis ad bonum infinitum perducere, quod eſt vita eterna, quæ in Dei viſione & fruitione conſiſtit; ergo ſpes eſt expectatio futuræ beatitudinis. Dicitur *ex meritis & gratia proueniens*: Non autem dicitur ſpes ex meritis & gratia eò quod ipſe habitus ſpei cauſetur ex meritis; ſed purè ex gratia; vnde eſt habitus infuſus vt Fides, & Charitas: ſed dicitur ſpes prouenire ex gratia & meritis præcedentibus, tùm quoad actum ſpei formatæ, inquantum gratia & merita (ſi non in actu ſaltem in propoſito præcedentia) producunt actum ſpei: tùm quoad obiectum, prout ſcilicet aliquis ſperat ſe beatitudinem adepturum ex Dei gratia, & meritis præcedentibus. Et notandum quod ad beatitudinem æternam obtinendam hæ quatuor cauſæ poſſunt interuenire, videlicet Cauſa principalis efficiens; & hæc eſt diuina gratia vel miſericordia iuxtà illud Pſal. 84. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*. Cauſa diſponens; & hæc ſunt noſtra opera meritoria. Cauſa coadiuuans;

diuinans; & hæc ſunt deuotæ orationes aliorum, inter quos eminet B. Virgo Maria Dei genitrix. Cauſa conſilians; & hæc ſunt exhortationes, vel inſtructiones, vel eruditiones fraternæ ad beatitudinem conſequendam.

§. 4. *Quomodo Spes ſit Virtus Theologica diſtincta ab alijs.*

SPes eſt Virtus Theologica diſtincta ab alijs ſecundò poſt Fidem, & prior Charitate. Probatur dictum per ſingulas partes.

Quod Spes ſit Virtus, ſic declaratur. Virtus ſecundùm Phil. 2. eth. *eſt quæ facit bonum habentem, & opus eius bonum reddit.* ſed Spes facit actum hominis bonum, & ipſum hominem bonum: Actus enim hominis dicitur bonus per hoc quod attingit regulam vel menſuram propriam; propria autem regula ſeu menſura actuum humanorum eſt duplex. Vna eſt proxima, ſcilicet ratio, qua menſurantur actus morales. Alia eſt ſuprema, & excellentiſſima, ſcilicet Deus, qua menſurantur actus virtutum theologicarum. Per actum autem ſpei attingitur ipſa regula & menſura ſuprema, inquantum ſcilicet ſperamus aliquid vt poſſibile nobis per diuinum auxilium. Vnde ex quo actus eius eſt bonus, ipſa eſt virtus.

Quod ſit theologica patet. Quia virtus theologica dicitur, quæ Deum habet pro obiecto, & pro fine: huiuſmodi autem eſt ſpes; obiectum enim & finis illius eſt Deus; quia reſpicit & tanquam cauſam efficientem, inquantum innititur auxilio illius; & tanquam cauſam finalem inquantum in eius fruitione beatitudinem expectat.

Quod ſit diſtincta à cæteris theologicis patet. Quia Charitas habet pro obiecto Deum, inquantum facit hominem inhærere Deo propter ſeipſum, vniens voluntatem hominis Deo per amoris affectum: Fides habet pro obiecto Deum, inquantum facit nos inhærere Deo per hoc quod eſt nobis prin-

principiũ cognoscendi veritatẽ: spes autẽ habet pro obiecto Deum & facit nos illi in hærere per hoc quod est nobis principiũ,& causa perfectę bonitatis & beatitudinis. Vnde Fides respicit Deum vt summã sapiẽtiam & Veritatem: Spes vt summam potẽtiam & misericordiam: Charitas vt summã bonitatem : Diuersa autẽ ratio obiecti diuersificat virtutes.

Quod Spes sequatur Fidẽ probatur. Quia spes non ferretur in beatitudinem vt possibilem ad obtinendam, nisi prius fides proponeret illam vt talem.

Quod sit prior Charitate (intellige ordine generationis, non autem ordine perfectionis; duplex enim est ordo. Vnus quidem secundùm viam generationis & naturæ; secundùm quem imperfectum est prius perfecto. Alter secundùm viam perfectionis & formæ, secundùm quem perfectum naturaliter est prius imperfecto) secundùm ergo primum ordinem. i. generationis spes est prior. Quod sic ostenditur; Quia spes & omnis appetitiuus motus ex amore deriuatur: Amor autem duplex est, alter perfectus, alter imperfectus. Perfectus est, quo aliquis amat alterum propter ipsum volendo illi bonum, sicut homo amat amicum; & hic dicitur amor amicitiæ. Imperfectus est, quo quis amat aliquid propter se vt sibi proueniat illud bonum amatum, sicut homo amat rem, quam concupiscit vt vestem, pecuniam, rem formosam; & hic dicitur amor concupiscentiæ. Primus igitur amor pertinet ad Charitatem, quæ inheret Deo propter ipsum; secundus verò amor pertinet ad spem, quæ inheret Deo quia ab ipso proueniit beatitudo. Et ideò in via generationis spes est prior Charitate, & introducit ad Charitatem, inquantum aliquis sperans remunerari à Deo accedit ad amãdum Deum,& seruandum præcepta eius. Sed secundum Ordinem perfectionis Charitas prior est naturaliter; Et ideò adueniente Charitate Spes perfectior redditur, quia de amicis maximè speramus. *Ita D. Thomas 2. 2. q. 18. ar. 8.*

§. 5. *De ſubiecto Spei.*

DVplex ſubiectum poteſt conſiderari circa ſpem, nempe ſubiectum inhæſionis ſeu res illa, in qua immediatè reſidet ſpes: & ſubiectum attributionis ſeu denominationis. i. res illa, cui attribuitur ſpes.

Subiectum inhæſionis eſt voluntas; non autem intellectus, vel memoria, vel appetitus ſenſitiuus. Probatur; quia actus ſpei eſt quidam motus appetitiuæ partis, cum obiectum eius ſit aliquod bonum; Ergo nō poteſt pertinere ad intellectum ſeu memoriā, quæ ſunt partes hominis cognoſcitiuæ. Præterea bonum, quod eſt obiectum ſpei, eſt bonum intelligibile (eſt enim beatitudo æterna) non autem bonum ſenſibile; ergo actus qui tendit in tale bonū nō poteſt procedere ab appetitu ſenſitiuo, quia hic non ſe extēdit vltrà bonū ſenſibile.

Subiectum attributionis eſt *ſolus viator fidelis*. Dixi, *ſolus viator*, ideſt qui adhuc eſt in via, & non in termino; nam qui ſunt in termino ſiue ſint in Cælis ſiue in Inferis non habent ſpem; non qui in Cælis, quia iam habent quod ſperabant; nō qui in Inferis, quia beatitudo eſt illis impoſſibilis, & ſunt certi de perpetuitate damnationis, idem dicito de his qui ſunt in Limbo puerorū: qui autē ſunt in Purgatorio habent & qui erant in Limbo Sanctorum Patrum habebant ſpem; quia adhuc quodammodo ſunt & erant in via, & expectant Dixi *Fidelis*; quia Infideles quicunq; illi ſint non poſſunt habere ſpem, quæ eſt virtus theologica; quia nō habent veram fidem Chriſti, quæ eſt fundamentum ſpei. Nec valet argumentum dicendo. Hæretici non deſperant, ergo non amittunt ſpem. Quia ſpes dupliciter poteſt amitti, videlicet vel per actum contrarium; vel per deſtructionem fundamenti; ſicut calor v.g. poteſt deperdi vel per qualitatem cōtrariam, vel per deſtructionē ſubſtantiæ. Poteſt eſſe aliquod dubiū de

Fi-

Fidelibus cõfirmatis in gratia, an in illis detur ſpes; & ratio dubitandi eſt, quia illi iam ſunt certi de ſua ſalute; ſicut etiã illi qui ſunt in Purgatorio; ergo nõ habent ſpẽ, quæ eſt circa arduum. Nihilominus dicimus dari ſpem in illis, & quidem robuſtam: Vnde B. Virgo quamuis certa eſſet ſe cofirmatam eſſe in gratia, nec venialiter quidem peccare poſſe, tamen habuit excellentiſſimam ſpem: Et ad rationem dubitandi reſpondetur, quòd obiectum ſpei eſt quidem arduum ſecundùm ſe; ſed in confirmatis in gratia difficultas vincitur per auxilia Dei & promiſſa certiſſima; hoc autem non tollit rationem ſpei, ſed facit ſpem robuſtam. Maior forta ſſe difficultas eſſe poteſt de fidele qui eſt in peccato mortali, an detur in illo vera ſpes. Sed etiam reſpondemus dari in illo veram ſpem, quæ tamen non eſt virtus; quia ſine Charitate (quæ tollitur per peccatũ mortale) nõ eſt aliqua vera virtus. Dico quod datur vera ſpes in peccatore tum quoad habitum, tùm quoad actum. Et quidem quoad habitum, quia per peccatum non amittitur fides; ergo neq; ſpes. Probo Conſeq. fides docet peccatores ſperandam, & petendam eſſe veniam peccatorum à Deo iuxtà illud Eccleſ. 21. *Fili peccasti non adijcias iterum; ſed & de priſtinis deprecare vt tibi dimittantur.* Ergo peccator poteſt ſperare; ergo habere habitum ſpei; ſiquidem ratio formalis obiecti non perijt. Quod etiam poſſit dari ſpes quoad actum illius ſupernaturalem eſt certum *ex Sac. Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6.* vbi definitur quòd peccatores per fidem credunt, & ſpem eriguntur ad petendam veniam fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore; illumq; diligere incipiunt. Ergo peccatores poſſunt habere actum ſpei ſupernaturalem.

Si aliquis quærat an in Chriſto fuerit ſpes. Reſpondetur negatiuè. Quia ſpes eſt expectatio futuræ beatitudinis; ſed Anima Chriſti ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit beata.

§. 6.

§. 6. De Obiecto Spei.

OBiectum ſpei eſt id, quod vltimò expectamus, nempe falicitas & beatitudo, quæ dicitur vltimus finis humaaæ vitæ, quia illa tandem habita quieſcit omninò appetitus noſter, nec ſupereſt quidquam, in quod moueatur. Verum quidem eſt quòd non omnes conueniunt in vera cognitione illius rei, qua habita appetitus quieſcat; nam quidam putant hanc rem eſſe diuitias, quidam voluptates, quidam honores, quidam aliquid aliud creatum; ſed omnes falluntur & non eſt ſtandum iudicio eorum, quia habent affectum, appetitum, & iudicium deprauatum. Standum igitur eſt iudicio eorũ, qui habent affectũ, & iudiciũ ſanum; ſicut de re dulci ſtandum iudicio eorum qui habent palatum ſanum, & optimum guſtũ. Quid autem dicunt de vltimo fine, & de beatitudine ij qui habent iudicium ſanum? dicunt non poſſe eſſe quidquam aliud niſi illam rem, quæ ſit ſummum bonũ, quod vocatur Deus. Et oſtendunt inducendo ſingula, in quibus homines frequentius falluntur.

Non poteſt in diuitijs conſiſtere ratio vltimi finis, & beatitudinis. Quia res, quæ eſt vltimus finis, eſt ſatiatiua appetitus; ſed diuitiæ non ſatiant appetitum (ſicut nulla res alia præter Deum) Et hoc manifeſtũ. Vnde illud decantatũ.

Quo plus ſunt potæ plus ſitiuntur aquæ.

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

Deinde illa res eſt vltimis finis, ad quam habendam omnia ordinantur, & ipſa non ordinatur ad aliam: ſed diuitiæ ordinantur ad aliud; nam diuitiæ naturales, quales ſunt cibus, potus, veſtimenta &c. ordinantur ad ſuſtentandam vitam hominis: & diuitiæ artificiales, vt ſunt pecunia argentum &c. ordinantur ad ipſas naturales habendas.

Non in honoribus. Quia honor exhibetur alicui in ſignum alicuius excellentiæ quæ eſt in illo: excellentia autem hominis

Digitized by Google

nis attenditur principaliter secundùm rem illam, quæ sit illius bonum perfectum; secundariò secundùm alia, ex quibus participatur illud perfectum bonum: Ergo honor potius est testimonium rei, in qua sit ratio vel completa vel participata vltimi finis, quàm sit ipse vltimus finis. Et si dicatur quod honor est præmium virtutis; vnde videtur quòd virtuosus operetur propter honorem tanquam propter vltimũ finem. Resp. Quòd est præmium virtutis per respectum ad honorantes, quia non habent quod maius aut melius dent in præmium virtutis: non autem per respectum ad intentionem honorati, qui si operetur virtuosè propter honorem, esset ambitiosus non virtuosus.

Non in fama & gloria apud homines. Quia gloria est clara cum laude notitia: hæc autem notitia supponit aliquod bonum in eo qui cognoscitur, & laudatur; quia hæc est differentia inter cognitionem humanam, & cognitionem diuinam, quòd humana causatur à rebus cognitis; diuina verò est causa rerum cognitarum: Ergo gloria humana potius supponit aliquod bonum, à quo procedit, quàm ipsa sit perfectum bonum.

Non in potentia, & dominio. Tum quia beatitudo non habet anxietatem, sed delectationem & securitatem; sed potentia humana plurimùm habet anxietatis & timoris; vnde Greg. *Omne quod hic eminet plus mœroribus afficitur, quàm honoribus gaudet*. Et Boet. 2. de Cons. *Potestas humana sollicitudinum morsus expellere, formidinum aculeos vitare nequit*. Tum quia beatitudo est bonum per se sufficiens & non indigens alio, ita vt ipsa adepta nullum aliud bonum homini appetendum relinquatur; sed habita potestate adhuc multis homo indiget, aliàs miser esset, nec ipsam potestatem conseruare posset; indiget enim seruis, ministris, officialibus, militibus, multisq; alijs fulcimentis.

Non in voluptatibus corporis. Tùm quia vera beatitudo

est

eſt propria creaturæ rationalis, cuius eſt capax per rationem: Voluptates autem corporales ſunt communes nobis & brutis: Vnde Boet. dicit quod ſi voluptates nos beatos efficere poſſent, nihil cauſæ eſt quin pecudes quoq; beatæ eſſe dicantur: Sed hoc eſt abſurdum dicere. Tum quia beatitudo cum ſit perfectum bonum nulli poteſt eſſe nociua: at voluptates ſunt nociuæ & animæ & corpori; Vnde Boet. in 3. de conſ. *Triſtes eſſe exitus voluptatum quiſquis libidinum ſuarum reminiſci voluerit intelliget.* Et Sen. *Plures occidit voluptas quàm gladius.*

Non in optima Corporis diſpoſitione. Tùm quia per beatitudinem homo excellit omnia animalia; & ſecundùm dona corporis homo à multis animalibus ſuperatur; ſicut ab Elephãte & Phœnice in diuturnitate vitæ; à Leone infortitudine; à Ceruo in velocitate; ab Aquila in acumine viſus; ſic de cæteris. Tùm quia vltimus finis hominis non eſt conſeruatio ſui in vita corporali; quia homo ordinatur ad aliquid aliud extrà ſe ſicut ad finem, ſcilicet ad ſummum bonum, ad quod inclinatur per naturalem appetitum eius; vnde dicit Boet. *Inſerta eſt mẽtibus hominum naturaliter veri, ſummiq; boni cupiditas.* Quis autem neſciat non eſſe ipſum hominem hoc ſummum bonum?

Non in cognitione ſenſuum. Tum quia etiam bruta habent talem cognitionem; & per conſequens etiam ipſa eſſent beata, quod eſt abſurdum. Tùm quia beatitudo eſt ſatiatiua; ſenſus autem non ſatiantur in ſua cognitione; Vnde dicitur Eccleſ. 1. *Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur.*

Non in operatione intellectus practici. Quia talis intellectus eſt propter actionem; & ipſa actio ordinatur ad aliquem finem: at beatitudo non quæritur propter aliud ſed propter ſe, quia eſt vltimus finis.

Non in ſcientijs rerum naturalium. Quia tales ſcientiæ

non

non ſe extendunt vltrà ſua principia: hæc autem principia originem habent à ſenſu; Vnde Phil. *omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſu:* omnia autem ſenſibilia ſunt inferiora ipſo homine; ergo homo non perficitur per ſpeculationem illorum; quia nihil redditur perfectum per aliquid inferius ſeipſo; ergo per tales ſcientias homo non redditur beatus.

Non inſpeculatione ſubſtantiarum ſeparatarum. i. Angelorum. Quia tales ſicut ſunt entia per participationem (ſolus enim Deus eſt ens per ſe independens, & eſt ſuum eſſe) ita etiam ſunt vera per participationem; ergo illarum cognitio non perficit & non quietat totaliter intellectum, qui eſt capax perfici per cognitionem eius, quod eſt verum per eſſentiam & eſt ſummum verum & infinitum; quia hoc continet totam latitudinem obiecti ipſius intellectus, quod obiectum eſt ipſum verum.

Deniq; vltimus humanæ vitæ finis, ſeu beatitudo non cõſiſtit in alio quocũq; bono creato. Quia omne bonum creatũ ſicut eſt ens participatum, ita etiam eſt bonum participatum, & per conſequens bonum particulare; ergo non poteſt implere & ſatiare appetitum intellectiuum ſeu voluntatem hominis, quæ eſt capax boni Vniuerſalis; ſicut ſi daretur vas, quod eſſet capax aquæ totius maris, non impleretur per aquas vnius aut alterius fluminis; & ſi tale vas eſſet cognoſcitiuum diceret ſe non eſſe quietum donec implerẽtur totum per aquas maris; ergo in nullo bono creato poteſt conſiſtere ratio vltimi finis.

Supereſt igitur vt in ſolo bono increato, quod eſt vniuerſale bonum, ſummũ bonum, & infinitum bonum, & dicitur Deus, conſiſtat ratio noſtri vltimi finis & beatitudinis quia hoc ſolum poteſt perficere, implere, quietare, & ſatiare noſtrum appetitum. Hinc benè dicebat Diuus Aug. in lib. Cõf. *Feciſti nos Domine ad te & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* Sciendum tamen eſt quod finis dicitur dupliciter.

Vno modo ipſa res, quam conſequi deſideramus. Altero, modo ipſa conſecutio & poſſeſſio illius rei. Exemplum ſit in cupido pecuniarum, cuius finis eſt non ſolùm ipſa pecunia, quam intendit conſequi; ſed etiam conſecutio & poſſeſſio ipſius pecuniæ. Sic igitur Vltimus finis hominis dicitur dupliciter. Vno modo res, quam vltimò deſideramus, & qua habita quieſcit noſter appetitus, & hanc dicimus ſolum Deum. Altero modo conſecutio, poſſeſſio, & fruitio ipſius Dei. Primum vocant Theologi beatitudinem obiectiuam .i. obiectum beatitudinis; ſecundum vocant beatitudinem formalem .i. ipſam formam & eſſentiam beatitudinis. In quo autem conſiſtat hæc beatitudo formalis, ſeu conſecutio noſtri vltimi finis dicunt Theologi cõſiſtere in optima operatione optimæ potentiæ circa optimum obiectum; quę operatio non eſt alia, niſi cognitio intellectiua euidens, clara, & intuitiua Dei; quam vocant viſionem claram Dei; Vnde Aug. in ſolil. cap. 36. dicit. *Viſio tota merces.* per illa verba Domini Ioa. 17. *Hæc eſt autem Vita æterna vt cognoſcant te ſolum Deum &c.* In hoc igitur conſiſtit vltimus finis & beatitudo perfecta creaturæ rationalis (quod eſt obiectum ſpei) ſcilicet in viſione clara Dei, quæ non poteſt haberi in hac vita mortali; ſed reſeruatur poſt mortem. Cæterum in hac vita poteſt haberi aliqua beatitudo inchoata & imperfecta, quæ tamen non conſiſtit in conſecutione diuitiarum, honorum, voluptatum, gloriæ, dominij & ſimilium; ſed in operationibus quæ ordinant nos ad Deum, & vniunt nos cum illo per cognitionem & amorem, qualem in terris habere poſſibile eſt; hæ autem operationes non ſunt partis ſenſitiuæ, ſed intellectiuæ; nam ſenſus non poteſt attingere Deum, qui eſt ſumme ſpiritualis: poſſunt tamen operationes ſenſus pertinere aliquo modo ad beatitudinem, ſaltem antecedenter & conſequenter; ſi non eſſentialiter. Antecedenter quidem in hac vita, quatenus operationes intellectus præexigunt

gunt operationē ſenſus; nihil enim in hac vita eſt in intellectu, quod nō prius fuerit in ſenſu. Cōſequēter autē in altera vita, quatenus ex beatitudine animæ fiet quædā redundātia in corpus, ſenſuſq; corporeos, vt in ſuis operationibus perficiantur. Quod Deus nobis pro ſua pietate donare dignetur.

§. 7. *De Fructibus, & vtilitatibus Spei.*

MVltiplices ſpei vtilitates afferuntur à *Diuo Antonino in ſua Summa par. 4. tit. 7. cap. 1. §. 4. & 5. Ait igitur* 1. quòd ſpes eſt pœnitentiæ directiua & incitatiua; nullus enim pœniteret niſi ſperaret veniam; Vnde S. Ambr. relat de pœnit. diſt. 1. *Nemò dignè agere poteſt pœnitentiam, niſi qui ſperauit indulgentiam.* 2. quod in anguſtijs & periculis magnis eſt fortificatiua; Vnde Iſai. 40. dicitur. *Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem.* Exemplum habemus in illa ſanctiſſima muliere, de qua dicitur 2. Mach. 7. quòd percuntes ſeptem filios ſub vnius diei tempore conſpiciens bono animo ferebat propter ſpem, quam in Deum habebat. 3. quòd eſt intelligentiæ aperitiua Sap. 3. *qui confidunt, in Domino intelligent veritatem.* Exemplum in Abrahā, qui ex magna ſpe, quam habuit in Deum, fuit illuminatus ad cognoſcendum quomodo deberet ſe habere in illa perplexitate circa vxorem ſuam cum deſcendit in Ægiptum: de quo D. Aug. rel. 22. q. 2. cap. quæ. ſic ait. *Fecit quod potuit, quòd non potuit Deo commiſit, in quem ſperauit, nec eum fides, aut ſpes fefellit.* 4. quòd in malis eſt liberatiua Pſal. 31. *In te ſperauerunt patres noſtri, ſperauerunt, & liberaſti eos.* Exemplum de Suſanna liberata à calumnia ſenium & à morte; erat enim cor eius fiduciam habens in Domino, vt dicitur Dan. 13. 5. quòd eſt tentationum Diaboli triumphatiua Pſal. 10. *In Domino ſperaui non timebo quid faciat mihi homo* .i. Diabolus. In cuius figuram Dauid non armatus armis propriæ confidentiæ; ſed confidentiæ in Domino pro-

ſtrauit Goliath. 1. Reg. 16. 6. quòd eſt dilectionis effectiua; quia ille qui ſperat aliquod obtinere, ſi ſua virtute, vel à ſeipſo non poteſt illud bonum obtinere, eum diligit, cuius auxilio poteſt. Cum igitur ſpes ſit expectatio futuræ beatitudinis, quam non poſſumus conſequi niſi Dei virtute, ex hoc incipimus Deum diligere. Hinc Apoſt. ad Col. 1. *Dilectio enim quam habetis in Sanctos propter ſpem, quæ repoſita eſt vobis in Cælis.* Si ergo ſpes cæleſtis præmij eſt cauſa, qua diligimus Sanctos; multò magis ipſa ſpes faciet nos diligere Deum tāquam principale obiectum & cauſa beatitudinis futuræ. 7. quòd eſt delectationis productiua & ratio eſt; quia bonum apprehenſum conueniens delectat. Si igitur apprehendatur vt præſens, ſic ſenſus qui eſt boni præſentis conuenientis, eſt cauſa delectationis; delectatur enim ſenſualitas in videndo pulchra, tangendo mollia &c. Si autem apprehendatur vt præteritum, ſic memoria cauſat delectationem, cum enim quis actualiter recordatur aliquorum geſtorum, in quibus afficitur, ſiue bona opera quantum ad bonos, ſiue mala quantum ad prauos, tunc delectatur. Si verò apprehendatur bonum conueniens vt futurum, ſic ſpes cauſat delectationem; cum enim quis ſperat adipiſci magnam dignitatem, vtilitatem, premium &c. tunc delectatur. Cum igitur ſpes faciat apprehendi bonum æternum futurum poſſibile, hinc eſt quod cauſat delectationem; quapropter dicebat Apoſt. ad Rom. 12. *Spe gaudentes.* Nec contrariatur huic dicto illud Prou. 13. *Spes, quæ differtur, affligit animam.* Quia ſpes eſt etiam aliquo modo cauſa triſtitiæ ratione dilationis rei expectatæ; vnde dicebat Propheta Pſal. 61. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte dum dicitur mihi quotidie vbi eſt Deus tuus.* Sic mater & gaudet & triſtatur de filio abſente; gaudet quia ſperat illum reuerſurum cum honore; triſtatur quia differtur reditus, & quia multa poſſunt occurrere, quæ impediant illius reditum. 8. quòd eſt opreationis perfectiua & auxiliatiua; tum quia co-

natum adauget ad conſequendum id, quod ſperatur; vnde Sen. *Omne opus benè fieri ſolet cum præmium eius cogitatur*; tum quia cauſat delectationem, vt dictum eſt, & delectatio perficit opus; ideò Pſal. 36. dicitur. *Spera in Domino*, & ſtatim ſubditur. *& fac bonitatem*. 9. & vltimò, quia eſt præmij collatiua; hinc Pſal. 38. *Beatus eſt vir cuius eſt nomen Domini ſpes eius*. Quod exponens S. Aug. ait. Beatus vir qui temporalia ab eo non ſperat; Sed illud quod indicat nomen eius .ſ. ſalutem; ideſt beatus, qui ipſum Deum & non aliud à Deo ſperat.

§. 8. *An liceat ſperare in homine aut alia re creata; vel in ſolo Deo.*

REſpondeo cum Diuo Thoma 2. 2. q. 17. art. 4. Quòd Spes reſpicit duo, ſcilicet bonum, quod obtinere intendit; & auxilium per quod illud obtinetur. Bonum quod quis ſperat obtinendum habet rationem cauſæ finalis: Auxilium verò, per quod quis ſperat illud bonum obtinere, habet rationem cauſæ efficientis. In vtraq; autem cauſa inuenitur principale, & ſecundarium. In cauſa finali, principale eſt bonum, inquo conſiſtit ratio vltimi finis; ſecundarium verò eſt bonum, quod ordinatur ad vltimum finem. Similiter in cauſa efficiente, principale eſt ipſum primum agens, ſecundariùm verò ſunt agentia ſecundaria, & inſtrumentalia. Spes igitur reſpicit beatitudinem ſicut finem vltimum, & auxilium diuinum ſicut primi agentis inducentis ad beatitudinem. Sicut ergo non eſt licitum ſperare aliquod bonum (excepta beatitudine) tanquam vltimum finem; ſed ſolum tanquam ordinatum ad vltimum finem (quo modo poſſunt ſperari à Deo bona temporalia, ſubleuatio à miſerijs, & multo magis virtutes) ita etiam non eſt licitum ſperare de homine aliquo, vel quacunq; alia creatura tanquam de agẽte principali; ſed ſolum tanquam de agente ſecundario cooperante ex diuina ordinatione ad conſequenda quæcunq;

bona

bona in beatitudinem ordinata. Et hoc etiam modo confugimus ad ſanctos ſperantes iuuari meritis & precibus eorũ.

Cæterum in Deo ſemper ſperare debemus; Vnde dicitur Pſal. 129. *A cuſtodia matutina vſq; ad noctem ſperet Iſrael in Domino.* & Oſe. 12. *Spera in Deo tuo ſemper*. Præcipuè tamen ſperare debemus in Domino quatuor temporibus, nimirum. 1. tempore tentationis, vt reſiſtamus, & non ſuccumbamus ſed vincamus; ideò dicitur Prou. 3. *Clypeus eſt ſperantibus in ſe*. Non dicitur autem ſperare, qui vltroneè ſe inijcit in laqueos, nec vitat occaſiones peccatorum. 2. tempore afflictionis, nam Deus non deſerit tribulatos; Iudit. 3. *Qui non deſeruit ſperantes in ſe*. & illos ſolet eripere ab omni anguſtia 2. Cor. 1 *qui de tantis periculis nos eripuit & eruet in quem ſperamus*. 3. tempore defectionis; debemus enim in Domino ſperare; quãdo egeſtate & penuria premimur, ſicut ſeruus ſperat in Domino ſuo præpotenti, diuiti, & liberali; ideò dicitur Pſal. 67. *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus*. 4. tempore offenſionis; ſicut enim ſi eſſet melius aliquis, qui vellet, ſciret, & poſſet omnes corporis infirmitates curare; quilibet infirmus in illo ſperaret: ita quia Deus eſt talis medicus, qui vult ſcit, & poteſt omnes peccatores curare; *Vult enim omnes homines ſaluos fieri*, vt dicitur. 1. Tim. 1. ideò debemus in ipſo ſperare, quòd curaturus ſit omnes infirmitates noſtras, & deleturus omnia peccata noſtra. Hinc Eccleſ. 2. dicitur. *Reſpicite filij nationes hominũ, & ſcitote quia nullus ſperauit in Domino & confuſus eſt, permanſit in mandatis eius, & derelictus eſt; aut quis inuocauit eum, & deſpexit eum*.

§. 9. *De his quæ inducunt & excitant nos ad actum Spei.*

AD ſperandum treſ conſiderationes nos inducunt; de quibus breuiter.

Prima conſideratio eſt diuinæ bonitatis, & largitatis circa

ca

ca nos. Vnde D.Bern. in ſerm. de ſeptem fragmentis, miſericordiarum ſic dicit in fine. *Tria conſidero, in quibus tota ſpes mea conſiſtit Charitatem adoptionis. Veritatem promiſsionis. Poteſtatem reddditionis. Scio cui credidi & certus ſum; quia in charitate nimia adoptauit me; quia verax eſt in promiſsis; quia potens eſt in exhibitione. Hic eſt funiculus triplex qui difficile rumpitur, quem nobis à patria noſtra in hunc carcerem demiſſum firmiter obſecro teneamus, vt ipſe nos ſubleuet, trahat, & pertrahat vſq; ad cõſpectum gloria magni Dei.* Hæc Bern. Et quidem de Charitate adoptionis dicitur .i. Ioan. 3. *Videte qualem Charitatem dedit nobis Deus vt filij Dei nominemur & ſimus.* De Veritate promiſſionis dicitur Pſal. 145. *Fidelis Deus in omnibus verbis ſuis.* Quapropter Pſal. 118. dicit Propheta. *Memor eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti.* De Poteſtate redditionis dicit Apoſtolus 2. Cor. 9. *Potens eſt Dominus omnem gratiam abundare facere in nobis.* Tàm facilè eſt Domino liberare à magnis periculis ſicut à paruis; & ſaluare tàm in paucis, ſicut in multis.

Secunda Conſideratio eſt ſuffragiorum, quæ habemus à Chriſto inquantum eſt Homo, & à B. Virgine, & à Sanctis Angelis, & Beatis. De Chriſto inquit Apoſtolus ad Rom. 8. *Qui etiam interpellat pro nobis.* & 1. Ioa. 2. dicitur. *Si quis peccauerit aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum.* & D. Hieron. 11. diſt. 16. cap. Dominus ſic ait *Dominus Noſter Ieſus Chriſtus voluit non ſolum de alijs, ſed etiam de adulterinis cõmixtionibus naſci, nobis ex hoc magnam fiduciam præſtans vt quacunq; modo naſcamur, dum tamen eius veſtigia imitemur, ab ipſius corpore non ſeparamur.* De B. Virgine dicitur ab Eccleſia, quòd ſit *Mater Sanctæ ſpei*, & in Antiphona. *Spes noſtra Saue.* Dicitur autem ſpes noſtra tum quia ipſa nobis ſpem procurat; tũ quia ex eius benignitate & miſericordia à nobis conſiderata inducimur in ſpem diuini adiutorij. De Sanctis dicitur Pſal. 120. *leuaui oculos meos in montes vnde veniet auxilium mihi.* non quod debeamus à ſanctis ipſis expectare gratias &

dona; ſed à Domino mediantibus ipſorum meritis & precibus; Vnde ſubdit Pſal. *Auxilium meum à Domino.*

Tertia. Conſideratio eſt noſtræ operoſitatis; 1. bonorum operum, quæ facimus, iuxtà illud pſal. 4. *ſacrificate ſacrificium iuſtitiæ & ſperate in Domine.* Sacrificium autem iuſtitiæ ſunt opera virtutũ. 2. eſt tolerãtia laborũ & tribulationũ propter amorem Dei; vnde Apoſt. ad Rom. 4. *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem.* 3. eſt peccatorum; Deus enim ſemper expectauit & expectat peccatores quantumuis magnos ad pœnitentiam. Exempla habemus in Matthæo, Paulo, Auguſtino, Magdalena, Pelagia, Maria ægyptiaca, & innumeris alijs. Ex his omnibus benè penſatis magna nobis ſpes aſſurgit ex D. Antonino in ſum. p. 4. tit. 7. cap. 2. §. 4. 5. & 6.

CAPVT IX.
De Charitate, & Zelo Animarum.

REquirit Apoſtolus in Eccleſiaſticis, quos in perſona Timothei informat, Charitatem: ait enim. 1. Tim. 6. *Sectare Iuſtitiam, Pietatem, Fidem, Charitatem, &c.* Cum igitur egerimus de Fide, & Spe, congruũ eſt vt modò agamus de ipſa Charitate videndo. 1. Quid ſit. 2. De Subiecto. 3. De Obiecto. 4. De Ordine. 5. De præcepto Charitatis. 6. De Excellentia. 7. De gradibus ipſius. 8. De præſtantia eiuſdem in Sacerdotibus. 9. De zelo Animarum, in quo excellere debent Sacerdotes.

§. 1. *De Charitate Quid ſit.*

DIco Primò. Charitas eſt *Amicitia Creaturæ rationalis ad Deum ſupernaturalis* iuxtà illud Ioan. 15. *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos meos.* Ita D. Thom. 2. 2. q. 23. art. 1. Explico definitionem. Di-

Dicitur *Amicitia* Est autem Amicitia *Amor benè volentiæ reciprocus duorum fundatus super aliqua communicatione.* Vnde quatuor sunt necessaria ad amicitiam .1. *Amor*; vbi enim nullus amor nulla amicitia. 2. *Amor beneuolentiæ* est amor beneuolentiæ, quo bonum volumus alicui. Velle enim sibi vel alteri bonum aliquod, est amare se, vel alterum amore beneuolentiæ; ipsum verò bonum quod est volitum, dicitur amatum amore concupiscentiæ. Vt igitur sit amicitia, debet esse amor beneuolentiæ, quo alicui bonum quis velit. 3. *Vt dictus amor beneuolentiæ sit reciprocus*, quo sic amamus aliquem vt redamemur: aliàs enim amor non tenet rationem amicitiæ, cum solus est; nec redamātem habet. 4. *Vt sit aliqua communicatio inter eos, qui se mutuo amant*: vbi enim nullum colloquium mutuum est, nec conuersatio vlla, nec aliquid vtriq; commune, non est amicitia. Ista quatuor prædicta inueniuntur in Charitate; ob id Charitas amicitia dicitur.

Dicitur etiam *Creaturæ rationalis* siue Angeli siue Hominis.

Dicitur *ad Deum* non enim quælibet amicitia & ad quemcunque vocatur Charitas; sed Amicitia ad Deum; in qua insunt illa dicta quatuor. 1. quidem Creatura rationalis amat Deum. 2. amat amore beneuolentiæ, quia vult Deo bonum Interrogabis quodnam bonum Homo vult Deo? Resp. Duplex est tale bonum. Vnum internum quod in ipso est; puta cum volumus esse iustum sicut est, bonum sicut est, potentem sicut est, & similia: Alterum externum; puta cum volumus suā voluntatem in omnibus rebus impleri: omnes ad ipsum conuerti, & suum nomen exaltare. Omnia talia ipsi vult, qui eum ex Charitate diligit. 3. amat reciprocè; non enim Homo diligit Deum, quin à Deo diligatur: immò Deus est qui prior dilexit nos; & cuius amor est causa nostri amoris. Est tamen discrimen notandum inter amorem Dei erga nos; & amorem nostrum erga ipsum: Quòd nos dum amamus ipsum, & volumus illi bonum, non damus ei tale bonum, quod ie

volumus (non enim facimus ipſum iuſtum, bonum, potentem &c. Nec ſimiliter abſq; ipſo bona externa ei dari poſſunt) At ipſe ſuo amore dat bonum quod amãdo vult; dumq; amat nos, bonos & amabiles facit. Sicut ſi aliquis oculus eſſet, qui quocunq; ſe conuerteret, colores daret corporibus, quibus videri poſſent; talis oculus & faceret corpora viſibilia, & ea videret. Sic eſt Amor Diuinus. 4. eſt mutua communicatio, ſeu conuerſatio: Tùm quia ipſe eſt finis noſter; & nos in ipſum tendimus: Tùm quia ipſe ſuam naturam, ſuam voluntatem manifeſtauit nobis; & nos quæ vult implemus.

Dicitur etiam in definitione *ſupernaturalis* Deus enim dupliciter ad Hominem comparatur. Vno modo ſicut finis naturalis, ad quem eſt factus; ſicut etiam aliæ res omnes ſunt propter Deum factæ; & ex hac parte homo debet amorem naturalem Deo; quem cuncta ſuo modo debent. Altero modo comparatur vt finis ſupernaturalis habendus ab homine per viſionem & fruitionem: Et hoc modo Deum amare eſt Charitatis: ob id dicitur amicitia ſupernaturalis. Similiter etiam; quia talis amor eſt tàm eleuatus vt nullus eum poſſit habere abſq; auxilio Dei ſupernaturali. Eſt igitur Charitas Amicitia Creaturæ Rationalis ad Deum ſupernaturalis.

Nec obſtat quòd Charitas ſe extẽdat etiam ad inimicos, iuxtà illud *Diligite inimicos veſtros*; Vnde videtur quòd non ſit amicitia. Quia reſpondetur amicitiam dupliciter ſe extendit ad aliquem. Vno modo reſpectu ſui ipſius; & ſic amicitia nunquam eſt niſi ad amicum ipſius. Alio modo ſe extendere ad aliquem reſpectu alterius perſonæ; & ſic ſe extendit ad alia quæ pertinent ad amicum; hoc ergo modo amicitia Charitatis ſe extendit etiam ad inimicos, quos diligimus propter Deum; Tùm quia pertinent ad Deum; Tùm quia Deus hoc mandat.

Dico ſecundò. Charitas eſt *quid creatum in Anima: Eſt vir-*

tus

tus Theologica: & quidem virtus vna ſpecificè, & ſpecialis, diſtincta ab alijs. Probatur & manifeſtatur Concluſio per partes; quæ ſunt quatuor.

Primò igitur Charitas *eſt quid creatum in Anima.* Probatur; Quia actus Charitatis, qui eſt amare Deum, elicitur à voluntate ſupernaturaliter, perfectè, facilè, & delectabiliter: ſed voluntas non poteſt ſuis viribus elicere talem actum tali modo; Tùm quia eſt potentia naturalis; vnde non poteſt ſe extendere ad aliquid ſupernaturale, eſt enim ſuprà ſphæram ſuæ actiuitatis: Tùm quia quælibet potentia eſt de ſe indifferens ad actus diuerſi generis: vt autem inclinetur ad talem ſpecie actum, eumq; promptè, perfectè & delectabiliter exequatur, requiritur aliqua forma illi ſuperaddita, quam vocant habitum, per quem inclinatur ad tales actus & non alios; Ergo vt voluntas eliciat actum dilectionis Dei debet habere formam aliquam ſupernaturalem ſuperadditam, illi inhærentem; quæ certè eſt quid creatum: hanc autem formam ſeu habitum vocamus Charitatem. Ergo Charitas eſt quid creatum in Anima.

Nec obſtat quòd Spiritus Sanctus moueat voluntatem ad amandum Deum, ſed Spiritus Sanctus non eſt quid creatum, cum ſit Deus. Quia reſpondetur voluntatem ita moueri à Spiritu Sancto vt etiam ipſa ſe moueat, & efficiat hunc actum amoris, alioquin ipſe actus non eſſet voluntarius nec meritorius; vt igitur ipſa voluntas eliciat talem actum propriè, delectabiliter, & quaſi connaturaliter requirit habitum ſupernaturalem ſuperadditum; vt dictum eſt.

Minus obſtat, quòd Deus viuificat Animam per Charitatem iuxtà illud Ioan. 3. *Qui non diligit manet in morte.* Deus autem eſt ipſa Charitas; & abſq; dubio eſt Increatus; Ergo Charitas inhærens Animæ eſt quid increatum. Quia reſpondetur Deum viuificare effectiuè Animam; per Charitatem autem formaliter; quæ forma Charitatis in Anima non eſt

ipſa eadem Charitas, quæ Deus eſt; ſed participatio quædam illius; ſicut bonitas qua formaliter boni ſumus eſt participatio quædam diuinæ bonitatis.

Secundò. Quòd ſit *virtus Theologica* probatur. Et Primò. Quod virtus, Quia virtus importat quamdam potentiæ perfectionem; Charitas autem perficit voluntatem in ordine ad actum dilectionis vt dictum eſt. Secundò. Quòd Theologica patet. Quia virtus perficit hominem ad actus, quibus in beatitudinem ordinatur; duplex eſt autem beatitudo ſiue felicitas. Altera naturalis, Altera ſupernaturalis: Sicut igitur virtutes morales perficiunt hominem in ordine ad actus bonos, quibus peruenitur ad beatitudinem naturalem; ita Theologicæ perficiunt in ordine ad actus ſupernaturales, quibus peruenitur ad beatitudinem ſupernaturalē, quæ eſt participatio quædam diuinitatis: ſed Charitas perficit hominem in ordine ad actum dilectionis, qui eſt ſupernaturalis vt dictum eſt. Ergo eſt virtus, & quidem virtus Theologica.

Tertiò. Quòd ſit *Virtus vna ſpecificè* probatur. Quia eſt Amicitia Hominis ad Deum ſupernaturalis vt dictum eſt. Quòd enim Amicitia naturalis ſit Vna Genericè; & diuidatur in varias ſpecies; hoc prouenit, Vel ex diuerſitate finis; vnde Alia eſt Amicitia vtilis, Alia delectabilis, Alia honeſta: Vel ex diuerſitate communicationum in quibus fundatur ipſa Amicitia. Hinc alia Amicitia Conſanguineorum, alia Conciuium, alia Peregrinantium. Neuter autem iſte modus eſt in Amicitia ſupernaturali, quia finis eſt vnus, ſcilicet diuina bonitas: & vna communicatio beatitudinis æternæ. Ergo Amicitia Charitatis eſt vna ſpecificè nec diuiditur in plures. Ergo vna ſpecie virtus.

Quartò. Quòd ſit *Virtus ſpecialis diſtincta ab alijs*. Probatur. Quia habet ſpeciale obiectum; quod eſt bonum diuinum, inquantum eſt obiectum beatitudinis.

Nec

Nec obstat, quòd Charitas se extẽdat ad opera omnium virtutum secundùm illud 1. ad Corin. 13. *Charitas patiens est, benigna est &c.* Et 1. Cor. vlt. *Omnia vestra in Charitate fiant.* Quia se extendit imperatiuè non elicitiuè; nam cum habeat pro obiecto summum bonum (in cuius consecutione stat vltimus finis, & beatitudo hominis) se extendit per modum imperij ad actus totius humanæ Vitæ, sed hoc non tollit quin sit specialis Virtus.

§. 2. *De Charitatis Subiecto.*

DIco Primò. Charitatis subiectum est Voluntas; quia bonum, quod est obiectum Charitatis, non est bonũ aliquod sensibile quod sensibus percipi possit; sed bonum diuinum, quod solo intellectu cognoscitur. Ergo solo appetitu intellectiuo, qui est Voluntas, diligitur. Causatur autem in nobis non per vires naturę, quia est supernaturalis; sed per infusionem Sancti Spiritus iuxtà illud Apostoli. Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sãctum qui datus est nobis.* Cum enim Spiritus Sanctus sit amor Patris ac Filij; participatio ipsius in nobis est ipsa Charitas creata infusa nobis. Hinc fit vt non infundatur secundùm capacitatem naturalem recipientis; sed secundùm voluntatem ipsius Spiritus iuxtà illud Ioan. 3. *Spiritus vbi vult spirat.* Et 1. Cor. 12. *Hæc omnia operatur vnus & idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* Nam vniuscuiusq; rei quantitas dependet à propria causa rei; vnde videmus quod vniuersalior causa maiorem effectum producit; sed, vt dictum est, Charitas non causatur in nobis nec dependet ex aliqua naturali virtute, sed ex sola gratia Spiritus Sancti eam infundentis: Ergo quantitas non dependet ex cõditione Naturæ; vel ex capacitate naturalis Virtutis. Verum tamen est quòd infusa augeri potest; quia dum sumus in hac vita semper possumus ma-

magis ac magis appropinquare Deo; ideo enim dicimur Viatores; hæc autem appropinquatio fit non passibus corporis; sed affectibus mentis; & per consequens per Charitatem, per quam mens Deo vnitur; Ergo de ratione Charitatis Viæ est vt possit augeri; alioquin si non posset augeri cessaret processus viæ. An verò hoc fiat per maiorem radicationem vel per maiorem intẽsionem relinquimus disputandum in Scholis, parùm enim ad nostrum institutum conducit.

Hic insuper in via non habet terminum augmenti; imò potest augeri in infinitum; Tùm quia ipsa Charitas secundùm se non habet talem terminum, quia est participatio quædam infinitæ illius Charitatis quæ est Spiritus Sanctus: Tùm quia causa efficiens Charitatẽ est infinitæ virtutis scilicet Deus: Tùm quia excrescente Charitate semper excrescit habilitas subiecti ad vlterius augmentum. Non tamen adeò excrescere potest vt pertingat ad æqualitatem, non dico diligibilitatis ipsius obiecti quod est Deus (nam Deus est diligibilis infinitè; nulla autem Creatura, cum quælibet sit finita, potest infinitè diligere) sed neq; ad æqualitatem dilectionis, qua Beati diligunt Deum in patria; quia Beati semper actu Deum diligunt; viatores autem non possunt hoc perficere propter humanæ vitæ infirmitatem.

Sicut autem potest augeri, ita etiam potest amitti, non quidem considerata ex parte Spiritus Sancti inhabitantis animam; neq; considerata secundum propriam rationem; sed considerata ex parte subiecti, quod est vertibile propter arbitrij libertatem. Nam sicut forma, quæ non replet totam potentialitatem subiecti, amissibiliter est in subiecto; non sic autem illa quæ replet totam subiecti potentialitatem; vt apparet in forma Cælesti: Ita Charitas patriæ, quia replet totam potentialitatem mentis rationalis (inquantum omnis actualis motus eius fertur in Deum) inamissibiliter possidetur:

tur: E contrà verò Charitas vix non ſic replet potentialitatem ſui ſubiecti; quia non ſemper actu fertur in Deum; Vnde quando non fertur actu in Deum, poteſt aliquid occurrere, per quod Charitas amittatur. Et quidem non alio modo amittitur, quam per peccatum mortale, quod cum ſit auerſio à Deo & conuerſio ad Creaturam, eſt quoddam obſtaculum impediens influentiam Charitatis à Deo in animam; ſicut lumen ſtatim ceſſaret in aere, ſi quis obſtaculum poneret Soli illuminanti; dictum eſt enim ſuprà, quòd Charitas cauſatur in nobis per infuſionem à Deo; non per acquiſitionem factam viribus naturæ.

§. 3. *De Charitatis Obiecto.*

OBiectum Charitatis, ſiue ea, ad quæ Charitas ſe extendit, ſunt tria nempe Deus, Proximus, & Nos ipſi. Ratio eſt. Quia vt inquit *D. Thomas* 2. 2. *q.* 25. *art.* 12. Amicitia Charitatis fundatur ſuper communicatione beatitudinis. In hac autem communicatione poſſunt conſiderari duo; ſcilicet id, quod cauſat beatitudinem, & id quod participat beatitudinem. Si conſideretur cauſans beatitudinem, Ecce Deus: ſi participans ecce Proximus, & Nos ipſi: neque per multiplicationem obiectorum multiplicatur Charitas; quia eadem ſe extẽdit ad omnia prædicta cum Deus ſit obiectum primarium; reliqua verò ſecundaria, & amantur propter Deum; ſicut eadem viſio eſt de lumine & de colore propter lumen. De his igitur tribus breuiter aliquid videndum eſt.

Quoad Deum. In dilectione Dei attendenda eſt Quãtitas, Modus, & Tempus. Circa Quantitatem debemus amare Deum ſuper omnia, vt nihil plus æſtimemus quàm Deum, nec etiam nos ipſos. Cum igitur aliquis ſic amat aliquã rem vt plus velit ipſam, quàm Deũ, & vellet potius priuari Deo, quàm tali re temporali; huiuſmodi affectus eſt peccatũ mortale;

tale; Deus enim omnibus rebus præferendus est appretiatiuè; id est debemus illum pretio habere, & æstimare super omnia; & hoc est de necessitate salutis: quamuis non sit de necessitate illum diligere super omnia intensiuè id est quòd actus diligendi illum sit intensior & feruentior, quàm actus diligendi quamcunq; aliam rem; aliquando enim feruentius amamus res sensibiles & Creaturas. Sanctissimùm tamen esset Deum etiam summa intentione diligere cum omni amore sit dignissimus.

Circa Modum. Debemus amare Deum propter seipsum; quia bonus est, & amore dignus, non autem præcipuè propter aliquod creatum, nec propter beatitudinem; nec propter aliud bonum, quod ab ipso speramus. Est enim Charitas amicitia honesta, qua amicus amatur propter se; cum enim propter aliud amatur nō est vera amicitia; Vnde Arist. 8. & hic ait. *Senes & iuuenes non habere perfectas amicitias; senes enim amant ob suam vtilitatem; Iuuenes ob suam delectationem, quibus cessantibus, cessat amicitia.* At vera amicitia est propter se; tali enim amicitia est Deus amandus. Cum igitur quis Deum amat præcipuè propter aliud, ita vt finem in alio ponat, nec amaret Deum nisi talem rem speraret à Deo; tunc talis amor peccatum est mortale contrà Modum Charitatis. Dixi *præcipuè*. Quia Deus potest amari etiam propter retributiones; sed minus principaliter; sic enim dicit Dauid Psal. 118. *Inclinaui Cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem.*

Circa tempus. Dantur etiam quædam tempora diligendi Deum necessariò; sed de his infrà cum de præcepto Charitatis.

Quoad proximum. Charitas non solùm erga Deum est; sed etiam propter ipsum Deum se extendit ad Proximum; ita vt ratio & motiuum amandi Proximum sit ipse Deus. Omnis autem ille dicitur Proximus noster, qui nobiscum potest esse par-

particeps beatitudinis, qualis eſt omnis homo in hac vita degens, ſiue fidelis ſiue infidelis ſit: ſiue iuſtus ſiue peccator: ſiue amicus ſiue inimicus: omnes enim hi diuina gratia ſunt ordinati ad beatitudinem, niſi eã ſua culpa amiſerint. Omnes igitur hi diligendi ſunt ex Charitate; & quidem quantum ad quatuor ſcilicet Primò. Quantum ad finem vltimum. Secundò. Quantum ad bonum ſpirituale gratiæ, & Fidei. Tertiò. Quantum ad vitam temporalem. Quartò. Quantum ad officia communia.

Primò igitur debemus diligere Proximum quantum ad finem vltimum; quia debemus velle omnibus beatitudinem æternam ita vt nullum excludamus ab hac voluntate; ſi quis autem vellet alicui beatitudinis priuationem; talis voluntas eſſet peccatum mortale contrà Charitatis præceptum. Hoc igitur eſt diligere proximum ſicut ſe; non quidem quantum ſe (quia prius tenemur nos diligere) ſed modo eodem id eſt vt eumdem finem, quem nobis volumus, alijs velimus.

Secundò. Quantum ad bonum ſpirituale gratiæ, vt omnibus velimus & curemus ſalutem ipſorum ſpiritualem. Quod tribus in caſibus habet locum.

Caſus primus eſt. Quando proximus noſter eſt in neceſſitate ſpirituali extrema conſtitutus, vel probabiliter vergit in talem neceſſitatem extremam Fidei aut Gratiæ: Tunc quilibet tenetur ei ſuccurrere etiam cum diſpẽdio vitæ propriæ temporalis (ſi ſibi probabile eſt illi profuturum) ad hoc facit illud Ioan. 3. *Et nos debemus pro fratribus animam ponere.* id eſt ſicut Chriſtus vitam pro nobis poſuit, ita & nos debemus illam ponere pro ſalute proximi, ſaltem dum extrema laborat neceſſitate. Propterea ſi infans morti proximus indigeat baptiſmo, illiq; baptiſmum conferre non poſſimus abſq; mortis noſtræ periculo, tenemur baptiſmum cum mortis periculo conferre. Item ſi quis in articulo mortis exiſtens habeat conſcientiam peccati mortalis, nec valeat actum

contritionis elicere, tenemur cum periculo vitæ abſolutionem ſacramentalem conferre ſi petat; modò adſit ſpes conuerſionis, & modò id abſq; noſtræ periculo animæ facere poſſimus: Charitas enim ordinata eſt. Præterea ſi Hæreticus populum hæreſibus peruertat, tenemur cum vitæ periculo huic incommodo occurrere; ſi non adſit alius qui hoc faciat; alio verò hoc faciente non tenemur quia proximus non extremè indiget noſtro auxilio. Itaq; vt quis cenſeatur in extrema neceſſitate ſpirituali exiſtere, ad quam ſubleuãdam cum vitæ periculo teneamur, duo moraliter conſtare debent; Primum eſt, vt proximus in æternum damnandus ſit niſi ei auxilium præbeatur. Secundum vt non habeat à quo ſubleuetur.

Caſus ſecundus eſt, De neceſſitate ſpirituali non extrema. In tali caſu ſi quis abſq; detrimento Vitæ, Honoris, aut Rei, aut cum paruo detrimento poteſt alium iuuare, tenetur ſub mortali. Si verò abſq; notabili prædictorum detrimento non poteſt, non tenetur. Hæc ſunt intelligenda de neceſſitate non extrema particularium perſonarnm, nam ſi loquamur de neceſſitate cõmunitatis dicendum eſt illi ſubueniendum eſſe cum periculo vitæ non ſolum quãdo laborat extrema; ſed etiam quando in graui neceſſitate non extrema exiſtit. Ratio eſt. Quia bonum ſpirituale communitatis præponderat bono priuato, conſequenter illi ſubueniendum eſt cum periculo vitæ; modò neceſſitas ſit grauis ita vt illa communitas non poſſit ſibi aliunde prouidere abſq; magna difficultate: hac de cauſa Concionator, & Paſtor tenetur cum periculo vitæ reprehendere, & corrigere peccata publica, quoties communitas ruinæ periculum ſubit, vt contingit quando peccata ex ſua natura inficiunt alios.

Caſus tertius eſt. De ijs quibus ex officio incumbit ſaluti ſpirituali aliorum prouidere (quales ſunt Curati, Epiſcopi & Paſtores) Hi enim tenentur cum periculo vitæ etiam

extrà

extrà necessitatem extremam succurrere; & non solùm hoc, sed etiam inquirere eos, qui in suo grege similibus necessitatibus laborant; alij enim, quibus ex officio non incumbit, non tenentur inquirere, sed oblatis necessitatibus succurrere. Vnde Curatus tempore pestis non potest fugere, & relinquere oues absque Sacramentis, quamuis sciat se peste inficiendum: Et Episcopus tempore etiam hæresis nō potest fugere & relinquere oues decipi, sed tenetur ponere animam pro ouibus; nisi in vtroq; casu alia ratione sufficienter prouideretur aliorum ministerio &c.

Tertiò. Quantum ad vitam temporalem, vt non solùm velimus vitam; sed etiam curemus. Quod ita explicandum est. 1. Si quis est constitutus in extrema necessitate vitæ temporalis, & alius potest cum dispendio rei temporalis etiam graui succurrere, tenetur sub mortali succurrere. Ver. gra. Si quis inter infideles esset occidendus, quia non reddit centū aureos: si quis adsit, qui eos possit dare, tenetur gratis dare, vel mutuare, vt ipsum liberet à morte temporali. 2. Extrà necessitatem extremā, si quis potest sine notabili detrimēto succurrere proximorum necessitatibus, tenetur: (& in hoc casu intrat præceptum de Eleemosina) Cum notabili verò detrimento non tenetur, puta non debet statum suum mutare, nec conuenientem familiam amittere. 3. Vitam alterius temporalem non tenetur saluare cum dispendio propriæ vitæ. Si tamen velit, potest; & est actus bonus, & meritorius, verbi gratia. Sunt duo in mari; vnus est absq; tabu- vnde necesse est submergi; alter habet: potest hic dare alteri sed non tenetur. Item in extrema cibi necessitate duorum, vno habente cibum, potest hic alteri dare. Rursus periculo imminente vni duorum, potest vnus illud subire, vt alter saluetur, Aduertendum tamen est in hoc casu, quod cum talis persona est multæ vtilitatis erga Remp. vel erga familiam, alter verò non est talis; non licet illi

vtilem vitam commutare pro homine inutili, nisi fortè talis inutilis versetur in periculo æternæ damnationis: liceret enim in tali casu vitam commutare propriam pro illius vita ne in æternum periret, si tamen esset probabilitas emendationis, & resipiscentia talis Hominis.

Quartò. Quantum ad officia communia quæ alijs hominibus exhibentur. Dicitur hoc maximè propter inimicos, quibus non sunt subtrahēda beneficia communia. Voco autem communia ea, quæ multis exhibentur propter causam aliquam eis communem, puta quia pauperes; quia homines; quia consanguinei &c. Cum igitur inimicus in eadem ratione conueniat, non sunt ei subtrahenda communia beneficia. Quapropter si quis fundens orationes generales ad Deum pro omnibus, inimicum subtraheret, peccaret. Item si quis Eleemosinas largitur alicui communitati, non potest absq; peccato subtrahere eam inimico. Item tenetur salutare si antea salutabat, aut salutantem resalutare. Ista & similia communia beneficia non sunt subtrahēda, liceret tamen in vno casu subtrahere (dummodo scandalum non esset) puta si ex tali subtractione speraretur probabiliter correctio, & resipiscentia spiritualis. Particularia autem beneficia, qualia sunt, quæ amicis solent exhiberi (vt familiares collocutiones & similia) non tenetur homo inimicis exhibere quamuis antea exhibuisset, dūmodo tamen non sequatur scādalū.

Rursus tenetur Homo officia illa etiam inimicis exhibere, quæ sunt secundùm quamdam iustitiam. Pater enim filijs debet sua officia exhibere, & filij reuerentiam Patribus, quamuis intercedat inimicitia. Similiter serui Dominis, & Domini seruis: maiores inferioribus; & è contrà. Aliquando tamen licet ex parte Superiorum, Patrum, Dominorum negare sua officia ad tempus inferioribus in pœnam peccati eorum; potest Pater filium inobedientem; vel qui commisit aliquid in ipsum, domo expellere ad tempus in pœnam; dum-

mo-

modo malum ſpirituale non ſequatur, vel alia grauia mala, aut ſcandalum.

Inſuper omnes tenentur inimicis iniuriã remittere, quantum ad odium, & voluntatem mali: ſed non tenentur remittere debitam ſatisfactionem: immò aliquãdo melius eſt non remittere. Vnde Vidua pauper filios habens, quos ſuſtentare non valet, non tenetur viro homicidæ remittere ne iuſtum alimentum ſubminiſtret cum poſſit. Similiter cum homicida homo iniquus eſt, non tenetur aliquis deſiſtere à cauſa, immò ipſam proſequi debet donec ſuſpendatur; depoſito tamen odio ipſius perſonæ, & ſolùm ob iuſtitiæ zelum.

Quoad Nos ipſos. Debemus nos ex Charitate diligere; Vnde Matth. 5. dicitur. *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Sed proximum ex Charitate diligimus; Ergo & nos ipſos. Sciendum enim eſt quòd cum Charitas ſit quædam amicitia, duobus modis poſſumus de Charitate loqui. Vno modo ſub cõmuni ratione amicitiæ; & ſecundùm hoc Charitas non eſt ad ſe ipſum ſicut Dei Amicitia; ſed aliquid maius amicitia; quia amicitia vnionem quamdam importat; amor enim eſt virtus vnitiua; vnicuiq; autem ad ſe ipſum eſt vnitas, quæ eſt potior vnione ad alterum; Vnde ſicut vnitas eſt principium vnionis; ita amor quo quis diligit ſeipſum, eſt forma & radix amicitiæ. Alio modo poſſumus loqui de Charitate ſecundùm propriam rationem ipſius; prout ſcilicet eſt Amicitia Hominis ad Deum principaliter; & ex conſequenti ad ea quæ ſunt Dei: inter quæ eſt etiam ipſe Homo, qui Charitatem habet: Et ſic inter cætera quæ ex Charitate diligit quaſi ad Deum pertinentia etiam ſe ipſum ex Charitate diligit; primariò tamen animã quæ eſt capax per ſe beatitudinis, ſecundariò Corpus, ad quod per quãdã redundantiam beatitudo deriuatur. Hinc infertur quod peccatores non diligunt ex Charitate ſe ipſos quia non diligunt Deum ex Charitate. Vnde Pſal. 10. dicitur. *Qui diligit iniquitatem odit Animam ſuam.*

Quæres An Creaturæ irrationales, An peccatores, An Dæmones, An ipſa Charitas ſint ex Charitate diligenda?

Reſpondeo Cum Charitas ſit amicitia quædam; & per amicitiam dupliciter aliquid ametur. Vno modo ſicut ipſe amicus, ad quem amicitiam habemus, & cui bonum volumus. Alio modo ſicut bonum quod amico volumus. Hinc eſt quod Creaturæ irrationales, & omnia bona temporalia, & multò magis ipſa Charitas, & omnia dona ſpiritualia poſſumus etiam ex Charitate diligere non ſicut id, cui bonum volumus; ſed ſicut bona quæ alijs volumus. Eodem modo poſſumus diligere Dæmones ac damnatos non ſicut id, cui bonum volumus; non enim poſſumus illis velle bonum vitæ æternæ in quo fundatur amicitia Charitatis: ſed ſicut bona quæ volumus (conſiderando tamen naturam non culpam illorum) inquantum ſcilicet volumus illos ſpiritus in ſuis naturalibus conſeruari ad gloriam Dei. Ad peccatores vt homines ſunt, non vt peccatores ſunt (id eſt conſideratos ſecundùm naturam non ſecundùm culpam) poſſumus habere Charitatem etiam ſicut id, cui bonum volumus; quia dum ſunt in vita, ſunt capaces beatitudinis; poſſunt enim conuerti, & ſaluari.

§. 4. *De Charitatis ordine.*

REperitur in Charitate ordo; Et Ratio eſt. Quia vt inquit *D. Tho. 2. 2. q. 26. art. 1.* Vbicunq; eſt aliquod principium, ibi debet eſſe aliquis ordo prioris & poſterioris: ſed Charitas tendit in Deum ſicut in principium beatitudinis, in cuius communicatione amicitia Charitatis fundatur: Ergo oportet vt in his quæ ex Charitate diliguntur attẽdatur aliquis ordo ſecundùm relationem ad primum principium huius dilectionis, quod eſt Deus. Hinc Cant. 2. *Introduxit me in cellam vinariam ordinauit in me Charitatem.* Pro declaratione huiús ordinis. Sup-

Suppono Primò. Nos hic non loqui de dilectione intensiua, qua vnus diligitur actu magis intenso & vehementiori; sed de dilectione appretiatiua, qua vnus alteri præfertur.

Suppono Secundò. Sermonem esse hic (cæteris paribus) comparando simpliciter vnam personam cum alia absq; alia consideratione, respectu, & motiuo. His suppositis.

Dico in hoc Charitatis ordine. Primò loco diligendus est Deus. Quia amicitia Charitatis fundatur super communicatione beatitudinis; quæ consistit in Deo essentialiter sicut in primo principio, à quo deriuatur in omnes qui sunt beatitudinis capaces. Secundò. Pater, illiq; potius subueniendum est in necessitate corporali quàm alijs; quia Pater habet rationem principij erga nos; & per consequens maioris boni, & Deo similioris. Tertiò. Mater ob consimilem ratione m[illegible]. Quartò. Vxor. Quia reputatur vna Caro cum Marito. Quintò. Filij; nam ipsi sunt cæteris coniunctores, & de substantia Patris processerunt. (Quamuis huius ordinis peruersio non videatur sufficiens ad peccatum mortale propter exiguam inter has personas distantiam.) Sextò. Cæteri Consanguinei, ita vt coniunctores præferantur cæteris; nam recta ratio dictat diligendos esse coniunctiores. Septimò. Cæteri non Consanguinei; & inter istos debent meliores præferri alijs, cum probitas hominum alliciat mentes in sui amorem.

Idem ordo seruandus est in ijs qui sunt nobis spiritualiter coniuncti; ita vt Pater spiritualis præferatur Filio spirituali; & Filius spiritualis præferendus est cæteris, qui non sunt nobis spiritualiter coniuncti.

Prædictus ordo Charitatis seruandus est inter priuatas personas. Verùm si quæratur vtrum persona publica magis diligi debeat quàm quælibet priuata? Respondendum affirmatiuè; Quia perinde est ac diligere Communitatẽ cum ipsius Communitatis vices sustineat: & sicut tenemur personam, ex qua magnum Communitati bonum sequitur, nobis

ip-

ipſis præferre; ita etiam alijs priuatis præferre tenemur. Ita *Bonacina cum alijs.*

§. 5. *De Charitatis Præcepto.*

DVplex eſt præceptum Charitatis; tàm circà Deũ; quàm circà Proximum. Vnum dicitur Negatiuum, quo tenemur non proſequi odio Deum aut Proximum. Alterum eſt Affirmatiuum diligendi Deum aut Proximum.

Quoad Deum. Præceptum Negatiuum Charitatis erga Deum ſemper obligat; ita vt ſemper teneamur non habere odio Deum. In cuius declarationem aduertendum, Deum dupliciter conſiderari poſſe. Vno modo ſecundùm ſe quatenus eſt quoddam bonum infinitũ; & ſic à nullo poteſt odio haberi: quia nulla in eo ineſt mali ſpecies. Altero modo ſecundùm aliquem effectum, quatenus verbi gratia caſtigat, punit, & aliquam pœnam infligit: & hoc modò à peccatoribus odio habetur aliquãdo. Cum igitur quis in tantum malum prorumpit, vt Deum conſiderans punientem, ipſi malum velit; talis habet odio Deum; & hoc peccatum eſt grauiſſimum omnium, vtpote contrarium ſummæ omnium virtuti, quæ Charitas eſt. Ad hoc præceptum Negatiuum poſſunt reduci alia duo genera peccatorum contra Charitatem nempe contrà Modum, & contrà Quantitatem Charitatis de quibus ſupra §. 3. *verſ. Quoad Deum.* Itaq; ſemper tenemur non indebito modò amare Deum: Et ſemper etiam tenemur non infra res alias amare Deum; vt ibi diximus.

Præceptum Affirmatiuum Charitatis erga Deum non omni tempore obligat; nam oporteret perpetuo actu abſq; intermiſſione diligere; quod in hac vita compleri non poteſt: non igitur obligat niſi certis temporibus. Videlicet.

Primò. Quãdo puer ſtatim peruenit ad annos diſcretionis vt iam poſſit de actibus ſuis deliberare, ipſosq; ordinare; tũc te-

tenetur actu se; & omnia sua dirigere in finem vltimum qui est Deus: Christiani quidem in Deum vt in finem supernaturalem: alij in Deum saltem vt in finem naturalem. Quæ ordinatio non fit nisi per actum Charitatis, quo Deus omnibus anteponitur.

Secundò. Quando quis tenetur habere actum Contritionis, in quo virtualiter includitur actus Charitatis: quod maximè euenit cum imminet mortis periculũ: Et cum quis administraturus est aliquod Sacramentũ; vel aliquid aliud facturus, quod non debet fieri absq; gratia, vt cantare Euangelium, aut Epistolam solemniter.

Tertiò. Quando insurgunt tentationes odij Dei; & est periculum illis consentiendi. Quia quilibet tenetur ex præcepto Charitatis ea media sumere, quæ conducunt ad non habendum odio Deum: Hoc autem medium est actus amoris, qui est contrarius actui odij Dei.

Quartò. Ab aliquibus additur. Quando quis recipit aliquod notabile beneficium à Deo; vel liberatur ab aliquo grauissimo malo; vel incepturus est aliquod opus arduum quod multum indiget gratia; tunc, inquiunt, tenetur (si in conscientia peccati est) conteri, & conuerti ad Deum per dilectionem. Hic quartus casus non admittitur communiter, quia non habet solidum fundamentum, & ex altera parte potest magnos causare scrupulos. Prædicta quatuor tempora communius recẽsentur à Doctoribus. Cæterum saluberrimum consilium est frequenter actus dilectionis erga Deum ipsum elicere, & maiori intensione, qua fieri possint. Pro Coronide huius materiæ de Charitate erga Deum notandum dupliciter contingere Deum diligere: Vno modo, quantùm ad actum amoris, puta cum ipsum amamus. Altero modo quantùm ad executionem operum, id est, cum quæ ipse vult facimus: mandata enim Dei seruare, & implere; est ipsum diligere. Si primo modo sumatur dilectio, & Chari-

tas ſic ſolùm modis ſupra dictis peccatur contra Charitatem, ſcilicet vel quando Deus odio habetur: vel quando amatur modo indebito: vel quãdo amatur minus quàm alia: vel quando omittitur actus amoris tẽpore, quo præceptum illius habet locum, vt ſupra dictum eſt. Si verò ſecundo modo ſumatur Charitas; tunc omnia peccata ſunt contrà Charitatem; ſunt enim contrà obſeruationem præceptorum, quæ dicitur Charitas quantùm ad executionem, & effectum.

Quoad Proximum. Præceptum Negatiuum Charitatis erga ipſum ſemper etiam obligat ita vt nullo tempore ſit licitum odio habere perſonam Proximi, eiq; malum velle propter ipſum. Sunt tamen aliqui caſus in quibus licitum eſt malum temporale velle proximo propter aliquem bonum finẽ, 1. Ob Spiritualem emendationem ipſius: vt ſi quis eſſet incorrigibilis, liceret deſiderare illi infirmitatem, humiliationem, aut aliud male temporale, per quod probabiliter ſperari poſſet illius correctio. 2. Ob bonum Spirituale Communitatis & aliorum. Licet enim deſiderare mortem temporalem hæreticis alios peruertentibus vt de medio tollantur, ne alios perdant ſecum. 3. Ob iuſtitiam, licet enim peruerſis hominibus comprehenſis à Iudice deſiderare ſuſpenſionem ob zelum iuſtitiæ, & vt à Iudice comprehendantur, & caſtigentur vt impleatur iuſtitia. 4. Licet odio habere aliquos ratione iniquitatis iuxtà illud Pſal. *Iniquos odio habui.* Sed, vt dixi, in omnibus præfatis, & ſimilibus caſibus non eſt habere odio perſonam Proximi: ſed eſt vel amare directè ipſum volendo illi bonum animæ: vel amare bonum publicum, quod debet præferri bono priuato.

Præceptum Affirmatiuum Charitatis erga Proximum non obligat ſemper; ſed certis quibuſdam temporibus & Caſibus; de quibus ſuprà §. 3. *verſ. Quoad Proximum vſq; ad verſ. Quoad nos ipſos.*

§. 6.

Digitized by Google

§. 6. De Charitatis Excellentia.

EXcellentia Charitatis colligi aliqua ratione poteſt triplici ex capite; nempe Primò. Quia primatum tenet inter dona Dei. Secundò. Quia excellit inter omnes virtutes Tertiò. Quia eſt forma virtutum; & fons meritorum.

Primò igitur Charitas primatum tenet inter Dona Dei. Declaratur Primò ex Apoſtolo, qui cum varia enumeraſſet dona à Spiritu Sancto profluentia, donum Sapientiæ, & Scientiæ, donum Prophetiæ, donum miraculorum, donum linguarum, & diſcretionis ſpirituū, tandem ſubijcit 1. Cor. 12. *Æmulamini chariſmata meliora.* hoc eſt, deſiderate, ſectamini, petite à Deo, quæ ex illis potiora ſunt dona, & vtiliora, & ne in illis quieſcatis. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.* ipſam ſcilicet Charitatem, qua directiùs & certiùs itur ad Deum, ad Vitam, ad Gloriam. *Hæc eſt via ambulate in ea.* Via Dei ad Hominem eſt, & Via Hominis ad Deum; per Charitatem enim Anima aſcendit & pertingit vſque ad Deum; per Charitatē Deus deſcendit vſq; ad Cor noſtrum. Viæ ad Deum multæ ſunt in præceptis multis, de quibus rectè dicitur. *Viæ eius pulchræ, & omnes ſemitæ eius pacifica.* Sed omnes viæ illæ ad vnam colliguntur, & ad vnam tendunt Charitatē. *Finis enim præcepti eſt Charitas,* vt dicitur 1. Tim. 1. Per hanc viam ambularunt Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines & omnes Sancti.

Declaratur ſecundò ex Apoſtolo Ioanne. 4. *Deus Charitas eſt: & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Vbi aduerte duplicem Charitatem diſtingui à Theologis (vt alibi dixi ſuprà) Vna dicitur Increata, Alia Creata. Increata eſt ipſe Deus, qui eſt fons, origo, centrum, præmium omnis amoris, & ipſemet amor infinitus & æternus; Vnde dicit Ioannes. *Deus Charitas eſt.* Creata, eſt donum quoddam infuſum,

ſum, quo Deum amamus ſuper omnia propter ſe, & proximum propter Deum, de quo dicit D. Paulus Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis.* Eſtq; hoc donum participatio quædam illius increatæ Charitas ſiue Amoris infiniti qui Deus eſt; ideò de illo ſubiungit Ioannes. *Qui manet in Charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Deus ergo Charitas eſt ſubſtantialis, ad quam tendimus per illud donum accidentale nobis infuſum hoc eſt per Charitatem noſtram. Non poterat ſanè D. Ioannes aptioribus verbis Charitatis excellentiam explicare. Vnde illa ponderans D. Bernardus dicit. *Deus Charitas eſt: Quid ergo Charitate melius? Et qui manet in Charitate in Deo manet: Quid ergo Charitate ſecurius? Et Deus in eo: Quid Charitate iucundius?* Quidam hoc donum Charitatis exiſtimãt non diſtingui realiter à Gratia, idemque vocari Gratiam quatenus nos Deo gratos, dilectos, & acceptos ad gloriã facit: Et vocari Charitatem, quatenus per illud reddimur Deum ipſum diligentes, & quatenus eſt principium producens actum amoris. Et certè non improbabiliter hoc aſſeritur. Etenim effectus eoſdem & Gratiæ & Charitati frequenter adſcribunt tùm Scriptura, tùm Sancti Patres. Vtramq; aſſerunt Deo nos coniungere, Filios Dei facere, Hæredes Regni, Cohæredes Chriſti. Vtramq; vocant veſtem textam à Spiritu Sancto, veſtem nuptialem, ſine qua excludimur à Dei conuiuio, & beatitudinis participatione. Vnde non poteſt aliquis vlla earum deſtitutus ſaluari: Vtraq; principium & radix omnis meriti eſt, nec poſſunt ab inuicem ſeparari: Neutra in peccatoribus eſſe poteſt.

Declaratur Tertiò Ex verbis illis Cant. 8. *Si dederit Homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* q. d. Adeò ſpecioſa eſt & pretioſa Charitatis gemma, vt omnia reſpectu illius quaſi nihil computanda ſint; & omnia quæ deſiderari poſſunt, ſi non valeant comparari.

Qua-

Quapropter Homo pro illa acquirenda vel conſeruanda, paratus eſſe debet omnem ſubſtãtiam domus ſuæ id eſt omnes facultates ſuas, ipſam vitam, & proprium Corpus (quod velut domus Animæ eſt) & quæ quomodolibet ad eum ſpectant exponere, quia Charitas, quæ Deum affert ſecum, in infinitum omnia illa ſuperat, & de illa verum eſt illud Sap. 7. *Infinitus theſaurus eſt Hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei propter diſciplinæ dona commendati.* Et quæcunque ibi pronunciat Spiritus S. de excellentia Sapientiæ, verificantur de gratia & Charitate; quia hæc eſt vera Sapientia, Amor, & Timor Dei. Homo ergo ſapiens conſiderans pretium & valorem amoris Dei, omnem ſuam erogat ſubſtantiam tàm Naturæ, quàm Fortunæ non ſolùm temporalia relinquendo, & vilipendendo propter amorem Dei; ſed etiam ſe ipſum penitus abnegãdo dicens cũ Pſalte Pſal. 72. *Quid mihi eſt in Cælo & à te quid volui ſuper terrã? Defecit Caro mea, & Cor meũ, Deus Cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Propterea dicebat Hugo de S. Victore tom. 2. lib. de laud. Charitatis. *O Charitas ſi ſcirem quanti valeres; pro te preciũ appenderem: ſed fortè excedis angustias meas, nec inuenire potero pretium tuum penes me, dabo tamen quod habeo, & totum quod habeo, totam domus meæ ſubſtantiam pro te commutabo. Et cum totũ dedero quaſi nihil id reputabo. Omnes delectationes carnis meæ, omnes iucunditates Cordis mei pro te lubenter impendam, vt te ſolam poſſidere valeam; tu ſola mihi omnibus carior, tu ſola vtilior, tu ſola ſuauior, tu ſola iucundior, amplius delectans, abundantiùs ſanans, tutiùs ſaluans, feliciùs conſeruans.* Certè ſi mille mundos, mille Corpora, mille Vitas pro Charitate offerre deberemus, nihil hæc eſſent comparatione illius.

Secundò. Charitas excellit inter omnes virtutes tàm Morales, quàm Theologicas. Quod oſtenditur à *D. Thoma 2. 2. q. 23. art. 6.* Quia cum bonum in humanis actibus attendatur ſecundùm quod ipſi actus regulantur debita regula, neceſſe

eſt

eſt vt virtus Humana; quæ eſt principium bonorum actuum, conſiſtat in attingendo humanorum actuum regulam. Eſt autem duplex regula humanorum actuum ſcilicet Ratio humana, & Deus. Sed Deus eſt prima Regula, à qua etiam ipſa ratio humana regulanda eſt. Et ideo virtutes Theologicæ quæ conſiſtunt in attingendo illam primã Regulam; eò quòd illorum obiectum eſt Deus; Excellentiores ſunt virtutibus moralibus vel intellectualibus, quæ conſiſtunt in attingendo ſecundam regulam id eſt rationem humanam. Inter ipſas autem Theologicas illa præſtantior, quæ magis Deum attingit: Semper autem id quod eſt per ſe, maius eſt eo quod eſt per aliud. Porrò Fides & Spes, quæ ſunt virtutes quidem Theologicæ, attingunt ſanè Deum; ſed non purè, per ſe, & tanquã ſiſtendo in ipſo; ſed ſecundùm quod ex ipſo prouenit nobis vel cognitio veri quo modo Deũ attingit Fides: vel conſecutio ſummi boni, quo modo Deum attingit Spes: At Charitas attingit ipſum Deum purè, & vt in ipſo ſiſtat non vt ex eo aliquid nobis proueniat. Et hac de cauſa Charitas eſt excellentior Fide & Spe; & per conſequens omnibus alijs virtutibus tùm moralibus, tùm intellectualibus, tùm Theologicis.

Charitas non ſolùm eſt excellentiſſima omniũ Virtutum; ſed etiam eſt *Regina*, *Anima & Vita*; nec non *Forma illarum omnium*; inſuper *Fons & origo omnium meritorum*. Singulas particulas explicemus.

Regina eſt. Quia imperat actus aliarum Virtutũ; licet enim proprius actus eius ſit diligere Deum & Proximum, tamen facit etiam elici actus alios ab alijs virtutibus ver. gra. actus obedientiæ, humilitatis, patientiæ &c. qui eliciuntur à proprijs virtutibus imperante tamen Charitate, & eas ad munus ſuum ignito quodam calcari excitante. Et ratio eſt. Quia Virtus vel Ars, ad quam pertinet finis vltimus in aliquo genere, imperat Virtutibus vel artibus, ad quas pertinent alij fines

fines ſecundarij, & non vltimi. Sic in genere ædificij Architectus imperat ædificatori; hic cæmentario, lapicidæ &c. In genere Politiæ Imperatoria imperat Militari; hæc Equeſtri; hæc Frenifactoriæ &c. Cum autē Charitas habeat pro obiecto vltimum finem omnium finium ſimpliciter & abſolutè Humanæ vitæ ſcilicet Deum vt ſummum bonum, in cuius fruitione ſatiatur homo; hinc eſt quod ſe extendat per modum Imperij ad actus totius Humanæ vitæ; & per cōſequens ad actus omnium aliarum virtutum; ideò Regina virtutum.

Anima & Vita Virtutum. Quia ſine Charitate non eſt vera Virtus; ſed apparens; ſed mortua; ſicut Homo ſine Anima non eſt verus Homo ſed apparens ſed mortuus. Et Ratio eſt. Quia virtus ordinatur ad bonum; perficit enim potentias Hominis in ordine ad bonum illarum. Bonum autem principaliter eſt Finis, nam ea quæ ſunt ad finem non dicuntur bona niſi in ordine ad Finem: Sicut ergo duplex finis, Vltimus ſcilicet, & Proximus ſeu non vltimus: ita duplex bonum; Vltimum ſcilicet, & Principale: Aliud non vltimum, & particulare ſeu ſecundariùm. Charitas autem ordinat hominē ad finem vltimum; & bonum vltimum. Aliæ virtutes ad bona particularia, & ad fines proximos. Sicut igitur non verè dicitur finis proximus qui non ſubordinatur nec reſpicit vltimum finem: & non dicitur bonum particulare, & ſecundarium quod non ordinatur ad bonum vniuerſale & vltimum: ita non dicitur vera virtus illa, quæ non ſubordinatur Charitati, & quæ ſtat ſine Charitate. Vnde fides mortua dicitur, quæ per dilectionem non operatur. Et cum fides iuſtificare dicitur aut corda purificare, aut ſaluare; hoc intelligendum eſt de Fide, quæ Charitate viuificatur. Sicut enim Corpus ſine Anima, eſt quidem Corpus, ſed vitam non habet, ita Fides, aliæq; virtutes vitam non habent, nec Deo placent niſi Charitate animentur. Hinc dicit D. Bernardus. *Caſtitas ſine Charitate lampas eſt ſine oleo. Tolle oleum lam-*

lampas non lucet ; tolle Charitatem Castitas non placet. Et D. Gregorius. Hom. 27. in Euan. *Vt multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multæ virtutes ex una Charitate generantur; nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis si non manet in radice Charitatis.*

Forma virtutum est. Quia vt inquit D. Thom. art. 8. in moralibus forma actus attẽditur principaliter ex parte finis. Cuius ratio est. Quia principium moralium actuum est voluntas, cuius obiectum & quasi forma est finis: semper autem forma actus consequitur formam agentis; Vnde oportet quòd in moralibus id quod dat actui ordinem ad finem, det etiam illi formam. Manifestum est autem quod per Charitatem ordinãtur actus omnium virtutum ad vltimum finem; vt paulò ante diximus; Ergo ipsa dat formam actibus omnium aliarum virtutum; Et pro tanto dicitur esse forma virtutum; nam & ipse virtutes dicuntur in ordine ad actus formatos. Charitas igitur est perfectio & forma virtutum: Et sicut materia ante susceptionem formæ, est imperfecta, & sine decore: habita verò forma venit ad perfectionem suam, decorem habens, virtutem & actionem. Sic & Anima Deo nondum vnita per verum amorem, licet habeat alias virtutes, nudæ tamen sunt, mortuæ sunt, informes sunt sine decore, sine virtute exercendi actus viuificos, ac meritorios vitæ æternæ.

Fons, & origo est omnium meritorum. Tùm quia, vt diximus, viuificat cæteras virtutes, & actus illorum meritorios facit: Tùm quia non solùm operibus virtutum sed etiam operibus indifferentibus hanc vim merendi tribuit: ita vt quæ naturalia sunt, edere, bibere, dormire, meritoria sint à Charitate ordinata, & in Deum relata; vnde monet Apostolus 1. Cor. 16. *Omnia vestra in Charitate fiant.* Tùm deniq; quia etiam ipsa mala pœnæ, quę homines refugiunt, meritoria reddit: persecutiones, tribulationes, iniurias, contumelias, Charitas red-

reddit meritorias; & sic eleuat in sublime; vt æternum gloriæ pondus operentur in nobis.

Adijcio concludendo Charitatem esse *fructum nobilissimum*, quem Spiritus Sanctus suauiter producit in Cordibus nostris: & sicut inter elementa eminet ignis, inter metalla aurum, inter gemmas adamas, inter Cælos empyreum, inter planetas Sol, inter Angelos Seraphim, sic inter cætera dona, & virtutes, & omnia bona præcellit Charitas. [Charitas *inquit D. Prosper.* est voluntas recta, ab omnibus terrenis, & præsentibus auersa, iuncta Deo inseparabiliter, igne quodam Spiritus Sancti incensa, omnis inquinamenti extranea, corrumpi nescia, affectionum potentissima, diuinæ contemplationis auida, in omnibus semper inuicta. Est summa actionum bonarum, salus morum, finis cælestium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, causa bonorum meritorum, præmium perfectorum. In peccatis suis mortuos suscitat, languentes sanat, perditos instruit, spem desperatis inspirat, pacificas mentes inhabitat: Virtus est sine qua nullus Deo placuit; cum qua nullus peccare potuit, fructuosa in pœnitentibus, læta in perseuerantibus, victoriosa in martyribus; operosa in omnibus fidelibus. *Hæc Diuus Prosper, lib. 3. de vit. contempl. cap. 13.*]

Sed quibus laudibus poterimus nos aut alter quicunque Charitatem extollere, quam Spiritus Sancti tuba Paulus Apostolus solemni laudauit encomio 1. *ad Cor.* 13. *dicens.* [Si linguis hominum loquar, & Angelorum, Charitatem autem non habeam; factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam; & si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & si tradidero Corpus meum ita vt ardeam, Charitatem autem non habuero nihil mihi prodest. Charitas pa-

tiens eſt, benigna eſt, Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, cõgaudet autẽ veritati, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Charitas nũquam excidit: ſiue prophetiæ euacuabuntur: ſiue linguæ ceſſabunt: ſiue ſcientia deſtruetur. *Et paulò poſt infra*. Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas: hæc tria. Maior autem horum eſt Charitas.

§. 6. *De Charitatis gradibus.*

CHaritatis erga Deum primus gradus eſt propoſitum amãdi, cui coniunctus eſt ipſemet Amor. Primus actus huius gradus eſt amare Deum quidem; ſed propter beneficia acceptà, vel ſperata. Ad hunc actum quomodo perueniat Homo docuit *S. Bernardus de diligendo Deum his verbis.* [Quia carnales ſumus, & de carnis concupiſcentia naſcimur, neceſſe eſt vt cupiditas noſtra vel amor noſter à carne incipiat. Quæ ſi recto ordine dirigitur, quibuſdam ſuis gradibus duce gratia proficiens, ſpiritu tandem conſumatur, quia non prius quod ſpiritale, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale. Et prius neceſſe eſt portemus imaginem terreſtris, deinde Cæleſtis. In primis ergo diligit ſe ipſum Homo propter ſe; caro quippe eſt, & nihil ſapere valet præter ſe, cumq; ſe videt per ſe non poſſe ſubſiſtere, Deum quaſi neceſſarium incipit per fidem inquirere atq; diligere: diligit itaque in ſecundo gradu Deum, ſed propter ſe non propter Deum.] *Hæc Bernardus.* Secundus actus eſt amare Deum propter ſe ipſum; & hic actus eſt longè perfectior ſuperiore. *Diuus Bernardus loco citato* tradit modum, quo ad hunc actum peruenitur. [Cum Deum *inquit* cæperit Homo occaſione propriæ neceſſitatis colere, & frequentare cogitando, legendo, orando, obediendo; quadam huiuſcemodi

fa-

familiaritate, paulatim, ſenſimq; innoteſcit, conſequẽter, & dulceſcit, & ſic guſtato quàm ſuauis eſt Dominus, tranſit ad illum gradum vt diligat Deum non iam propter ſe, ſed propter ipſum Deum. Sanè in hoc gradu diu ſtatur. *Addit S. Auguſtinus Hom. 38.* [Sed dicturus es mihi nõ Deum video, quomodo ſum amaturus quem non video. Modo oſtendo. Ecce amas amicum gratis ſed fortè Homo ſenex eſt amicus iſte tuus. Quid amas in ſene, incuruum Corpus, album caput, rugas in fronte, contractam maxillam? Corpus, quod vides, non amas, quia deforme eſt; Vnde vides quod amas? Reſponſurus es te amare quia Homo eſt fidelis: Ergo Fidem amas. Quibus oculis videtur Fides, ipſis oculis videtur Deus.] Ex quibus intelligimus cognitionem Dei viam ſternere ad amorem Dei. Cognoſce autem Deum cogitando, orando, legendo, obediendo. Tertius actus eſt imperare officia, & actus omnium aliarum virtutum; efficereq; vt exerceantur propter Deum ſolum; Eſt enim Charitas, vt dictum eſt ſuprà, Regina virtutum. Hic actus ſi rectè obeatur, gratiſſimus Deo eſt, & Homini vtiliſſimus, quippe qui totum Hominem Deo dicat, & replet in numeris meritis bonorum operum.

Secundus gradus eſt Fortitudo, quæ ſi magna fuerit, par eſt dignitati Charitatis: *Audiatur S. Auguſtinus & Scriptura Sacra.* [Intellige *inquit*, vim Charitatis, ipſa eſt virtus, quam nemo vincit: huius ignem nulli fluctus ſæculi, nulla flumina tentationum extinguunt. De hac dictum eſt: Valida eſt vt mors dilectio. Quomodo enim mors quando venit, reſiſti ei non poteſt quibuslibet artibus, quibuslibet medicamentis occurras, violẽtiam mortis vitare non potes, quia mortalis natus es; ſic contrà violentiam Charitatis mundus nihil poteſt; à contrario enim ſimilitudo data eſt de morte; quomodo enim mors ad auferendum violentiſſima eſt, ſic Charitas violentiſſima eſt ad ſaluandum. *Ita Aug.* Ad hunc

gradum maximè ſpectat nobiliſſima omnium actionum, quæ propter Deũ obiri poſſunt ab Homine mortali, nempe Martyrium, de quo Dominus dixit. Ioan. 15. *Maiorẽ dilectionẽ nemo habet, quàm vt Animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, & qua proximè Chriſtum imitamus, qui poſtquam de ſua morte, & paſſione locutus eſſet, addidit. *Qui mihi miniſtrat me ſequatur.* Ioan. 12. Et *Qui perdiderit Animã ſuam propter me inueniet eam.* Nec Martyrium ſolum ſed etiã ſpiritualis mors, qua Homo moritur mundo, vt Chriſto viuat in perfectionis ſtatu. Ob id *pergit S. Auguſtinus.* [Per Charitatem multi mortui ſunt ſæculo vt viuerent Deo. Hac Charitate accenſi ſunt Martyres non ſimulati; non vanagloria ventilati; ſed tales quos verè Chriſti Charitas perduceret ad paſſionem.]

Tertius gradus eſt Alacritas: Copulatur enim ab Apoſtolo Charitas Gaudio, & prædicatur ab eodem gaudiens; immò ipſe met de ſe teſtatur. Coloſſ. 1. *Gaudeo in paſſionibus meis* ſine dubio Dei amore toleratis: propter quã etiã *ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilij quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Act.* 5. Et Martyres in tormẽtis lætitia ſumma, & inexplicabili perfuſi, ſe nunquam lautius affirmabant epulatos eſſe. Quod etiam accidit illis, qui genus vitæ humile, & abiectum propter Chriſtum deligentes, poſthabuerunt omnia mundi gaudia, deliciasq; *Omnia vt ſtercora arbitrantes vt Chriſtum lucri facerent.*

Charitatis erga Proximum primus gradus eſt propoſitum firmum diligendi gratis, & propter Deum Proximos omnes. Gratis, inquam, vt ait S. Bernardus. *Licet vera Charitas vacua eſſe non poſsit, non eſt tamen mercenaria.* Et vile eſt Charitati alium finem habere quàm Deum. Hæc autem dilectio qualis ſit indicat *S. Proſper de vita contemplativa lib. 3. cap. 15.* [Secundùm nos, *inquit*, proximos omnes diligimus quando ad mores bonos, & ad æternam vitam conſequendam ſicut nobis, ſaluti eorum conſulimus; quando nos in eorum pecca-

tis

tis cogitamus, & ſicut nobis ſubueniri optamus; ità eis pro viribus ſubuenimus, aut ſi facultas defuerit, voluntatem ſubueniendi tenemus.] Primus actus huius gradus eſt: amando non aliud quærere, quàm proximi bonum propter Deum. Nam *Charitas*, inquit Apoſtolus, 1. Cor. 10. *non quærit quæ ſua ſunt*. Et alibi præcipit. *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius*. Quæ pertinent ad auertendum amorem proprium, qui ſeſe facillimè ingerit in huiuſmodi actiones, & efficit Charitatis amicitiam non gratuitam ſed mercenariam. Secundus actus amare proximi ſpirituale bonum, ad quem actum ſpectant omnia miſericordiæ ſpiritualis opera, de quibus Apoſtolus. Epheſ. 4. *Eſtote inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem ſicut Deus in Chriſto donauit nobis*. Et alibi 1. Theſſ. 5. *Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes*. Tertius actus eſt opitulari proximo in ijs omnibus, quæ ad eius reliqua bona pertinent ſiue Corporis, ſiue externa bona ſint. Et huc referenda ſunt omnia miſericordiæ opera, quæ corporalia nominamus. *Filioli mei* inquit S. Ioannes. 1. 3. *non diligamus verbo neq; lingua; ſed opere & veritate*. Quartus actus eſt ædificatio Spiritualis. *Vnuſquiſq;* inquit S. Paulus. Rom. 15. *proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem*.

Secundus gradus eſt fortiter conſtanterq; proximum diligere, ad quem gradum pertinent illa Apoſtoli verba §. antecedenti recenſita. *Charitas omnia ſuffert*. animo videlicet. *omnia ſuſtinet*, etiam Corpore ſi opus ſit. Et quamuis ad primum etiam gradum ſpectet dilectio inimicorum; maximè propria tamen eſt huius ſecundi gradus, qui facit vt Homo vim ſibi inferat aduerſus tentationes odij & vindictæ, ſiquæ inſurgant nobis in eos, qui nos perſequuntur; aut iniurias nobis, damnaq; afferunt. Hinc eſt quod *Sancto Auguſtino Auctore*, [Charitas oleo comparatur in Euangelio decem Virginum. Eſt enim illa via ſupereminentior, quam nominat

Apo-

Apostolus. Omnibus enim, *inquit* humoribus oleum superemineat. Mitte aquam, & super infunde oleum, supereminet oleum. Mitte oleum, superinfunde aquam, oleum supereminet. Si ordinem seruaueris vincit, si ordinem mutaueris vincit, Charitas nunquam cadit.] Ratio autem diligendi inimicum explicatur *ab eodem S. Augustino.* [Sic, *inquit* diligendus est inimicus non inquantum inimicus, sed inquantum homo est, vt ei hoc velis prouenire quod tibi, id est, vt ad regnum correctus reuocatusq; perueniat.] Huius actus est tolerantia imbecillitatum erratorumque proximi nostri. *Debemus enim*, inquit S. Apostolus Rom. 15. *nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere, & non nobis placere.* Et alibi Galat. 6. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.*

Tertius gradus est Charitas erga proximum iuncta gaudio, pro vt coniungitur ab Apostolo cum numerat fructus Spiritus dicens, *Charitas, Gaudium, Pax*, ac si Charitatem perfectam consequatur illicò Gaudium. Certè idē valdè optat, vt Charitatem exerceamur alacriter. *Qui miseretur*, inquit, *in hilaritate* Et 2. Cor. 9. *Non ex tristitia, aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* Indicium vtriusq; Charitatis tam Dei quàm Proximi est in primis Zelus Animarum, de quo infrà.

§. 8. *De Charitatis præstantia in Ecclesiasticis requisita.*

NVlla magis Virtute, quàm Charitate Ecclesiastici fulgere debent, Tùm quia Fides, Spes, aliæq; Virtutes teste Apostolo 1. Cor. 13. vt suprà dictum est, sine illa nihil prosunt: Tùm quia officium Sacerdotis, vel Pastoris tàm ratione potestatis ordinis, vt dignè conficiat, & administret Sacramenta; quàm ratione potestatis iurisdictionis, quatenus curam Animarum habet, id omnino postulat. Hoc figura-

rabant antiquæ legis Sacerdotes, qui cocco bis tincto vestiti esse debebant, vt indicaretur Sacerdotem debere duplici Charitate flagrare scilicet in Deum & in Proximum. Hoc innuere voluit Christus Dominus, qui Apostolos in Sacerdotes in extrema Cæna, proindeq; ipsius vices gerentes in consecrando eius Corpore, & Sanguine pretiosissimis ordinaturus. Primùm ex mero in eos amore instituit S. Eucharistiam id est excogitauit modum quo perpetuò nobiscum realiter permaneret. Ad hæc longum habuit sermonem de nouo mandato Charitatis. Postremò ex nimio amore Sanguinem suum pro nobis profudit. Vt scilicet intelligerent Sacerdotes debere illum imitari in Charitate, sicut in officio Sacerdotali. Hinc est quòd idē Christus Dominus instituturus Principem Sacerdotum Petrum, de Charitate tantùm eum percunctatus est Ioan. 21. *Simon diligis me plus his?* Et ille tandem respondit. *Domine tu scis quia amo te*. Christus verò. *Pasce ergo oues meas*. Indicans ad pascendas doctrina & exemplo oues, & ad gubernandam Ecclesiam maximè opus esse ardenti Charitate in Deum, & in Proximū. Veri si quidem Pastoris est ouem perditam requirere, & inuentam relictis 99. ouibus sublatam humeris in ouile portare. *Ita Luc.* 15. Eius est adueniente lupo, & persecutione exorta non vt mercenarium, qui non est Pastor, fugere; sed animam ponere pro ouibus. *Ita Ioan.* 10. Eiusdem est cognoscere omnes oues, easq; exemplo vitæ Sanctæ præcedere, efficereq; vt se, suamq; doctrinam, & vitam sequantur; quòd non facilè consequetur, nisi multis beneficijs, & amoris indicijs eas sibi deuinciat, ac tandem claue sua Cælesti, quam accepit, Regnum Cælorum ipsis aperiat.

§. 9.

§. 9. De Zelo Salutis Animarum, in quo excellere debent Ecclesiastici.

ZElus est effectus amoris vt scribit S. Augustinus. Quare cum Charitas sit amor, & amicitia quædam excellens, ex ea etiam orietur zelus. Et quia duplex est Charitas, vt sæpe dictum est, Erga Deum Vna, Erga Proximum Altera; duplex etiam zelus est, Alter quo bonum proximi procuratur, & eiusdem malum auertitur: Alter quo Dei gloria quæritur, & repellitur id quod contrà dignitatem eius est. Qua de re *sic S. Thomas* 1.2.q.28.*art.*4. [Amor, *inquit*, amicitię quęrit bonum amici; vnde quando intensus est, facit Hominem moueri contrà omne illud, quod repugnat bono amici; & secundùm hoc aliquis dicitur zelare pro amico quando, si qua dicuntur vel fiũt cõtrà bonũ amici, Homo repellere studet. Et per hũc etiã modũ aliquis dicitur zelare pro Deo quando ea quæ sunt contrà honorem vel voluntatem Dei repellere secundùm posse conatur: iuxtà illud. *Zelatus sum pro Domino exercituum.*]

Ecclesiastici igitur vtroq; zelo munitum pectus gerere debent: eo tamen maximè quo incendi solent veri Dei amatores ad procurandam omni studio salutem animarum, tanquam Deo summè gratam. De qua re ait D. Dionysius de Cæl. Hierar. cap. 3. *Omnium diuinorum diuinissimum est Deo cooperari in salute animarum*, ad quod etiam proderit legisse quæ scribit *S. Chrysostomus Hom.* 3. *in Genes.* [Nihil, *inquit*, ita gratum est Deo, & ita curæ, vt animarum salus, sicut clamat Paulus dicens qui vult omnes Homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; & iterum Deus ipse ait, nolo mortem peccatoris sed vt conuertatur & viuat. Et propter hoc etiam Creaturam hanc omnem producit, & nos formauit non vt pereamus, neq; vt supplicijs nos torqueat, sed vt sa-

ſaluet, & ab errore liberatis Regno frui nobis concedat. Talem igitur habentes Dominum tàm miſericordem, tàm benignum, tàm manſuetum, tùm noſtræ, tùm fratrum noſtrorum curam geramus. Nam & hoc noſtræ ſalutis argumentum erit, & occaſio, ſi non ſolùm pro nobis ipſis ſolliciti; ſed & proximo vtiles fuerimus, *ipſum ad viam veritatis* manu ducentes. Et vt ſciatis quantum bonum ſit cum ſalute noſtra, & alios lucrari, audi Prophetam ex perſona Dei dicentem, qui reducit precioſum à vili, quaſi os meum erit. Quid hoc? Qui ab errore ad veritatem, ait, manu duxerit, vel à peccato ad virtutem proximum induxerit pro virili humano, me imitatur. Etenim ipſe cum Deus ſit, propter nihil aliud noſtram induit Carnem, & omnia alia humana ſuſtinuit, & Crucem quoq; ſuſcepit niſi vt nos peccato obnoxios à maledicto liberaret, & hoc quoq; Paulus clamat dicens; Chriſtus nos redemit à maledicto legis factus pro nobis maledictum. Sic igitur ipſe qui eſt Deus ineffabilis eſſentiæ, ob miſericordiam ineffabilem hæc omnia propter nos, & ſalutē noſtram ſuſcepit; cur non & nos erga fratres iuſti ſumus, agnoſcentesq; eos vt membra noſtra & eripientes ex Diaboli faucibus in viam virtutis inducimus? *Hæc Diuus Chryſoſtomus, qui Hom. 9. in 1. Corin. ſic ait.* Nihil eſt quod Animæ poſſit æquiparari nec vniuerſus quidem mundus. Itaq; ſi immenſas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris ſi vnam conuerteris animam.]

Porrò hic ſalutis Animarum zelus in quatuor præcipuè cernitur nempe. 1. In pia verbi diuini prædicatione. 2. In benigna rudium inſtructione. 3. In ſollicita errantium ad Deum reductione. 4. In Sancta vitæ ac morum ædificatione. De quibus ſingulis breuiter dicendum eſt.

Primò igitur zelus Animarum cernitur in pia verbi Diuini prædicatione. Hæc vt rectè peragatur iſta pauca ſeruanda ſunt. 1. Debet prædicator magnifacere hoc munus, cum

sit legatione fungi pro Christo: eius gratiam, spiritum, & merita partiri, & velut per aquæ ductus in alios influere: ipsam Domini passionem, & Sanguinem efficacem reddere: munusq; exercere, ad quod Apostoli Spiritus Sancti charismatibus prius repleti assumpti fuerunt, quod & ipse Christus in terris exercuit. 2. Debet Iesum sibi proponere vt principium influens nihil optando dicere quod ipse non posuerit in ore. Ideoq; cum obnixè obsecrare vt inspiret, & influat: & ita Spiritum eius sequi vt nihil dicatur nisi quod ad eius amorem, timorem, cultumq; imprimendum spectet: & hoc est prædicare Iesum, vt loquitur Apostolus. 1. *Cor.* 1. 3. Debet præparationem adhibere non tantùm speculatiuam; sed maximè practicam, quæ fiat ex animi in Christum eleuatione: ita vt primatiæ veritates, & capita in oratione vel consideratione velut escæ calore deuotionis digerantur; & in propriam substantiam conuertantur, vt ex abundantia cordis os loquatur: 4. Purificanda est intentio vt nullum verbum nisi ad gloriam Dei proximè vel remotè referatur; & animus respiciat semper Deum, & salutem Animarum, non auram popularem aut suam gloriam, vt possit coràm Deo & Angelis protestari: *Non quæro gloriam meam* oportet. itaque præuia oratione offerre Domino Iesu, eiusque Spiritui omnia dicenda. 5. In ipso exercitio prædicationis iuuat sibi sistere præsentem Christum, & reuereri in terris prædicantẽ, eiusq; loquentis Spiritũ, Zelũ, Virtutẽ efficaciter in animabus intueri, & ex illo intuitu ac reuerẽtia loqui. Nã sicut verum est *Licet Petrus baptizet, Paulus baptizet, tamen Christus est qui propriè baptizat:* Sic & ipse est nõ solũ qui prædicatur; sed & qui in nobis prædicat; & interiùs afficit animã & prædicantis & audientis. 6. Cum post Concionem pungi quis possit stimulo vanitatis, si rectè successerit, aut confusionis, si malè, aut non ità ex animi sententia; ideò statim Domino Iesu, & eius Spiritui quicquid boni fuerit referendum est:

quic-

quicquid verò incongrui cum humiliatione animi sibi tribuēdum rogando Deum vt suppleat sua benignitate, & fructum educat ex nostro qualicunq; labore. 7. Non debet animum despondere Prædicator, licet exiguus fructus sequatur: sed debet attendere illud Augustini lib. 1. contra Cresconium. *Sicut malignus*, inquit, *suafor peccati, meritò pœnam deceptionis incurrit: ita fidelis iustitiæ Prædicator etiamsi ab hominibus respuatur absit vt apud Deum officij mercede fraudetur.* Nihil ergo deperit de merito; sed (vt dicit Dominus Matt. 10.) *Pax quam indignis apprecamur, ad nos reuertitur.* Præsertim cum omnis fructus verbi Diuini ab ipso Deo pendeat, Vnde rectè ait *S. Bernardus lib. 4. de consid. ad Eugenium Papam.* [Fac tu quod tuum est; nam Deus quod suum est curabit. Plantas, riga, & tuas impleuisti partes: sanè incrementum vbi voluerit, dabit Deus; vbi fortè noluerit, tibi deperit nihil. Medici est medicamenta adhibere non est in Medico semper releuetur vt æger. Et plaga tibi incumbit curam exigens non curationem] .8. Sollicitus sit vt opera verbis, & sermonibus correspondeant attendens illud Apostoli Petri. 1. cap. 5. *Pascite qui in vobis est gregem Domini, forma facti gregis ex animo. q.d.* Pascite non solùm verbo; sed exemplo: ita viuite, prout loquimini: estote forma benè viuendi, & grex Christi legat non solùm in sermonibus; sed in operibus vestris quasi in libro originali quid agere & quomodo conuersari debeat. Qui vult ergo efficaciter verbum Dei annunciare, & saluti Animarum Deo cooperari; videat vt cum Christo primo Magistro incipiat prius facere quàm docere. Et vt cum Apostolo *Philipp.* 3. dicere possit. *Imitatores mei estote sicut & ego Christi. Ambulate sicut habetis formam nostram.*

Secundò Principaliter. Zelus Animarum cernitur in benigna rudium instructione. Multum meriti, sibi conciliant Ecclesiastici illi siue Pastores, siue simplices Sacerdotes, tàm Sæculares quam Regulares, qui Charitate vr-

vrgente ſolliciti ſunt, vt pueri, adoleſcentes, pauperes, miſerabiles, aliæq; rudes perſonæ inſtruantur in doctrina & pietate. Sæpè namq; contingit huiuſmodi perſonas in paupertatis ſordibus, & paupertati vitijs affinibus hærere ſine inſtructione. Videmus enim quotidie non paucos ignorantes, qui non aliam ignorantię ſuæ excuſationem afferunt niſi paupertatem, quaſi ea ipſis debeat patrocinari hac in re. Dicunt ſe ob inopiam in Eccleſia ad inſtructionem non auſos comparere, nimioq; pudore affici dum ſine veſte decenti publicis Eccleſiæ conuentibus oportet intereſſe. Alij, qui in agris commorantur, nimiam ab Eccleſia diſtantiam in ſuæ ignorantiæ patrocinium allegant, quòd ob eam tempore, & loco vbi doctrina Chriſtiana traditur adeſſe illis vix liceat. Alij vt plurimum pecoribus paſcendis detinentur etiam diuinorum officiorum tempore rudes planè & agreſtes: ideòq; doctrinæ Fidei incurij deliteſcunt in tenebris; & ignorantiæ cæca nocte. Et tamen quis neſciat aqualem eſſe Animarum omnium nobilitatem ex Chriſti Sanguine promanantem? nec animam diuitis cariùs emptam quàm inopis? Chriſtiq; Sanguinem prætioſiſſimum æquè fuſum pro ruſtico & ignobili, ac pro nobili, & vrbano? Nonne vtrique ſunt ad imaginem & ſimilitudinem Dei efformati? Nonne manet vtriſque eadem æternitas: eadem pæna ſi pereant: eadem gloria ſi ad ſalutem perueniant? Nonne vtriq; ius habent ad gratiam, eoſdem fontes gratiæ; eamdem hæreditatem, & patrimonium filiorum Dei, eumdem Patrem Deum in Cælis, eamdem matrem Eccleſiam in terris, eamdem eſcam Spiritualem in verbo Dei & Sacramentis?

Prædictis igitur omnibus doctrinæ panis frangendus eſt; immò maſticandus; immò in fauces inferendus, & cùm incapaces ſint ſolidi cibi, lacte alere eos oportet, hoc eſt, ſimpliciſſima inſtructione in rudimentis doctrinę, & pietatis Chriſtianæ. Erga tales decet vt Eccleſiaſtici ſeſe exhibeant non

ſolùm

solùm vt Spiritu Patres; sed etiam vt Matres, & Nutrices, vbera eis exhibentes veritatis; pietatis, amoris plena. Oportet eos repuerascere cum pueris; balbutire cum illis, rudes esse cum rudibus; hoc est, oportet deprimere verba & conceptus mentis ad captum eorum; nam vulgari sermone vti ad instructionem simplicum non debet videri vile nimis, & abiectum. Sic Elias & Elisæus vt spiritum communicarent puero non veriti sunt instar pueri membra contrahere, os super os, manus super manus, pedes super pedes coniectando se apponere, atque ita se puero conformantes, spiritum vitæ infuderunt.

Itaq; omnes prædicti rudes siue pueri, siue pauperes, siue rustici edoceantur primò elementa sermonum Dei, prima Fidei mysteria vt iuxtà ipsorum ętatẽ, & conditionem intelligere possint Quid sit Deus, quomodo Vnus & Trinus: Quid Christus, quomodo Carnem assumpserit Dei Filius, non Pater, aut Spiritus Sanctus Deinde quæ mandata Dei, vt sciat distinguere vitium à virtute, peccatum à bono opere, vitium abhorrere, virtutem amare; simulq; pœnæ improborum, præmia bonorum eis proponantur. Absterreantur maximè à vitijs ætati & conditioni ipsorum communibus verbi gratia. Pueri à mendacio, inobedientia, furto. Adolescentes a verbis obscœnis, cogitationibus, tactibus impuris, & ludis. Pauperes & Rustici à blasphemijs, imprecationibus, impatiẽtijs. Vlterius edoceãtur Quid Sacrificium, qua pietate oporteat adsistere: Quid Pœnitentia, Quid Eucharistia, Quis fructus frequentationis horum Sacramentorum. Deniq; erudiantur de precibus fundendis ad Christum, ad B. Virginem, ad Angelum Custodẽ, & in hoc se vespertino matutinoq; tempore exercere assuescant.

Nec vereantur aut erubescant Ecclesiastici (quicunque illi sint etiam in aliqua dignitate constituti) præsertim cum necessitas postulauerit tàm Sanctum opus amplecti, quando-

doquidem magni Sanctorum in huiusmodi sese exercitio occupare non sunt dedignati. Et quidem quod attinet ad eruditionem paruulorum (vt fileam pro nunc de exemplo ipsius Christi Domini, qui dicebat *Sinite paruulos venire ad me*) Sanctus Hieronymus iam senex cum multa præcepta dedisset in Epistola ad Lætam pro recta filiæ institutione sic concludit. *Si ad Paulam miseris, magistrum me & nutrictum spondeo, gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo, multò gloriosior erunt Philosopho qui non Regem Macedonum babylonio periturum veneno, sed ancillam & Sponsam Christi eruditam Regnis Cælestibus offerendam.*

S. Vincentius ordinis Sancti Dominici eximius Concionator gaudebat cum paruulis Doctorem agere. Vnde sic habet eius vita. *Neq; tantùm ætate prouectos sublimium rerum capaces erudiebat, sed etiam pueros certis ad se horis euocatos instituebat, docens quomodo se Cruce signarent, quomodo orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Fidei Symbolum enunciarent &c.*

Cãcellarius Gerson, qui & Legatus fuit ad Concil. Constantiense hac quoq; in re excelluit. His enim amplissimis honoribus non obstantibus, solebat paruulorum greges ad se in Ecclesiam aduocare, & erudire, scriptisq; & exemplo suo alios ad idem inuitare. Sciebat ipse quantum emolumẽtum in Ecclesiam redundet ex paruulorum instructione. Quo circa scripsit libellum *De pueris ad Christum trahendis.*

Quod attinet ad instructionem pauperum & rusticorum. S. Carolus Borromæus cum numerosam plebem haberet in sua Diæcesi inter syluas, & montes demorantem; considerabat gregem & oues à Supremo Pastore sibi concreditas; & ideò sollicitudine Pastorali eas requirebat, personaliter inuisebat vt instrueret, vt lucem ac benedictionem in eis impertiret.

S. Norbertus Ordinis Præmonstratensis institutor cum esset Concionator celeberrimus (S. Bernardus enim vocat

eum

cùm fistulam Cæleſtem diuini verbi) neglectis tamen Vrbibus, malebat concionari in vicis, & Pagis. Nec minùs paucis, quàm multis: pauperibus quàm diuitibus: ruſticis quàm nobilibus paratus erat operam ſuam impendere exhortando, & inſtruendo.

S. Cutbertus Sãctitate & miraculis celebris in villis montanis, lociſq; ſolitariſs, & horridis quò non penetrabãt Concionatores, lubens ipſe properabat, & multis diebus hærens verbum Dei annunciabat.

De S. Franciſco idem refertur, quòd libentiùs ſe ad vilia, & agreſtia loca conferebat, vbi à paucis rudibus audiretur quàm ad Ciuitates populoſas. Multiq; alij inſignes in Eccleſia Dei viri hoc præſtitere, quos recenſere longum eſſet, & à breuitate nobis propoſita alienum.

Tertiò. Zelus ſalutis animarum cernitur in ſollicita errantium ad Deum reductione. Eccleſiaſtici omnes, & præſertim Sacerdotes, & Paſtores ſunt velut Angeli Cuſtodes erga populum; ideòq; hortando, increpando, obſecrando, docendo, debent eos in viam ſalutis dirigere, & è via peccatorum educere. Sicut Angeli Loth, & familiam eius è Sodomis eduxerunt ne incendio obuoluerentur. Similiter debẽt, & ipſi manum apprehendere illorum, qui perditionis iter ſectantur, aut peccatis inuoluti iacent. Debent opportunè, importunè eos è periculis eruere, & quodammodo compellere, vt è Sodomis, è ſtatu peccati egrediantur. Debent imitari S. Chryſoſtomum, qui quanta ſollicitudine id ageret, patet ex his, quæ habet ipſe *Hom. 44. in Act. Apoſtol. Vbi inter alia ſic ait*. [Nonne per tres dies, ſæpe etiam per ſeptem exhortamur? Quid amplius aſſequimur, quàm quod reprehendimus, increpamus, lachrymas fundimus, dolemus, & ſi non foris, ſed in Corde? Niſi quis me iudicaret, ſupràmodum honoris cupidum, vidiſſetis quotidie me fontes lachrymarum emittere, quarum conſcia ſunt domicilium & ſolitudo.

Cre-

Credite enim mihi de ſalute quidem mea deſperaui hoc eſt, curam mei prætermiſi, & res veſtras deploraui. Non vacat mea mala deplorare, adeò totus deditus ſum vobis. Et ſi ſentio vos obtemperantes, præ gaudio nõ ſentio mala mea. Si video vos minùs obtemperãtes præ dolore iterum intermitto mala mea.] *Idem Chryſoſtomus ſic iterum ſuos alloquitur.* [Vellem ſi fieri poſſet veſtris oculis oſtẽdere, quam in vobis video Charitatem. Nihil enim mihi eſt vobis iucundius, & deſiderabilius, ne hæc ipſa quidem lux. Millies enim optarem ipſe eſſe cæcus, ſi per hoc liceret veſtras animas cõuertere, adeò ipſa luce eſt mihi ſalus veſtra iucundior. Quid enim me iuuant ſolares radij quando quæ propter vos accipitur animi ægritudo, oculis meis magnas effũdit tenebras? lux enim tunc bona eſt quando apparet in lætitia] Hìc imaginem veri Patris & Paſtoris in ſe ipſo exhibet Chryſoſtomus, quam meritò debent Paſtores alij attentius inſpicere, & imitari, vt erga peccatores magno amore & compaſſione magnaq; ſollicitudine ad eorum conuerſionem afficiantur. Vnde iterum eos inſtruens *ſic Hom. 3. ad popul. dicit.* Vis fratrem corrigere? lachrymare, ora Deum ex Corde, apprehenſum admone, conſule, exhortare; ſic Paulus faciebat: Demonſtra Charitatẽ erga peccatorem, perſuade ipſi quod conſulens & iuuans non verò peruulgare volens, ipſum peccati commonefacis. Comprehende pedes, oſculari ne erubeſcas, ſi modò mederi vis. Hæc & Medici faciũt, ſæpè difficiles ægros habentes, deoſculantes, & rogantes, perſuadent ſumere medicinam.

Itaq; omnis occaſio arripienda eſt, omnis modus tentandus vt reducatur frater errans omni Charitatis benignitate Attendendumq; eſt illud Diui Iacobi 1. *Fratres mei, ſi quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum ſcire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Ideò San-

ei nullum prætermisere laborem, quo vel vnam Animam conuerterent.

Quid non fecit Abraham Eremita vt neptem suam Mariã à turpi vita ad Castitatem, & pietatem reduceret? Mutauit habitum, ingressus est tanquam miles hospicium incognitus, petijt eius alloquium quasi rem nefariam cum ea committurus. Ac tandem se detegens pro eius anima spopondit, peccatis ipsius sese onera reparatus fuit si modò reuerteretur, sicq; ouem perditam humeris reportauit.

Quid non egit S. Ioannes Euangelista vt Adolescentem, quem cuidam Episcopo commendarat, iam prædonum ducem factum requireret, & reduceret? Sen explanè inter arma sicariorum per montes, per siluas, inter lupos ouem perditam requisiuit, & reduxit.

Quid non fecit Pafnutius Abbas vt Thaidem meretricem ad bonam mẽtem, & frugem reduceret? Infamem etiam locum ipse est ingressus vt eam alloquendi, & arguendi occasionem nanciscetetur. Quam tandem ex summa peccatrice, maximam pænitentem effecit.

Quid non agebat Serapion Abbas vt infideles conuerteret? Venundabat se in seruum vt saltem cum Dominis priuatim colloquendi potestatem haberet, sicque eos instruebat, & conuertebat.

Quid non S. Dominicus? Hic in pane & aqua Quadragesimam agere voluit, & super nuda humo decumbere, vt quasdam in qua degebat, domus pelices, ad pænitentiam adduceret.

Quid deniq; non cæteri Sancti omnes? Sciebant nimirum omnes hi, quantùm vel peccatum vnum Deo displiceat: quantùm vel Anima vna coràm Deo æstimetur: & hoc magno lucro ducebant, vel vnicam secum ad Deum adducere; ideòq; nullum laborem detrectabant.

Inter alia media, quæ pro reductione animarum assumi

possunt ab Ecclesiasticis, non infimum locum tenet Oratio. Quamuis enim pro omnibus fieri debeant orationes, obsecrationes, postulationes; pro illis tamen maximè qui in statu pernicioso peccati hærere dignoscuntur. Nam & secreta Dei ordinatio, sublimi suo consilio sæpè disposuit per orationem vnius, alterius conuersionem operari. Sic prædestinarat per orationem Stephani salutẽ Pauli adhuc persecutoris: Per orationem B. Monicæ salutem Augustini. Et certũ est, frequenter ob preces piorum susas pro illis qui in peccato existunt, plures è peccatis educi, & ad gratiam vocari. Ob eam causam S. Dominicus singulis noctibus acerrimè ternis vicibus se flagellis cædebat. 1. quidem ob peccata propria. 2. pro animabus in peccato mortali existentibus vt Deus eas dignaretur benigno vultu suo illustrare, & educere. 3. pro animabus in Purgatorio detentis, vt eis cederet in satisfactionem. Cum verò omnis oratio nostra ad impetrãdam peccantium conuersionem valeat; maximè tamen efficax est illa quæ in Sacrificio fit coniuncta cum Sanguine Christi. Hic enim melius loquitur quàm sanguis Abel, quãdo quidem ille de terra clamans è Cælo aduocabat vindictã: hic verò inuocat misericordiã. Nam vt ait Apostolus. Hebr. 9. *Sanguis Iesu Christi qui per Spiritum Sanctum obtulit semetipsum, emundat nos ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti.* Itaq; Sacerdotes & Pastores toto compassionis affectu illorum debent in suis Sacrificijs habere memoriam, quos grauioribus peccatis sciunt in perniciem suam inhærere; vt felicem Deus det illis è peccato exitum; nec æternum quantociùs sortiantur exitium. Hæc ergo sollicitudinis pastoralis non minima pars esse debet pro subditis pereuntibus, pro ouibus errantibus, quas si voce monitionis reducere nequimus, voce orationis coniuncta cum sanguine primi Pastoris in Sacrificio id impetremus.

S. Iuo Presbyter tùm miraculis tùm pietate clarus, dolens

quem-

quemdam cum propria matre non leui odio diffidere, conabatur omni ratione inter ipsos reconciliationem inire. Cum verò nihil proficeret, nullum ad eam rem efficacius se posse adhibere remedium est arbitratus, quàm pro illis Sacrificium Missæ intima Charitate offerre. Perfecit id ipsum, & exinde nemine iam vrgente, solo diuino instinctu, ita animis resipuere, vt ille obedientem se filium exhiberet, illa matrem amantem.

Quartò. Zelus salutis animarum cernitur in sancta morum ac vitæ ædificatione. Hac enim plerumq; magis quàm verbo peccatores incitantur ad pœnitentiam. Commun iter etiam dicitur. *Magis mouent exempla quàm verba*. Apostolus 1. Cor. 7. *Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem*. Et S. Petrus 2. *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam*. Vnde ipse Dominus *Matt.* 5. iubet vt exemplo alijs luceamus dicens. *Sic luceat lux vestra coràm hominibus vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in Cœlis est*. Magna vis inest exemplo siue bono siue malo. Sed quam ob causam? Vel quia obiecta, quæ visu percipimus, fortiùs mouẽt quàm obiecta cuiusq; alterius potentiæ, eò quòd distinctius in ipsa imaginatione exprimantur? Vel quia vt plurimum magis credimus rebus quas videmus, quàm illis quas audimus; tanquam maiorem certitudinem habentibus, & minùs falsitati obnoxijs? Vel demum quia suademus nobis possibile ac licitum esse quod alios conspicimus operari; non sic autẽ quod solis auribus percipimus? Quomodocunq; id eueniat; Sanè experiẽtia constat maiorem vim inesse exemplis quàm verbis ad persuadendum alijs quodcũq; velimus. Vis alijs persuadere humilitatem? sis tu humilis. Vis alios castos? designes prius in te ipso Castitatem. Patientiam optas in fratribus? hanc eamdem in te recognoscant alij. Sobrietatem & abstinentiam collaudas? ostendas in te factis, quod verbis commendas. Benignos ac mansuetos velles, qui tecum fami-

liariter conuerſantur? cur tu ad omne verbũ, quod tibi non arridet, tàm facilè cõmoueris? Patere legẽ quã ipſe tuleris. Quod in alijs requiris, à te ipſo prius exquire. Hæc eſt doctrina Sanctorum Patrum, inter quos *ſic loquitur S. Hieronymus.* [Non confundant, *inquit*, ſermonem tuum opera tua, ne cùm in Eccleſia loqueris, tacitus quilibet reſpondeat: Cur ergo hæc quæ dicis ipſe non facis? Sacerdotis Chriſti os, mens, manuſq; concordent. *Abbas Paſtor in Vitis Patrum hanc ſimilitudinem adducit.* Si quis docet aliquid, & non facit, ſimilis eſt puteo, qui omnes ad ſe venientes ſatiat, & ſordes delet; ſe autem purgare non poteſt; ſed omnis ſpurcitia, & immunditia in eo eſt. *Audiamus & Iſidorum lib. 3. de ſummo bono.* Qui non viuit, *inquit*, ſicut docet, ipſam quam prædicat veritatem contemptibilem facit. Arcus peruerſus eſt lingua Magiſtrorum benè docentium, & malè viuentium: & ideò ex peruerſo arcu ſagittam emittunt dum ſuam prauam vitam linguæ propriæ ictu confodiunt. Quid eſt enim benè docere, & malè viuere niſi ſe propria voce damnare.]

Studeamus igitur Sacerdotes, & Paſtores, & Eccleſiaſtici omnes animas Deo lucrari Verbo, Oratione, Exemplo. Sit lumen in mente, ardor in Corde, verbum in ore, puritas in intentione, pietas in actionibus, ſanctitas in operibus; ficq; poſſimus verbis, & rebus efficaciter perſuadere euangelizantes verbum virtute multa. Non ſit in nobis vox Iacob, manus Eſau: Vox benè docentis ſed malè operantis. Aquam Sacræ doctrinæ, quam à Deo, Chriſto Saluatore noſtro, eiuſque Sponſa Eccleſia puriſſimam haurimus, prauæ conuerſationis pedibus non inficiamus, ne ſic infectam oues Chriſti ſine ſapore, & fructu deguſtent: ſed puram ſic eis propinemus, vt ſit bibentibus aqua ſaliens in vitam æternam.

Cap. 10.

CAPVT X.
De Prudentia & Discretione.

APostolus scribens ad Timoth. Epistola 1. cap. 3. inter alia, quæ in Ecclesiasticis præsertim Pastoribus exoptat, innuit Prudentiam dum dicit. *Oportet esse sobrium, prudentem &c.* De hac ergo videndum. 1. Quid sit. 2. Quibus partibus constet. 3. Quæ species illius. 4. Quinam gradus. 5. Quinam effectus. 6. Quàm necessaria sit præsertim Ecclesiasticis. 7. Quibus modis acquiratur. 8. Quænam vitia prudentiæ opponantur, à quibus omnes sed præsertim Ecclesiastici debent cauere.

§. 1. *Quid sit Prudentia, & cuius potentiæ sit Virtus.*

DE Prudentia acturi, vt illius conceptus formalis, eiusq; essẽtia percipiatur varias definitiones afferemus, quæ tamen in substantia idem significabunt. Arist. 6. Eth ita definit. *Prudentia est recta ratio agibilium.* S. Basilius Hom. 12. ad populum; quæ est in principio Prouerb. Salom. *Prudentia vera est eorum, quæ agenda, & non agenda sunt, cognitio.* S. Augustinus lib. de moribus Eccles. cap. 31. sic describit. *Prudentia est amor ea, quibus adiuuatur in Deum ab his, quibus impeditur, sagaciter eligens; & hunc amorem non cuiuslibet, sed Dei esse diximus id est summi boni, summæ sapientiæ, summæq; concordiæ.* Non describit autem S. Augustinus Prudentiam per Amorem quasi censeatur eam formaliter esse amorem; se causaliter, quia ab Amore, seu Charitate proficiscitur: Vel quia ad Prudentiam spectat ex amore agere, Charitateq; ferri ad ea eligenda, quibus adiuuatur in Deum.

Subiectum huius virtutis est Intellectus non Voluntas, quod & vocabuli Etymon ostendit; dicitur enim prudens quasi

quasi prouidens seu procul videns, quod opus intellectionis est, vti notauit S. Thom. 2.2. q. 47. art. 1. *Et per consequens non est moralium actuum elicitiua; neq; essentialiter est virtus moralis; sed Intellectualis. Nihilominus verò obtinet rationem virtutis & est verè virtus.*

Id est non solùm est virtus Intellectualis ex subiecto; sed etiam Moralis: quia, vt dicetur, ad Prudentiam pertinet applicatio rectæ rationis ad opus, quod non fit sine appetitu recto (dicuntur enim virtutes morales quæ perficiunt appetitum) Imò Prudentia est Dux, & Regina omnium moralium virtutum, sine qua nulla earum consistere potest. Si quidem appetitus intellectiuus seu voluntas per se ipsam, quod honestum est seu virtutis medium prosequi non potest, nisi ratio ostendat; hæc autem ratio ostendens Prudentia est. Ipsa est moralium actionum directiua, quippe circa quas versatur tanquam circa proximam materiam ac finem, dictans & præscribens quid in quauis particulari actione honestum & amplectendum, quid verò turpe & aspernandum est. Idcò *S. Gregorius* 2. *Moral. cap.* 21. *sic scribit.* [Cæteræ virtutes nisi ea, quæ appetunt, prudenter agant, virtutes nequaquam esse possunt. *Et Diuus Bernardus ser.* 49. *in Cant.* Discretio, *inquit*, seu Prudentia, omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, & decorem, etiam & perpetuitatem. Deniq; ait: ordinatione tua perseuerat dies. Diem virtutem appellans. Est ergo discretio non tam virtus, quàm moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrixq; affectuum, & motum dotrix: tolle hanc, & virtus vitium erit, ipsaq; affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur, exterminiumq; Naturæ. *Hæc Bernardus.*

§. 2. De Prudentia secundùm Partes eius Integrales.

A Diuo Thoma 2.2. q. 48. octo partes (vulgò Integrales appellatæ) recensentur, sine quibus perfectus Actus Prudentiæ esse non potest. Sunt autem *Memoria, Intelligentia, Docilitas, Solertia, Ratio, Prouidentia, Circumspectio, & Cautio.*

Memoria est recordatio plurium singularium contingentium præteritorum. Est necessaria ad Prudentiam; quia cum Prudentia sit ordinatiua contingentium operabilium; non potest hoc suum officium benè præstare per ea quæ sunt simpliciter, & ex necessitate vera, sed ex his quæ vt in pluribus accidunt: Quid autem sit in pluribus verum; oportet per Experimentum considerare: Experimentum autem est ex pluribus memorijs.

Intelligentia, prout accipitur pars Prudentiæ, non est ipsa potentia intellectiua; sed actus istius potentiæ & est recta æstimatio alicuius extremi principij. Est necessaria ad Prudentiam; Quia vt dictum est Prudentia est recta ratio agibilium; Ergo talis ratio cùm sit quidam veluti discursus practicus, ab aliquibus principijs intellectis debet deriuare. Quod *D. Thomas 2.2.q.49.art. 2.ad 1.sic ostendit.* [Ratio, *inquit*, prudentiæ terminatur sicut ad Conclusionem quamdam ad particulare operabile, ad quod applicat vniuersalem cognitionẽ. Cõclusio autẽ singularis syllogizatur ex vniuersali, & singulari propositione. Vnde oportet quod ratio prudentiæ ex duplici intellectu seu intelligẽtia procedat; quorum vnus est, qui est cognoscitiuus vniuersalium, quod pertinet ad intellectum, qui ponitur virtus intellectualis. Quia naturaliter nobis cognita sunt non solùm vniuersalia principia speculatiua; sed etiam practica; sicut Nullum esse faciendum malum. Alius intellectus est, qui est cognoscitiuus extremi

id

id est alicuius primi singularis; seu principij contingentis operabilis, propositionis scilicet minoris quam oportet esse singularem in syllogismo prudentiæ. Hoc autem principium singulare est aliquis singularis finis; Vnde intellectus qui ponitur pars prudentiæ, est quædam recta æstimatio de aliquo particulari fine.] *Ita D. Thomas.*

Docilitas est quædam facilitas ad suscipiendam doctrinam ab alijs. Est etiam necessaria ad Prudentiam. Quia Prudentia vt dictum est consistit circa particularia operabilia, in quibus cum sint quasi infinitæ diuersitates non possunt ab vno homine sufficienter omnia considerari, nec per modicum tempus; sed per temporis diuturnitatem. Vnde in his quæ ad prudentiam pertinent maximè indiget homo ab alio erudiri, & præcipuè à senibus, qui sanum intellectum adepti sunt circa fines operabilium vnde Prou. 3. dicitur. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et Eccles. 6. dicitur. *In multitudine Presbyterorum id est seniorum prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde coniungere.* Hoc autem pertinet ad docilitatem.

Solertia est facilis, & prompta coniecturatio circa inuentionem medij. Est etiam necessaria ad Prudentiam. Quia cum Prudentia sit recta æstimatio de operandis, recta æstimatio siue opinio acquiritur in operatiuis sicut in speculatiuis dupliciter. Vno quidem modo per se inueniendo: Alio modo ab alio addiscendo. Sicut igitur docilitas ad hoc pertinet vt Homo benè se habeat in acquirẽdo rectam opinionem ab alio; ita solertia ad hoc pertinet vt Homo benè se habeat in acquirendo rectam æstimationem per se ipsum inueniendo media accommodata ad finem.

Ratio est discursus. Cum autem opus prudentis sit esse benè consiliatiuum vt dicitur 8. Ethic. Consilium autem sit inquisitio quædam ex quibusdam ad alia procedens; Hinc fit vt ratio sit ad prudentiam necessaria; ipsa enim inquisitio ex quibusdam procedẽs ad alia, fit per rationem seu per di-

diſcurſum; Vnde prudens debet eſſe ratiocinatiuus.

Prouidentia eſt ordinatio quædam mediorum ad finem; importat enim reſpectum quendam alicuius diſtantis, ad quod ea quæ in præſenti occurrunt, ordinanda ſunt; Vnde *prouidens* dicitur quaſi *procul videns*. Cum autem Prudentia propriè ſit circa ea, quæ ſunt ad finem; & hoc ad eius officiũ propriè pertinet, vt media ad finem debitè ordinentur: Hinc eſt quod Prouidentia neceſſaria eſt ad Prudentiam, & dcitur pars integralis illius.

Circumſpectio eſt conſideratio quædam eorum quæ circumſtant contingentibus operabilibus ad finem. Eſt etiam neceſſaria ad Prudentiam, cuius eſt rectè ordinare aliquid in finem. Quod quidem rectè non fit niſi & finis bonus ſit, & id quod ordinatur in finem ſit etiam bonum, & conueniens fini: Verùm cum id, quod ordinatur in finem ſit ſingulare operabile; multa concurrere poſſunt, quæ variant iudicium; contingit enim aliquando quod aliquid ſecundùm ſe conſideratum ſit bonum & conueniens fini, quod tamen ex aliquibus concurrentibus redditur vel malum, vel non opportunum ad finem; ideò neceſſaria eſt Circumſpectio, vt ſcilicet Homo id, quod ordinatur in finem, comparet etiam cum his quæ circumſtant.

Cautio eſt declinatio quædam à malis. Eſt neceſſaria ad Prudentiam, & eſt pars illius; quia cum Prudentia ſit circa contingentia operabilia, in his malum poteſt admiſceri bono ſicut verum falſo propter multiformitatem huiuſmodi operabilium, in quibus bona plerumq; impediuntur à malis & mala habent ſpeciem boni. Et ideò neceſſaria eſt Cautio ad Prudentiam, vt ſic accipiantur bona quòd euitentur mala.

Sed dices nullus quantumuis prudens poteſt præcauere omnia mala, quæ poſſunt contingere. Reſp. Quòd malorum quæ Homini vitanda occurrunt, quædam ſunt quæ vt in plu-

ribus accidunt, & talia comprehendere ratione poſſumus, & contrà hæc ordinatur Cautio vt totaliter vitentur vel vt minus noceant. Quædam verò ſunt quæ vt in paucioribus, & caſualiter accidunt: & hæc cum ſint infinita, ratione comprehendi non poſſunt; nec Homo ſufficit ea præcauere, quãuis per officium Prudentiæ homo contrà omnes furtunæ inſultus ſe diſponere poſſit, vt minus lædatur.

§. 3. *De Prudentia ſecundùm Partes illius ſubiectiuas, ſeu ſpecies illius.*

PRudentia diuiditur primò in Monaſticam & Gubernatiuam. Monaſtica eſt, qua quiſq; ſibi proſpicit, quid in actionibus ſingulis decens ac honeſtum ſit. Gubernatiua ſubdiuiditur in Oeconomicã, quæ totius familiæ honeſtam inſtitutionem tuetur. In Ciuilem ſeu Politicam, quæ bonum commune Ciuitatis ſeu Reipublicæ ſpectat. Et in Militarẽ, per quam hoſtium conatus repelluntur. Politica rurſus duplex eſt auctore *Ariſt. 6. Ethic. cap.* 8. Vna veluti Architectonica, ſeu principatũ gerens, per quam leges auctoritate decernuntur ab ijs, qui Reipublicæ præſunt. Altera Miniſterialis, quæ in particularibus negocijs ac litibus publicis, quod rectum ac iuſtum eſt ob Reipublicæ commodum definit: Eſtq; propria eorum, qui Rempublicam adminiſtrant; quare & adminiſtrans vocari ſolet.

Secundò. Diuiditur Prudentia in Perfectam, ac ſimpliciter dictam: & in Imperfectam, ac ſecundùm quid. *auctore S. Thom. 2. 2. q. 47. art. 13.* Vera, perfecta, & ſimpliciter dicta Prudentia eſt, quæ propoſito vero fine totius vitæ humanæ deliberat, iudicat, & præcipit, quid ad eum finem accommodatè agendũ ſit. Prudentia imperfecta ac ſecundùm quid eſt, quæ propoſito fine ſpeciali, conſentanee ad illum finẽ. 1. deliberat. 2. iudicat. 3. præcipit (ſunt enim hi tres gradus quibus perficitur Prudentia vt mox dicemus) quo modo

di-

dicitur prudens medicus, prudens nauta, prudens mercator; qui tamen poteſt eſſe malus homo: Qui autem ſimpliciter prudens, idem & bonus homo eſt.

§. 4. *De Prudentia ſecundùm Gradus illius præſertim Prudentiæ Perfectæ.*

PRimus igitur Prudentiæ gradus eſt Conſilium de re agenda, vel non agenda, cùm videlicet nos per nos ipſos id cogitamus per Solertiam; vel adhibitis Conſiliarijs per Docilitatem inquirimus idem. Huic Prudentiæ parti adiungit Deus pro ſua infinita miſericordia Spiritus Sancti donum, quod idcircò Conſilium etiam dicitur, quod nobis à Deo tanquam Conſiliario datur in ijs rebus, quas humana ratione conſequi non poſſumus; & ad quas humana circumſpectio & cautio non pertingit; vt ſuprà diximus; Vnde dicitur Sap. 9. *Cogitationes mortalium timidæ, incertæ prouidentiæ noſtræ.*

Prima huius Conſilij regula eſt Diuina lex, ad quam Cogitatio, & Deliberatio dirigẽda eſt. Vnde Dauid Pſal. 118. *Et Conſilium meum iuſtificationes tuæ.* Quicquid igitur peccatum eſt, aut ſpeciem peccati præſefert, nec Dei gloriam ſpectat, alienum omnino ſit à Conſultatione Chriſti fidelis.

Secunda regula eſt Oratio ad Deum, qua impetratur auxilium eius ad ea cogitanda, & deliberanda, quæ illius voluntati, legiq; conſona ſunt. *Dirige me*, ait idem Propheta ibidem. *in ſemitam mandatorum tuorum quia ipſam volui.* Et *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

Tertia regula eſt diligens inquiſitio, & meditatio eorum, de quibus Conſilium capitur; ſeu diſcurſus ſuper illa. Hanc enim induſtriam exigit à nobis ille, de quo ſcriptũ eſt Pſal. 88. *Poſui adiutorium in potente.* Et Salomon tanquam nonniſi Deo placita cogitare iuſtum virum aſſerit, ea tamen ipſa ab eo conſiderari pronunciat cum Prou. 10. ait. *Labia iuſti conſi-*

derant placita. Et Dauid beatum cum dixisset hominem, qui non abijt in consilio impiorum subiungit *sed in lege Domini meditabitur die ac nocte. Psal.* 1.

Quarta Regula est sibi, suisq; cogitatis non multum tribuere. Quod maximè faciendum est cum de rebus proprijs agitur. In huiusmodi enim deliberationibus & facilius & periculosius erratur præsertim cum obstinatè in sententia persistitur. Quod vitium insectatur acerrimè *S. Bernardus de Resurrectione serm.* 3. *his verbis*. [Lepra, *inquit*, proprij consilij eò pernicioſior est, quò magis occulta, & quantò plus abundat, tantò sibi quisq; sanior esse videtur. Hæc illorum est, qui zelum habent Dei, sed non secũdùm scientiam sequentes errorem suum, & obstinati in eo, ita vt nullis velint consilijs acquiescere. Hi sunt vnitatis diuisores, inimici pacis, Charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes sibi & magni in oculis suis, ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes cõstituere. Et quæ maior superbia quàm vt vnus Homo toti Congregationi iudicium suum præferat tanquam ipse solus Spiritum Dei habeat? Idololatriæ scelus est non acquiescere, & quasi peccatum ariolandi repugnare. Eant nunc, qui se faciunt religioſiores alijs, qui non sunt sicut cæteri Hominum, ecce arioli, & idolatræ facti sunt. *Ita Bernardus.*]

Quinta Regula. In rebus grauibus adhibendi sunt in consilium alij. Si quidem Sapientia de se ait apud Salomonem. Prou. 8. *Ego Sapientia habito in consilio, & eruditis interſum cogitationibus.* Sanè Scriptura diuina vtrumq; vult, & ne nobis nimium tribuamus, & vt aliorum consilijs locum demus. Nã Prou. 3. ait. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et Eccles. 6. *Ne sis sapiẽs apud temet ipſum.* Et *Si dilexeris audire sapiens eris.* Et Rom. 12. *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos*. Magna tamen cura ponenda est in Consiliarijs deligẽdis *Multi*, inquit Sapiens Eccles. 6. *Sint tibi amici, vnus autem sit tibi Consiliarius de mille.* Qua de re S. Bernardus Epist. 42. sic præcipit. *Ad consilium*

soli

ſoli eligantur, qui & prudentes eſſe videantur, & benevoli: abſq; prudentia & benevolentia non ſunt perfecta conſilia. Propterea Dominus & imprudens & diſcipuli, & fratrum infidele conſiliū refutebat, reſpondens impronìdo. Non ſapis quæ Dei ſunt. Et malevolis; Vos aſcendite ad diem feſtum hunc.

Secundus Gradus Prudentiæ perfectæ eſt rectè de ijs omnibus, quæ in conſilium allata fuerint, dijudicare. Quæ propriè Diſcretio vocatur, qua diſcernuntur vera à falſis, certa à dubijs, inutilia ab vtilibus, intempeſtiua ab opportunis, honeſta ab inhoneſtis, iucunda à triſtibus; bona deniq; à malis; & inter hæc quæ magis, minuſue bona, & quæ loco, tempori, Perſonæ, rei agendæ magis minuſue conueniant: nec quid ſolum; ſed quantum; & quatenus in vna quaq; re ſtatuendum, & progrediendum ſit. Quam rem amplè *Albertus Magnus in paradiſo Animæ cap. 34. proſecutus eſt.* Diſcretio, *inquit*, vera eſt prudenter iudicare inter Creatorem, & Creaturam; Quid ſit Creator, quid Creatura. Item quid ſit bonum, quid melius, quid optimum. Quid malum, quid peius, quid peſſimum. Quantum bonum ſit appetendum, quãtum malum deteſtandum. Item quantam reuerentiam debeat homo ſuperiori, quantam clementiam inferiori & cõpaſſionem, qualem ſocietatem æquali: Qualiter debeat ſe habere ad mortuos, qualiter ad viuos: qualiter ad prædeceſſores, qualiter ad ſucceſſores; qualiter ad amicos vt diligantur in Deo; qualiter ad inimicos vt diligantur propter Deum. Qualiter coràm Deo occultè, qualiter coram homine manifeſtè. Quæ refectio Carni, quæ Spiritui impenda ſit. Quibus veſtibus induendum: quando comedendum: quando bibendum: quando abſtinendum, & quantum, & à quibus cibis: Quando vigilandum, quando dormiendum, & quantum, & quamdiu: Quando orandum: quando flendum: quando aliquod opus faciendum: quomodo ſe habendum ad laudem; quomodo ad reprehenſionem; quomodo

loquendum, quomodo tacendum, & quomodo, quantum, & de quibus cauſis, cum quibus, quo loco, quo tempore. Quando accipiendum, quando retinendum, quando largiẽdum, & quantum, & quibus, & quo tempore. De omnibus his ordinatè, & prudenter dijudicare eſt vera Diſcretio. Hæc virtus eſt magiſtra omnium virtutum ſtatuens omnibus modum, & ordinem. Vbi autem Diſcretio non eſt, ibi Charitas non ſeruat ordinem, nec modum. *Hæc Albertus Magnus.*]

Diſcretionis autem neceſſitatem & vtilitatem maximam eſſe, Patres docent. *Caſsianus collat. 2. cap. 4. ſic att.* [Tàm Beati Antonij, quàm Vniuerſorum ſententia definitum eſt, Diſcretionem eſſe, quæ fixo gradu intrepidum hominem perducat ad Deum, prædictaſq; virtutes iugiter conſeruet illæſas, cum qua ad conſumationis excelſa faſtigia minore poſſit fatigatione conſcendi, & ſine qua multi etiam propẽſius laborantes, perfectionis nequiuerunt culmen attingere. Omnium namq; virtutum generatrix, cuſtos, moderatrixq; Diſcretio eſt.] Ante verò dixerat monachum ſi non poſſederit Diſcretionem neceſſe eſſe velut in nocte cæca oberrantẽ, non ſolùm in perniciosis foueis, præruptiſq; concidere; ſed etiam in planis, ac directis frequenter offendere. Quare rectè concludunt omnes, Diſcretionem magnum Dei donum eſſe, quod non niſi Dei gratia, & magna humilitate acquiritur. Proinde difficillimam eſſe eius adeptionem.

Tertius Gradus Prudentiæ eſt præceptio ſeu Imperium, quo magna vi, & efficaciter imperat animus ſibi, & intellectus voluntati ad ea complectenda, & perficiendã quæ poſt conſilium ad rem agendã neceſſaria & opportuna cenſentur. [Accidere enim ſolet, *vt ait S. Thoma 2. 2. q. 51. art. 3. ad 3.* vt quòd rectè iudicatum eſt differatur, vel negligenter agatur, vel inordinatè: & ideò poſt virtutem, quæ eſt benè iudicatiua, neceſſaria eſt finalis virtus principalis, quæ eſt benè præceptiua ſcilicet Prudentia. Immò hic actus imperij

tàm

tàm proprius est Prudentiæ, vt sit principalis actus illius. Et huius signum est quod perfectio Artis consistit in iudicando non autem in præcipiendo, vt inquit D. Thomas 2. 2. q. 47. art. 8. Ideò reputatur melior artifex qui volens peccat in arte, quasi habens rectum iudicium; quam qui peccat nolens; quod videtur esse ex defectu iudicij. Sed in Prudentia est è conuerso; vt dicitur in 6. Ethic. Imprudentior enim est qui volens peccat quasi deficiens in principali actu prudentiæ, qui est præcipere; quàm qui peccat nolens.

Ex quibus intelligitur præcipere vi & potestate efficaci esse primam prudentis hominis actionem, munusque præcipuum. Ad quam rem necessaria est magna animi fortitudo, qua superentur omnia, quæ impediunt quo minus exequamur, quod prudentia præcipit, quodque intelligimus esse faciendum.

§. 5. *De Prudentia quoad effectus illius.*

POssumus de effectibus Prudentiæ loqui dupliciter. 1. De effectibus Prudentiæ quatenus respicit personam propriam; & dicitur Prudentia Monastica. 2. De effectibus Prudentiæ quatenus respicit gubernationem aliorum; & dicitur Prudentia Gubernatiua, vt suprà diximus; quamuis non possit esse ista sine illa; quia vt ait Sapiens. Eccl. 14. *Qui sibi nequam est quomodo alijs bonus erit.* Et Apostolus 1. Tim. 3. *Qui domui suæ præesse nescit quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit.* Itaq; hæc posterior supponit illam priorem. Nihilominus quia Prudentia Gubernatiua habet quosdam effectus proprios & peculiares; ideò agemus de effectibus vtriusque Prudentiæ.

Igitur quod attinet ad effectus Prudentiæ Monasticæ perfectæ.

Primus est agnoscere finem nostræ vitæ, qui Deus est; atque

que in eũ dirigere omnia opera noſtra ſubtiliter diſcutiendo intentionem in dictis operibus; & perquirendo vtrum Deum purè quæramus, an verò nos ipſos. Etenim natura humana valdè ſubtilis eſt, atq; in omnibus ſe ipſam quærit etiam in exercitijs, quæ magnę pietatis & religionis videntur.

Secundus eſt noſcere ſe ipſum, & attentè rimari proprios defectus, appetitus, & prauas inclinationes, ac ſuam infirmitatem, & quàm exiguæ ſapientiæ, & virtutis ſit, & non vanè præſumat nec ſe extollat; & vt ſciat quibus cum hoſtibus toto vitę ſuæ tempore pugnaturus ſit; & quanta ſollicitudine & vigilantia in omnibus debeat ambulare.

Tertius eſt non ſolùm omnem culpam à ſe eliminare: ſed etiam occaſiones, quibus alij cecidérat, fugere vt caſus euitetur; ſcopulus enim ille vitandus eſt, vbi alter offendit; quandoquidem & pecora ipſa vitare norint quæ læſiſſe cognoſcunt, nec itinera illa repetunt, vbi in foueam ſe corruiſſe recordantur.

Quartus eſt, rectè ſe habere erga Proximum. Prudentia enim docet quomodo ſe quiſq; gerere debeat circumſpectè vt nemini det vllam offenſionem, nemini ſcandalum; & non ſolùm vt declinet à malo; ſed ab omni ſpecie mali.

Quintus eſt, cuſtodire linguam ne temerè quid loquatur; ſed ſermones noſtri ſint diſpoſiti in iudicio, ſint accommodi & efficaces, ac perſonis, cum quibus agimus, congruentes. Quapropter monet S. Greg. Nazianzenus conuerſantibus in ſæculo opus eſſe non rarò his tribus ſcilicet *Velo ſuper oculos, Clauę in aure, Cuſtodia in ore.* Nimirum *Velo*, vt multa non videat, vel videndo diſſimulare ſciat. *Clauę*, qua aures frequenter claudat, ne audiat detractiones, ſuſurrationes, contumelias in ſe vel in alios iactas. *Cuſtodia ſeu claustro*, vt linguam & ſpiritum cohibeat ne indiſcretè loquatur, ſed ſuos ſermones ponderet priuſquam effundat.

Sextus eſt, Nihil temerè vel inconſultè aggredi, aut cæco præ-

præcipitique gressu, maximè in negotijs alicuius momenti. Nam Prudentia monet prius considerare quæ subsequi possint, & ne subitò ad res agendas impulsi facilè impingamus, aut aberremus; vult vt palpebræ præcedant gressus nostros perspicaci cõsideratione. Per tenebrosam domum pedetentim incedendum nemo ambigit, & quasi palpando: tenebrosa autem domus est mũdus, negotia illius prius cogitatione quasi manu palpanda sunt, antequam illa adoriamur: atq; in illis est cum consilio & maturitate incedendum maximè si salutem nostram vel aliorum cernant.

Plures alij sunt effectus Prudentię quę respicit personam propriam, quos breuiter recensęt Albertus Magnus in illius præallegata auctoritate suprà §. 4. vers. Secundus gradus.

Quod attinet autem ad effectus Prudentiæ Gubernatiuæ, quæ respicit alios; ab auctoribus solẽt infrascripti assignari.

Primò. Ex Prudentia manat vt ille qui clauum gubernationis tenet præsertim si sit Pastor animarum, non sit facilis ad sex, quæ sunt valdè notanda, videlicet. 1. ad credendum. 2. ad cõcedendum. 3. ad promittendum. 4. ad determinandum. 5. ad conuersandum familiariter cum hominibus. 6. ad irascendum. In omnibus enim prædictis magnum periculum inest si Homo facilis sit, & procliuis ad illa. Credere namq; citò & facillimè, leuitas est Cordis. Hinc *Diuus Bernardus lib. 2. de Consideratione ad Eugenium cap. 13. sic ait.* [Est ò Eugeni vnum vitium, cuius si te sentis immunem, inter omnes, quos noui ex his qui Cathedras ascenderunt, sedebis, me iudice, solitarius: hoc est, facilitas credulitatis; cuius calidissimæ vulpeculę, magnorum neminem comperi satis cauisse versutias, ex qua in ipsismet pro nihilo multæ nascuntur iræ. Inde innocentum frequens addictio, inde præiudicia in absentes &c.] *Ioannes Papa in extrauag. diuinis tit. de panis sic ait.* Nos mala contrà aliquem dicta nolumus prius credere, quàm probare.

Qui facilis est ad promittēdum amittit suam libertatem.

Qui facilis est ad concedendum sæpe sæpius accidit vt ipsum deinde pæniteat.

Qui facilis est ad determinandum exponit se errandi periculo. Seruandæ igitur sunt illæ quinq; Regulæ suprà traditæ §. 4.

Qui facilis est ad conuersandum exponit se periculo vt contemnatur; Nimia enim familiaritas parit contemptum.

Qui facilis est ad iram dat signa stultitiæ, & furoris.

Secundò. Ex eadem Prudenta fluit, vt Pastor omnibus se se accommodet; & omnibus omnia fiat vt omnes Christo lucrifaciat; sine tamen conscientiæ suæ dispendio aut macula. Hæc ipsa Prudentia docet quomodo cum pusillis, & infirmis oporteat cōuersari, illis quoad fieri potest indulgere, rudes & duros emollire, & pio artificio omnes pertentare, vt ad meliora perducat. Est enim homo animal variū, & multiplex, ideòq; ad eum regendum vario Prudentiæ genere est vtendum, & cùm varijs morbis animi sit obnoxius vario medendi genere opus est vt curetur: quam varietatem explorato eorum, quibus cum agendum est, genio, & ingenio, Prudentia suggerit.

Tertiò. Ex eadem Prudentia prouenit, vt Pastor in reconciliandis peccatoribus sit diligens & cautus; nam Christus Dominus hoc tantopere commendat vt dicat Petro. *Diligis me pasce oues meas.* Hoc est in quo mihi summè placere potes: si eos, qui me offenderunt mihi reconcilies; ob hoc enim Sanguinem fudi.

Quartò. Ex eadem Prudētia oritur, vt Pastor in calumnijs malignantium sit patiens; non enim arbitretur Prælatus quantacunque polleat Sanctitate, se omnino euadere posse insidias, inuidias, detractiones, & calumnias malignātium: Quapropter contemnat se à talibus contemni, nec extimescat eorum scādalum. Quia de talibus dicit Dominus Matt.

15.

15. *Caci sunt & duces cæcorum*. Quid mirum si omnes contradicunt tibi? Nonne de Domino dicit Sanctus ille Symeon. Luc. 2. *Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur*. Et Act. vlt. *De secta hac notum est nobis, quod vbiq; ei contradicitur*. Si igitur citrà culpam tuam Apostolicos montes sectando ab hominibus contemptus eris, age gratias Deo, quemadmodum Sancti faciebant, & læto animo cum Dauid Psal. 118. dic Deo. *Adolescentulus sum ego & contemptus; tamen iustificationes tuas non sum oblitus*. Et Psal. 68. *Domine propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam, Extraneus factus sum fratribus meis &c.*

Quintò. Ex eadem Prudentia enascitur, vt Pastor zelum moderetur, qui facilè potest metas transilire. Siquidem verum est illud Thomæ à Kempis lib. 2. de imit. cap. 5. *Non debemus nobis ipsis credere, quia modicum lumen in nobis est, passione mouemur, & zelum putamus*. Sic Petrus à Christo reprehenditur quòd nimis feruenter, nimisque temerè ad Magistri sui defensionem prosiliret. Sic & Apostoli Iacobus & Ioannes, cum Samaritani Christum non reciperent, ex zelo indiscreto in illa verba proruperunt. Luc. 9. *Vis dicimus vt descendat ignis de Cælo, & consumat illos?* Sed reprehenduntur à Domino. *Nescitis cuius spiritus estis*.

Quàm multi Sacerdotes, & Rectores Animarum, vel Cõcionatores, quia Prudentiam sibi ducem aut comitem non adsciscunt, zelo indiscreto populum perturbant, aut risui, & ludibrio se exponunt? Inuehuntur publicè in ea, de quibus priùs priuatim agendum foret: quandoq; etiam non satis explorata veritate personas fugillant, & exasperant: quandoque in statum aliquem verborum multorum acrimonia feruntur indiscretè, & inutiliter. Priuatim quoq; si quis corripiendus sit, impetu reguntur, & zelo tumido ac imperioso vlcus exasperant, animos exacerbant. Alij suscipiunt nescio quas difficultates cum nobilibus & locorum Dominis

quasi ex zelo, ex quibus odia & scandala duntaxat enascuntur; quibus omnibus Prudentia duce facilè poterant obuiare. Istis ergo insinuamus illud Salustij. *Sese fatigando non nisi odium vel ludibrium quærere, extrema dementia est.*

Hi sunt communiores, & frequentiores effectus Prudentiæ veræ Gubernatiuæ circa alios.

§. 6. *De Prudentia quoad eius Necessitatem præsertim in Ecclesiasticis, & præcipuè in Pastoribus.*

QVamuis Prudentiæ necessitas satis colligi possit ex omnibus ante dictis cum ipsa sit, vt ait Bernardus *Virtutum Abbatissa; moderatrix & auriga omnium virtutum, affectuum, morum, actionum, operationum.* Nihilominus vt melius eluceſcat; afferemus nonnullas auctoritates tùm ex Sacris literis, tùm ex Sanctorum dictis.

Igitur vt à diuinis literis exordiamur, in libro Prouerbiorum pluribus in locis commendatur necessitas Prudentiæ nam cap. 3. dicitur. *Beatus homo qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia.* Et cap. 7. *Prudentiam voca amicam tuam.* Cap. 9. *Ambulate per vias prudentiæ.* Cap. 11. *Vbi non est gubernator populus corruet; salus autem vbi multa consilia & prudentia.* Eccles. 32. *Sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit.* Et ibidem. *Ante omnem actum consilium præcedat te.* Et 1. Petr. 4. *Estote prudentes & vigilate in orationibus.* Et Matt. 10. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Rursus Eccles. 5. *Melior est sapientia quàm vires, & vir prudens quam fortis.* Et cap. 21. *Verba prudentum statera ponderabunt.*

Veniamus ad auctoritates Sanctorum. *Diuus Ambrosius lib. de dignitate Sacerd. sic ait.* [Requirit Paulus non Prudentiam mũdialem, de qua dicitur quod stultitia sit apud Deum: sed Spiritualem, quæ & opere sit circumspecta, & verbo perita

vt

vt prudens sit sicut serpens, & simplex sicut columba, *Idē lib. 1. Officiorum.* Mediocre non putes quod tibi commissum, primùm vt alios videas, quod est Sapientiæ & Prudentiæ. Deinde vt excubias pro populo deferas quod est Iustitiæ. Castra defendas, tabernaculū tuearis, quod est Fortitudinis. Te ipsum sobrium, & continentem præstes, quod est Temperantiæ. *Et Diuus Augustinus serm. 4. ad Fratres in Eremo ait.* Fratres Prudentia vobis necessaria est, quia docet quid fugiendum, quid tenendum sit. Docet ipsa siquidem non oportere vos superbire, nec inordinato rerum temporalium amore teneri vtpote quæ caducæ sunt, ac simul ostendit cogitare vos debere ea, quæ possidetis, aliena esse ac extranea, solùmq; vsum fructum eorum vobis concessum. *Et ibidem* Armemini, fratres Prudentia, ipsa siquidem docebit vos vt quæ non poteſtis perpetuò tenere, fructuosè permittatis abire, docebit ipsa vt in cūctis idem sitis tàm in prosperis quàm in aduersis vt sitis ad instar manus, quæ semper eadem est quantum vis ad pugnam contrahatur aut in palmam explicetur. *Et S. Bernardus lib 2. de considerat.* Vobis Præsules hæcce decantantur, vobisq; hic innuatur ab benè alios regendos discretionem, & prudentiam vobis esse necessariam, hæc siquidem virtus Prælatis authoritatem elargitur, sine illa verò cuncta pessum eunt. *Et Diuus Chrisostomus lib. 6. de Sacerdot.* Non solùm mundum purumq; Sacerdotem esse oportet, vt qui tali ministerio dignus habitus sit; sed etiam prudentem ac longo rerum variarum vsu experientiaq; donatum vt non minorem rerum secularium, quàm mundani in ipso mundo commorātes, cognitionem habeat. In omni igitur re versatus tritusq; sit, omniumq; rerum experientiā habeat. *Et quidam Menander Comicus.* Si benè prudens sis, in omnibus fortunatus eris.

§. 7.

§. 7. *De Prudentia quoad Modum, quo acquiri potest.*

AD comparandam hanc præstantissimam Virtutem inter alios modos Primò multum iuuat, vt ait Ludouicus Granatensis, experientia præteritarum rerum, quæ vel feliciter vel infeliciter acciderũt tàm nobis quàm alijs. Hinc enim multæ Prudentiæ regulæ desumuntur. Hac quoque de causa inquiunt memoriam præteriti valdè conducere, & qoudammodo magistram esse prudentiæ vt suprà §. 2. diximus. Etenim vt inquit Salomon, Eccles. 1. *Quid est quòd fuit? Ipsum quod factum est. Quid est quod factum est? Ipsum quod faciendum est. Nihil sub Sole nouum: nec valet dicere quisquam? ecce hoc recens est.* Quapropter ex præteritis iudicium habere possumus de præsentibus, & futuris.

Secundò. Plurimum etiã confert ad huius virtutis acquisitionem profunda ac vera cordis Humilitas: Quemadmodum è contrà multum impedit Superbia; scriptum est enim 1. Petr. 5. quòd *Deus superbis resistit; humilibus autẽ dat gratiam.* Et Prou. 11. *Vbi humilitas ibi sapientia.* Et Prou. 3. *cum simplicibus sermocinatio eius.* Non debet tamen esse talis humilitas, vt omnium opiniones amplectatur, & omni vento doctrinę circumferatur; hæc enim non esset vera humilitas; immò potius cordis instabilitas; scriptum est enim Eccl. 13. *Noli esse humilis in sapientia tua.* vt intelligamus constantes nos esse debere in ijs veritatibus, quas firmis & Catholicis rationibus iam tenemus.

Tertiò. Non mediocriter adiuuat humilis, ac deuota oratio, vt etiam innuimus §. 4. Quoniam quemadmodum vnus ex præcipuis effectibus Spiritus Sancti est illuminare Intellectum donis Sapientiæ, Scientiæ, & Intellectus: ita quantò maiori deuotione & humilitate Homo coràm Deo se prosternit tanquam paruulus ab ipso edocẽdus: tantò vberiùs,

& cla-

& clariùs instruetur, & cælestibus gaudijs perfundetur.
Huc etiam possunt referri Regulæ suprà traditæ §. 4.

§. 8. *De Vitijs Prudentiæ oppositis, à quibus debent cauere præsertim Ecclesiastici.*

VItia quæ opponuntur Prudentiæ sunt in duplici differentia vt docet *D. Thomas* 2. 2. *q.* 13. Quædam habent manifestam cõtrarietatem cum ipsa Prudentiæ virtute; quæ scilicet vitia proueniũt ex defectu vel Prudentiæ, vel eorũ, quæ ad Prudentiam requiruntur. Quædam habent similitudinem falsam cum Prudentia; quæ scilicet contingunt per abusum eorum quæ ad Prudentiam requiruntur.

Vitia prioris generis sunt *Imprudentia, Præcipitatio, seu Temeritas, Inconsideratio, Inconstantia, Negligentia, Obstinatio.*

Imprudentia dupliciter accipi potest. Vno modo Priuatiuè. Alio modo Contrariè. (Negatiuè autem non propriè dicitur ita scilicet quod propriè importet solam carentiam Prudentiæ quæ potest esse sine peccato) Priuatiuè quidem Imprudentia dicitur inquantum aliquis caret Prudentia, quam quis natus est, & debet habere. Et secundùm hoc Imprudentia peccatum est ratione negligentiæ qua quis non adhibet studium ad Prudentiam habendam. Contrariè verò accipitur Imprudentia secundùm quod ratio contrario modo mouetur vel agit, quàm moueatur vel agat Prudentia, puta si recta ratio Prudentiæ agit consiliando, imprudens consilium spernit, & sic de alijs quæ in actu Prudentiæ consideranda sunt. Et hoc modo Imprudentia est peccatum secundùm propriam rationem Prudentiæ. Non enim potest hoc contingere nisi diuertens à regulis, quibus ratio Prudentiæ rectificatur. Et est quoddam veluti genus ad alia vitia subsequentia.

Præcipitatio est vitium, quò quis impetu voluntatis vel pas-

passionis, gradibus Prudentiæ contemptis eiusq; partibus integrantibus de quibus suprà §. 2. & §. 4. in ruinam dilabitur. sumpta metaphora à corporali præcipitatione, quæ fit secundùm impetum quemdam proprij motus vel alicuius impellentis non ordinatè descendendo per gradus. *Temeritas* autem est quando ex contemptu regulæ dirigentis homo præcipitat in deliberationes.

Inconsideratio est vitium, quo aliquis deficit in rectè iudicando ex hoc; quod contemnit vel negligit attendere ea ex quibus rectum iudicium procedit.

Inconstantia importat recessum quemdã à bono proposito definito; & est vitium quo quis contemnit præcipere ea, quæ secundùm rectam rationem ante erant iudicata & proposita. Vnde sicut præciptatio est ex defectu circa actum consilij, & inconsideratio circa actum iudicij: ita inconstantia circa actum præcepti.

Negligentia propriè & directè opponitur solicitudini, quæ pertinet ad Prudentiam; dicitur enim solicitus quasi solers citus inquantum scilicet aliquis ex quadam solertia animi velox est ad prosequendum ea, quæ sunt agenda. Hoc autem pertinet ad Prudentiam, cuius præcipuus actus est circa agenda præcipere de præconsiliatis, & iudicatis. Vnde Philosophus dicit in 6. Ethic. *Quod oportet operari quidem velociter consiliata; consiliari autem tardè*. Negligentia igitur est vitium, quo quis deficit circa actum præcipiendi, ad quem etiam pertinet Solicitudo. Aliter tamen circa actum hunc deficit negligens, & aliter incõstans. Inconstans enim deficit in præcipiendo quasi ab alio impeditus; Negligens autem per defectum promptæ voluntatis. Ad Negligentiam pertinet Pigritia, & Torpor; sed est etiam aliqualis differentia inter ista. Negligentia enim consistit in defectu illius actus præcepti vt diximus, quia est actus interior, ad quem pertinet etiam electio: vnde dicitur Negligens, quasi nec eligens.

Pi-

Pigritià autem & Torpor magis pertinent ad executionem; ita tamen quod Pigritia importat tarditatem ad exequendum; Torpor autem remissionem quamdam importat in ipsa executione.

Obstinatio est vltium, quo quis pertinaciter inhæret suæ opinioni, nec vult acquiescere consilijs aliorum. Repugnat Docilitati, quam diximus esse partem Prudentiæ suprà §. 2.

Vitia secundi generis, quæ habent similitudinem falsam cum vera Prudentia, reducuntur ad duo capita; sicut enim vt actus Prudentiæ sit bonus duo requiruntur. 1. vt finis sit bonus. 2. vt media assumpta & electa ad talem finem sint bona. Ita dupliciter potest quis deficere ab hac vera Prudẽtia. Vno modo præstituendo sibi finem falsum; seu fucatum & apparenter bonum. Altero modo quãdo quis proposito fine vero aut apparente; excogitat media non propriè instituta ad talem finem.

Ad primum igitur Caput, quod est de fine malo seu apparenter bono, reducitur vitium illud quod vocatur *Prudentia Carnis*, de quo apostolus ad Rom. 8. ait. *Prudentia Carnis inimica est Deo.* Estq; peccatum mortale si in commoditate carnis, principalis, & vltimus finis totius humanæ vitæ constituatur; quia per hoc homo auertitur à Deo, cùm impossibile sit esse plures fines vltimos; & tunc dicitur Prudentia Carnis perfecta. Secus autem si quis inordinatè afficitur ad aliquod tantummodo delectabile Carnis absq; hoc quod auertatur à Deo per peccatum mortale: tunc enim est peccatum solummodo veniale: Et dicitur Prudentia Carnis imperfecta: sicut suprà §. 3. diuidimus veram Prudentiam in Perfectam & in Imperfectam. Immò si quis actu curam Carnis referat in finem honestum puta cum aliquis studet commestioni propter Corporis sustentationem non vocatur Prudentia Carnis.

Ad secundum Caput, quod est de medijs simulatis & ap-

parentibus,& non inſtitutis ad conſequendum finem vel bonum, vel malum, reducuntur iſta vitia nempe *Aſtutia, Dolus, Fraus, & Solicitudo ſuperflua rerum temporalium.*

Aſtutia eſt excogitatio viarũ, & mediorum, quæ non ſunt recta & propriè inſtituta ad talem finem ; ſed fallacia & fucata ſicut excogitatio rectarum viarum ad debitum finem pertinet ad Prudentiam.

Dolus eſt actus externus & executio aſtutiæ ſiue fiat per verba ſiue per facta.

Fraus eſt executio aſtutiæ ſecundùm quod fit per facta. Porrò aſtutiæ vitium alio nomine *Cordis duplicitas* appellatur ; quia vir aſtutus ad finem conſequendum non recto ac ſimplici tramite per media ordinata aggreditur ; ſed veluti per cuniculos & ambages ad alterius circumuentionem ſicut habetur Eccleſias. 2. *Væ duplici corde, & labijs ſceleſtis & manibus malefacientibus;& peccatori terrã ingredienti duabus vijs.*

Solicitudo importat ſtudium quoddam adhibitum ad aliquid conſequendum. Temporalium igitur ſollicitudo redditur immoderata, & illicita ex quadruplici capite.

Primò. Ex parte obiecti de quo ſolicitamur; ſi ſcilicet temporalia tanquam finem quæramus.

Secundò. Ex parte ſubiecti ; ſi ſcilicet timore ſuperfluo quæramus temporalia,quando ſcilicet quis timet ne faciendo quod debet,neceſſaria ſibi deficiant.Quem timorem Dominus tripl citer excludit Matt. 6. 1. Propter Maiora beneficia homini exhibita diuinitus ante omnem ſolicitudinem, velut Corpus & Animam. 2. Propter ſubuentionem, qua Deus animalibus ſubuenit abſq; opere humano. 3. Propter diuinam prouidentiam , ex cuius ignorantia Gentiles circa temporalia bona quærenda principalius ſolicitantur.

Tertiò. Solicitudo temporalium redditur illicita ex parte modi; quando ſcilicet quis adhibet ſuperfluum ſtudium circa temporalia ; vnde retrahitur à Spiritualibus, quibus principalius intendere debet. Quar-

Quartò. Ex parte temporis indebiti: Quando quis tempore quo non debet, anxiè ſolicitatur de rebus futuris; *omnia enim tempus habent* & vnicuiq; tempori competit ſua ſolicitudo, ſicuti tempori æſtatis competit ſolicitudo metendi; & ipſi autumno competit ſolicitudo vindemiæ. Si quis ergo tempore æſtatis de vindemia eſſet ſolicitus, ſuperfluè præocuparet futuri temporis ſolicitudinem; ideò Dominus dicit. Matth. 6. *Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum; craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi.* id eſt propriam ſolicitudinem habebit, quæ ſufficiet ad animum affligendum. Et hoc eſt quod ſubdit *ſufficit diei malitia ſua* id eſt afflitio ſolicitudinis.

Et hæc ſatis dicta ſint de præſtantiſſima Prudentiæ virtute, quam omnes Chriſti fideles ſed præcipuè Eccleſiaſtici, & inter eos præſertim Paſtores ſummo ſtudio eniti deberent vt conſequerentur; eamq; totis præcordijs à Domino virtutum expoſcere, Cuius ſubſtantiam, laudes & præconia pauciſſimis his verbis concludam ex S. Bonauentura lib. de gradibus virtutum cap. 9. *Altus gradus Prudentiæ eſt, in omnibus cautum eſſe coram ſæcularibus, ne ſcandalizentur: Altior coràm Religioſis, & pijs cautum eſſe, vt ædificentur: Altiſſimus coràm Deo iudicanti cautum eſſe ne offendatur.* Quod præſtet nobis Deus qui eſt benedictus in ſæcula.

CAPVT XI.
De Iuſtitia.

IVſtitiam requirit Apoſtolus in Eccleſiaſticis dum ſcribens ab Thimotheum 2. 2. ait *Sectare Iuſtitiam, Pietatem, Fidem, &c.* Quapropter in hoc capite aliqua tractanda nobis ſunt de hac virtute videndo. 1. Vnde dicatur Iuſtitia. 2. Quid ſit. 3. Quotuplex. 4. Quid poſtulet Iuſtitia Erga Deum, Erga Proximum, Erga Se ipſum. 5. Qualiter in Eccleſiaſticis excellere debet.

§. 1. *Vnde dicatur Iustitia, & quid significet Ius.*

IVstitia dicitur à Iusto, quasi forma quædam faciens iustum sicut albedo facit album. Iustum autem (quod per syncopem *Ius* dictum fuisse arbitratur Sotus lib. 3. de Iust. & Iur. q. 1. art. 5. & indicat Isidorus relatus dist. 1. cap. 1. *Ius autem est dictum quia iustum est*) Grecè δίκαιον idem est quod æquum. Et æquum idem est ac commensuratum, & adæquatum alteri. Vnde Iustitia idem est ac æqualitas, quia, hoc est discrimen inter Iustitiam & alias virtutes, Temperantiam & Fortitudinem &c. Quod hæ perficiunt hominem solùm in his quæ ei conueniunt secundùm se ipsum nempe in moderandis animi passionibus ipsiusmet operantis puta cupiditate, voluptate, ira, timore, audacia, tristitia &c. Iustitia verò perficit hominem, eumque ordinat in his quæ sunt ad alterum: vt sit inter eos commensuratio & adæquatio: importat enim æqualitatem quandam vt ipsum nomen Iustitiæ demonstrat; dicuntur enim vulgariter ea, quæ adæquantur, iustari.

Ius igitur seu Iustum (vnde dicitur Iustitia) dicitur aliquid dupliciter scilicet subiectiuè, & obiectiuè. Subiectiuè est illa res, in qua tanquam in subiecto inhæret hæc forma quæ dicitur Iustitia. Obiectiuè est illa res vel actio, in quam tanquam in obiectum tendit Iustitia. Quanquam nomen Ius frequentius accipiatur pro iusto obiectiuè quatenus scilicet est obiectum Iustitiæ. Præter hanc acceptionem, quæ est primæua Iuris, habet alias acceptiones. Sæpe enim contingit, *vt inquit D. Thomas 2. 2. q. 17. art. 1. ad 1.* quod nomina à sui prima impositione detorqueantur ad alia significanda. Sicut nomen medicinæ impositum est primò ad significandum remedium quod præstatur infirmo ad sanandum. Deinde tractum est ad significandam artem qua hoc fit. Ita etiam

hoc

hoc nomen Ius primò impoſitum eſt ad ſignificandam ipſam rem iuſtam. Poſtmodum autem deriuatum eſt ad artem, qua cognoſcitur quid iuſtum; Vnde dicitur Ius Ciuile, Ius Canonicum &c. Vlterius ad ſignificandum locum vbi iuſtum decernitur; ſicut dicitur aliquis comparere in Iure. Item ad ſignificandam ſententiam Iudicis decernentis quid iuſtum ſit; ſic dicimus Iudicem dicere Ius id eſt ferre ſententiam partibus coràm ſe contendentibus. Deniq; ad ſignificandam facultatem agendi, petendi, obtinendi, vtendi &c. Sic dicimus habere Ius faciendi. Vti ſuo Iure &c. & in hoc ſenſu accipitur cum dicitur. *Nemo plus Iuris in alterum transferre poteſt, quàm ipſe habeat.*

§. 2. *Quid ſit Iuſtitia.*

FRequentiſſima eſt illa definitio tradita à Iuriſperitis in principio Inſtitutionum legalium ſic. *Iuſtitia eſt perpetua & conſtans voluntas, Ius ſuum cuiq; tribuens.* Cuius definitionis bonitas oſtenditur ex hoc quod ad virtutis actum *Ex Philoſ. in 2. Ethic.* requiruntur tria. Primò. Quòd operans operetur ſciens. Secundò. Quod eligens, & propter debitum finem. Tertiò. Quòd immobiliter operetur. Primum autem horum includitur in ſecundo. quia quod per ignorãtiam agitur eſt inuoluntarium vt dicitur in tertio Ethic. In allata igitur definitione innuuntur illa duo, nam primò ponitur *voluntas* ad oſtendendum quòd actus Iuſtitię debet eſſe voluntarius. Deinde additur *conſtans, & perpetua* ad deſignandum actus firmitatem. Et ideò prædicta definitio eſt cõpleta, niſi quod actus ponitur pro habitu qui per actum ſpecificatur, nam voluntas dicit actum non potentiam. Si quis autem vellet eam in Philoſophicam formam reducere, poſſet ſic dicere.

Iuſtitia eſt habitus ſecundùm quem aliquis conſtanti, & perpetua voluntate Ius ſuum vnicuiq; tribuit. Et quaſi eſt eadem definitio cum ea quam Philoſ. ponit in 1. Ethic. dicens. quod *Iuſti-*

tia est habitus secundùm quem aliquis dicitur operatiuus secundùm electionem iusti.

Nec obstat definitioni Iurisperitorum, quòd sola Dei voluntas sit perpetua. Quia respondetur dupliciter posse dici voluntatem perpetuam. Vno modo ex parte ipsius actus qui perpetuo durat, & sic solius Dei voluntas est perpetua. Alio modo ex parte obiecti, quando scilicet aliquis vult perpetuò facere aliquid. Et hoc requiritur ad rationem Iustitiæ. Quia non sufficit ad rationem Iustitiæ quòd aliquis velit ad horam in aliquo negotio seruare Iustitiam: vix enim inuenitur aliquis qui velit in omnibus iniustè agere, sed requiritur quod Homo habeat voluntatem perpetuò, & in omnibus iustitiam conseruandi. Minus obstat quod reddere Ius suum cuiq; pertineat ad Principem seu Iudicem; vnde videtur quod Iustitia sit tantum in Principe. Quia respondetur quòd Iudex reddit quod suum est per modum imperantis, & dirigentis: Subditus autem per modum exequentis.

§. 3. *Quotuplex sit Iustitia.*

DVplex est Iustitia. Altera Generalis. Altera Particularis. Quæ diuisio sic ostenditur. Homo in humana societate viuens dupliciter comparari potest: Vno modo tanquam pars ad partem, Ciuis, inquam, ad Ciuem. Altero modo tanquam pars ad totum, Ciuis, inquam, ad Ciuitatem. Hinc duplex Ius seu iustum oritur, & consequenter duplex Iustitia *auctore Philosopho lib. 5. Ethic. cap. 1.* Vna Generalis, per quam quisque reddit quod iustum est, ac debitum Reipublicæ, cuius ipse pars est. Altera Particularis, per quam quisq; reddit quod iustum est ac debitum comparti, siue consorti.

Generalis Iustitia seu Vniuersalis dicitur *à Philos. loc. cit. & S. Thom. 2. 2. q. 58. art. 6.* Quia omnes virtutes morales in se com-

comprehendit non quidē vniuersalitate causæ(qua ratione Sol se habet ad alia corpora, quæ ipsius virtute illuminātur, generantur, conseruantur) sed quatenus reliquis virtutibus ipsa imperat, illarumq; actiones ad Reipublicæ prosperitatem refert. Quemadmodum enim Charitas, inquit *S. Thomas lec. vl.* secundùm se spectata, specialis atq; ab alijs distincta virtus est; comparata verò ad virtutes reliquas, quarum operationes dirigit vt propter Deum exerceantur, quasi omnium virtutum forma est, & virtus vniuersa, ac proinde perfectio & adimpletio totius legis: sic etiam Iustitia, de qua loquimur, secundùm se peculiaris, atq; ab alijs distincta virtus est, quia peculiarem rationem honestatis ac laudis obtinet, quatenus per eam quisq; rectè ac debitè se gerit erga Rempublicam, cuius pars est; comparata verò ad alias virtutes quarum actiones ad Reipublicæ prosperitatem dirigit (pertinet enim ad Reipublicæ laudem ac felicitatem, vt partes eius rectæ se habeant officiumq; præstent, sicuti ad totius corporis decorem & vtilitatem spectat vt membra singula sanitate vtantur & functiones rectè obeant) ea, inquam, consideratione dicitur virtus generalis, vniuersalis, perfecta. Et quia ad legem pertinet ordinare in bonum commune; inde est quòd talis Iustitia prædicto modo generalis, dicitur etiam Iustitia legalis, vel quia per eam Homo concordat, & adæquatur legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune: vel quia habet pro obiecto iustum legitimum id est conforme, commensuratum & adæquatum legi tanquam normæ ac Regulæ omnis operationis humanæ. In hac significatione nomen Iuris accepit Iure consultus in leg. Iustitia. ff. de Iust. & Iure cum ait. *Iuris (id est Iustitiæ legalis) præcepta sunt honestè viuere, alterum non ladere, suum cuiq; tribuere.* In Sacris quoq; literis frequentissimè est vsurpatio Iustitiæ pro quouis opere virtutis, quatenus per illud diuinæ legi ac voluntati conformamur ac adæquamur Matt. 1. *Beati qui esu-*

riunt

riunt & faciunt Iuſtitiam. Et cap. 6. *Attendite ne Iuſtitiam veſtrã faciatis coram hominibus vt videamini ab eis.* Quemadmodum & è contrario omne peccatũ iniuſtitia appellari ſolet. Ioan. 7. *Iniuſtitia in illo non eſt.* Et Rom. 5. *Reuelatur ira Dei de Cælo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum.* Rurſus hæc Iuſtitia generalis ſeu legalis dupliciter ſe habet. Nam in Principe ſiue Magiſtratu leges decernente ob Reipublicæ commodum ineſt quaſi architectonicè: In ſubditis verò acceptantibus & obſeruantibus leges ob eiuſdem Reipublicæ commodum ineſt miniſterialiter velut executioni mandantibus quæ per Magiſtratum decreta ſunt.

Particularis Iuſtitia, quæ eſt vna ex quatuor virtutibus cardinalibus, diuiditur in Commutatiuam & Diſtributiuam *teſtante Arist. 3. Ethic. cap. 2. & S. Thom. 2. 2. q. 61.* Commutatiua cõſtituit iuſtum inter partes omnino diſtinctas ſecundùm æqualitatem rei datæ ad rem acceptam: & dicitur commutatiua, quia in commutationibus & potiſſimum in contractibus occupatur. Diſtributiua autem conſtituit iuſtum inter totum & partes ſecundùm æqualitatem proportionum, & dicitur diſtributiua, quia occupatur in diſtributione communium bonorum puta officiorum, dignitatum &c. quæ in Republica vacantes, vel abundantes partibus Reipublicæ pro cuiuſq; ſtatu ac meritis diſtribui debent. Hæc tamen diuiſio Iuſtitiæ non eſt in ſpecies vniuocas ſed analogas. Si quidem communis ratio ac proprietas Iuſtitiæ particularis magis reperitur in Commutatiua, quàm in Diſtributiua. 1. Quia illa propriè eſt ad alterum ſiue perſonam diſtinctam: Hæc non omnino ad alterum; ſed totius ad partem: pars autem non adæquatè ſiue totaliter à toto ſuo diſtinguitur. 2. Commutatiua reſpicit Ius ſtrictum ſiue propriè dictum debitum: Diſtributiua autem Ius ac debitum latè acceptum. Strictius enim, & magis proprium Ius quiſq; habet ad petendam rem ſibi debitam verbi gratia ex contractu emptio-

emptionis, mutui, alteriusue commutationis: quàm habeat aliquis qui in Republica dignior est ad petendam gratiam, dignitatem, beneficium. Quare maior quoq; & strictior est iniuria illa, per quam commutatiua Iustitia violatur, quippe quæ sola obligationem restituendi annexam habet 3. Commutatiua constituit medium simpliciter, videlicet perfectã, & arithmeticam æqualitatem inter quantitatem rei acceptæ, & reí datæ. verbi gratia equum emi atq; accepi 20. flor. æstimatum, totidem dare debeo: Etqui 30. flor furatus est totidem restituere cogitur. Iustitia verò Distributiua non constituit medium simpliciter, videlicet perfectam & arithmeticam æqualitatem qualis est inter duas quantitates puta 20. & 20. sed medium proportionum, quæ est æqualitas geometrica. verbi gratia sicut se habent 4. ad 2. ita se habent 8. ad 4. vtraque enim proportio dupla est. Sic enim in dispositione communium bonorum æquitas siue Iustitia postulat vt talis sit proportio inter bona distrubuenda, qualis est inter status siue dignitates personarum, quibus distributio facienda est. Veluti si dignitas vnius personæ duplo superet dignitatem personæ alterius, duplo plus illi tribui debeat, quàm alteri.

Iustitiæ simpliciter dictæ ac commutatiuæ duplices sunt commutationes, & inde ortæ obligationes, *Aristot. lib. 6. Ethic. cap. 4.* Aliæ, scilicet, voluntariæ, quæ mutuo paciscentium consensu constituuntur. Aliæ inuoluntariæ, quæ oriuntur ex delictis, quibus alteri iusto damnum iniustum infertur. Ad voluntarias reducuntur omnes species contractuum, vt emptio, venditio, locatio, mutuum, depositum, commodatum &c. cum vitijs quæ in dictis contractibus possunt inesse, quæ sunt fraus & vsura. &c. Ad inuoluntarias omnia delicta, quibus proximus læditur aut facto, aut verbo. Facto, vt homicidium, mutilatio membrorum, furtum, rapina. Verbo, idq; vel in iudicio, cuiusmodi est iniustitia Iudicis, Accusato-

rum, Rei, Teſtium, Aduocatorum. Vel extra iudicium, qualia ſunt Contumelia, Obtrectatio, Suſurratio, Deriſio, Maledictio. &c.

Præter ſupradictas duas particularis Iuſtitiæ ſpecies; tertia quædam eſt Iuſtitia quam vocant vindicatiuam, ſimilitudinem gerens cum commutatiua: quandoquidem ſecundùm quantitatem delicti, decernit & pænã iuxtà illud Deuteron. 11. *Pro menſura peccati erit & plagarum modus.* Re ipſa autem plurimum deficit à proprietate Iuſtitiæ, & ſolum fermè nomen commune habet. Nam cõmutatiuæ Iuſtitiæ proprium eſt reddere ac compenſare ad æqualitatẽ illud quod acceptum eſt; vel damnum quod allatum fuit: id verò vindicatiua non præſtat. Si quidem pæna quæ pro delicto infligitur propriè non compenſat aut tollit delictum.

§. 4. *De Iuſtitia erga Deum.*

IVſtitia generalis perficit hominem in ordine ad totum corpus Reipublicæ, vt dictum eſt, dando cuique quod ſuum eſt; Sicut igitur triplex ordo poteſt conſiderari in qualibet parte reſpectu ad totum. 1. ordo partis ad caput. 2. ad partem. 3. partis ad ſe ipſam. Ita triplex ordo poteſt conſiderari in quolibet homine per reſpectum ad totum corpus Reipublicæ humanæ, nempe ordo ad caput, ſeu, vt rectius loquar, ad fontem & principium huius miſtici corporis, qui fons eſt Deus: ordo ad partes, qui eſt proximus; & ordo ad ſe ipſum: vnde emergit triplex Ius & debitum, triplexq; Iuſtitia; ſcilicet Iuſtitia erga Deum (quãuis ad Deum non detur propriè Iuſtitia; Iuſtitia enim æqualitatem importat, Deo autem non poſſumus æquiualens recompenſare) Iuſtitia erga proximum: & Iuſtitia erga ſe ipſum. Satisfaciendo his tribus partibus Iuſtitiæ, Homo redditur abſolutè iuſtus. Præſtabit autem hoc ſatis ſi triplex quodammodo cor habue-

buerit: Erga Deum cor Filij: Erga Proximum cor Matris: Erga se ipsum cor Iudicis. Has Iustitiæ partes satis expressit propheta Mich. 6. quando dixit: *Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, aut quid Deus requirat à te: facere iudicium & misericordiam & solicitum ambulare cum Domino Deo tuo.* Facere iudicium: ecce cor Iudicis erga se ipsum. Facere misericordiam: ecce cor Matris erga proximum. Solicitum ambulare cum Deo: ecce cor Filij erga Deum.

De his tribus pauca strictim dicenda sunt.

Erga Deum igitur cor filij gerere debemus, quod complectitur has octo imprimis virtutes scilicet Amorẽ, & Reuerentiam, Timorem, Confidentiam, Zelum diuini honoris, Puritatem intentionis in operibus bonis, Orationem & confugium ad ipsum in omnibus necessitatibus, Gratitudinem de beneficijs acceptis; deniq; Obedientiam atque integram conformitatem illius Sanctæ voluntati.

Primò. Igitur debemus amare, & diligere Dominum Deũ eo modo quo ipse iubet, nempe ex toto Corde, ex tota Anima, ex tota mẽte, & ex omnibus viribus. Ita vt quidquid est in nobis suo modo deseruiat huic Domino, Mẽs & Intellectus illum recogitando; Voluntas illum diligendo; Affectiones inclinentur ad id, quod illius honor expoſcit: & omnium membrorum vires impendantur in executionem eorum, quæ Charitas imperabit.

Secundò. Debemus timere Deum, non quidem timore seruili qui est propter pœnam; sed timore filiali & casto qui est propter amorem. Hic enim timor coercet bonos filios, ne quidquam operentur contrà parentes; idemq; timor castus solicitam reddit bonam mulierem, ne quidquam domi permittat, quod oculos viri offendere possit. Hic Sanctus timor donum est Spiritus Sancti: fouetur autem & nutritur nostris

in animis ex consideratione horum quatuor. 1. Altitudinis Diuinæ Maiestatis. 2. Profunditatis iudiciorum eius. 3. Magnitudinis Diuinæ Iustitiæ. 4. Multitudinis peccatorum nostrorum, & præcipuè ingratitudinis, ac resistentiæ quam diuinis inspirationibus frequenter exhibemus. Quapropter necesse erit aliquando mentem nostram in horum meditatione versari; hæc enim valdè conducit ad fouendum, & enutriendum nostris in animis hunc sanctum Timoris affectum; qui omne ab Anima depellit peccatum.

Tertiò. Debemus confidere in Deo. Itaq; quemadmodum paruulus filius in suis necessitatibus atque negotijs si Patrem habeat aliquem præpotentem & locupletem tutò quiescit; pro certo habens nihil sibi defuturum ex prouidi sui Patris amore. Ita nos tali erga Deum fiducia præmunitos esse conuenit vt memoria reuoluentes nos Patrem hãbere eum, qui Cæli Terræque principatum obtinet, in omnibus pressuris, ærumnis, ac necessitatibus ad eum magna animi fiducia confugiamus, pro certo habentes ipsum ab omnibus nos corporis, animæq; periculis eruturum, & quicquid nobis acciderit siue læti, siue tristis, siue prosperi, siue aduersi, omne ad maiorem sui nominis gloriam, nostræq; salutis profectum conuersurum. Etenim si hanc fiduciam erga suum Parentem homuncionem habet paruulus quisq; filiolus, quantam nos habere conuenit erga eum, qui est Pater Patrum? ex quo scilicet *omnis Paternitas in Cælo & in terra nominatur*. qui insuper *Rex Regum est, & Dominus Dominantium. Cuius est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo*; cuius misericordia nequaquam est minor illius potentia ac magnitudine. Et si nullis nostris nitimur meritis; immò si nostrorum multitudo peccatorum nos retrahit, infinita illius bonitas, & benignitas, & infinita Christi Domini ac Seruatoris nostri merita nos confortare debent; non enim in iustificationibus nostris prosternere debemus preces ante oculos

eius;

eius; ſed in multitudine ipſius miſerationum qui cum non eſſemus potenter fecit nos, & cum perditi fuiſſemus miſericorditer redemit nos.

Quartò. Debemus honorem Dei zelari. Hæc præcipua animi cura, & ſolicitudo deberet nobis incumbere; hoc vnũ deſiderium, hoc præcipuum ſtudium, & diligentia nempe ſemper & vbiq; promouendi honorem Dei, atq; vt eius voluntas ſemper adimpleatur, eiuſq; Sanctum nomen ab omnibus ſummâ veneratione colatur. E contrario vnus ſit nobis dolor id nõ perfici ab hominibus; immò oppoſitum frequenter haberi. Tali corde, tali affectu, ac zelo afficiebantur Sancti; quorum perſona, ac nomine Propheta dicebat Pſal. 118. *Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.* Et *Vidi prævaricantes & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt.* Talis enim erat illorum afflictio, vt ex anima redundaret in corpus: ita vt macie conficerentur, eorumq; ſanguis tabefieret, & ſigna ſatis manifeſta in facie apparerent. Vtinam & nos tali propter Deum afflictione torqueremur.

Quintò. Debemus puram ac ſimplicem ad Deum intentionem habere in omnibus nobis operibus, ita vt nos ipſos non quæramus; nec intendamus aliquod lucrum ſiue temporale, ſiue æternum; ſed in omnibus ſolùm Dei honorem & gloriam, ac beneplacitum diuinæ voluntatis; pro certo habentes nos cum magno fœnore Dei opus acturos: & quemadmodum nõnulli tali ludo ſeſe exercent, vt deperdentes lucrentur, & lucrantes deperdant; ita nos quantò maiorem à Deo mercedem ex noſtris operibus intendemus, tantò minorem conſequemur: & vice verſa quantò purior erit noſtra intentio ab omni retributione in Deo ſeruitio, tantò maiorem ab ipſo conſequemur. Hoc maximè attendere debemus vt noſtræ intentionis oculus non feratur in aliud extra Deum, ſiquidé ſi quid aliud præter Deum intenderimus, for-

tè dictum aliquando nobis erit. *Recepistis mercedem vestram.* Multi exstant & quidem in dignitate constituti, vel aulis Principium, vel in Ecclesiastica Hierarchia, qui bene attendentes virtutem apud omnes in pretio haberi, & honore insigniri, omni conatu suadent ipsam virtutem amplecti, nihilq; agere inhonestum, & indecorum, quo eorum æstimatio labe inficiatur: verùm hoc totum non ex Charitate Dei; non propter eius timorem; non ad obediendum Deo; non ad gloriam ipsius in omnibus augendam; sed ad Principum temporalium gratiam aucupandam, atq; vt muneribus, oneribus, & honoribus decorentur. Qui sic agunt, qui sic viuunt & operantur, non vera Iustitia ducuntur; sed fucata, sed apparenti, sed falsa. Qua Iustitia etiam præditi fuerunt ipsi Ethnici & quidem celebres tàm apud Græcos quàm apud Latinos; ita Socrates, Cato, Plato, Aristoteles alijq; quam plurimi qui tamen adhuc ab æternæ vitæ præmio defecerũt. Ne impingamus & nos.

Sextò. Debemus orationi insistere, qua frequenter ad Deum Patrem nostrum accedamus, & auxilium imploremus opportunum in nostris necessitatibus. Sic amantes Filioli ad Matris amplexus occurrunt quando aliquo timore, aliquo dolore, aliquo angore vexantur. Ex frequenti ad Deum per mentis eleuationem accessu gignitur in nobis delectatio supernorum, & terrenarum rerum obliuio atq; contemptus. Non enim magni facit temporalia, qui fruitur sempiternis.

Septimò. Debemus continuò gratias agere pro acceptis beneficijs, qui enim pro acceptis gratias agit, meretur etiam alia accipere; & è contrà, ingrati animi vitium est ventus quidam vrens & exiccans fontem benignitatis.

Octauò. Debemus Deo exhibere Deuotionẽ, & Obedientiam ad omnia quæcunq; à nobis Deus requirit, atq; in hac obedientia omnis Iustitiæ perfectio consistit. Tres autẽ sunt

huius

huius Obedientiæ gradus. 1. Obedire præceptis. 2. Consilijs. 3. Inspirationibus, Deiq; vocationibus. Adimpletio & obedientia præceptorum necessaria omnino est ad salutem. Obedientia consiliorum necessaria certè non est, valdè tamen confert ad integrè adimplendum præcepta, quorum obseruatio absq; consiliorum obseruatione non rarò deficit; sunt enim consilia velut vallum aut propugnaculum præceptorum, quapropter qui tutò ambulare desiderat nec à recto itinere deuiare, studeat quantum illius conditio & status exposcit etiam quæ sunt in consilio executioni mandare. Sic ille, qui luctatur cum alio non sibi fecisse satis existimat si curet tantummodo non succumbere, sed etiam studet aduersarium ad terram prosternere, sic enim faciendo tutius agit, & non versatur in periculo succumbendi. Gradus tertius vt dixi est obedientia inspirationibus, & vocationibus diuinis. Quæ sanè obedientia non est inferior alijs supradictis; fideles enim ac diligentes serui non solùm obedi t illis, quæ Domini expresse præcipiunt verbis; sed etiam quę nutibus, aut alio modo innuunt. Et quia in hoc posset aliquis error obrepere sumendo tanquam diuinam inspirationem id quod est aut naturalis instinctus, aut diabolica suggestio: ideò seruandum est consilium Apostoli, & Euangelistæ Ioannis 1. dicentis. *Nolite credere omni spiritui; sed probate spiritus si ex Deo sint.* Ad hoc autem præter monita Scripturæ, & Sanctorum, quibus tanquam lapide Lidio hæc examinanda sunt, plurimùm iuuabit hanc generalem regulam habere prę oculis videlicet duo esse genera operũ pietatis, quę ad Dei famulatũ ab hominibus præstari solẽt. Quædã mærè volũtaria. Quædã omninò necessaria ex obligatione. Cũ igitur euenerit casus iudiciũ ferendi super hæc; semper ea quæ sunt necessitatis, præcepti, & obligationis, præferri debẽt voluntarijs quãtũuis magnis, magniq; meriti. Atq; in hoc sensu procedit celebris illa sententia Samuelis 1. Reg. 18. *Melior*

est

est obedientia quàm victima. Deus enim vult vt Homo prius suam voluntatem exequatur, postea præstet omnia quæ ipsemet Homo voluerit absq; præiudicio istius obedientiæ. Nomine operum obligationis & necessitatis Intelligimus Primò. obseruationem præceptorum Dei, sine quibus salus esse non potest. Secundò. Præceptorum illarum personarum, quæ locum Dei in terris tenent; *qui enim potestati resistit, ordinationi Dei resistit. Rom.* 13. Tertiò. Obseruationem earum rerum, quæ vniuscuiusq; statui sunt annexa, quales sunt obligationes Prælati in suo statu, Religiosi in suo, pariterq; Coniugatorum in suo. Quartò. Obseruationem earum rerum, quæ licet non subsint necessitati absolutæ, plurimùm tamen conducunt ad ea, quæ sunt de necessitate præstanda, quandoquidem etiam ista participãt aliquam necessitatem propter alia, quibus deseruiunt; & ad quorum consecutionem ordinantur: media enim participant de natura finis. Ponamus exemplum. Experimẽto aliquis benè nouit quòd, quando se singulis diebus recolligit aliquantulum ad discutiendum se ipsum & ad agendum cum Deo de animæ suæ remedijs, eius vita magis ordinatè procedit, fortius habet super suas passiones dominium; & maiorem promptitudinem, & facilitatem habet ad opera virtutum. E contrà verò quando in hoc deficit, statim spiritus languescit, labiturq; in multos defectus, & penè renertitur ad præteritam vitam, quia non adhuc firmas iecit in virtute radices. Iste sibi persuadere debet se à Deo vocari ad tale exercitium, quia clarè videt per tale exercitiũ sibi auxiliũ superimpendi, & ab illo deficere.

Hoc dicimus non vt velimus hic adesse necessitatem præcepti; sed necessitatem quamdam medij valdè opportuni & conducentis ad satisfaciendum professioni status. Sic de similibus operibus; quorum exercitatio multùm iuuat ad vitam rectè transigendam, & quorum defectus multùm obest: quamuis in his, & omnibus dubijs consilium meliorum sequendum sit.

Præ

Prædicta regula ſeruanda eſt inter ſeruitia voluntaria, & neceſſaria Deo præſtanda, vt ſemper neceſſaria præferantur voluntarijs. Sed inter voluntaria ſequens regula ſeruari poterit. Sciendum eſt igitur quod ex voluntarijs quædam ſunt publica, quædam ſecreta. Rurſus ad aliqua conſequitur honor, lucrum, & delectatio. Ad alia nihil ex his. Igitur inter iſta (ni errare velis) ſemper de publicis plus quidpiam dubitationis habere debes, quàm de occultis: & de ijs, quæ aliquid intereſſe adiunctum habent, maiorẽ ſuſpicionem quàm de puris & vacuis; quia natura amoris proprij adeò ſubtilis exiſtit, vt ſemper ſe ipſum quærat etiam in operibus magnæ Sanctitatis. Hoc autem non dicimus vt alterum extremorum teneamus; etenim in altero quãdoq; plus obligationis, & plus meriti; ſed vt caueamus ab amoris proprij verſutijs ne homo nimium fidat ſimilibus operibus quamuis ſub ſpecie virtutis appareant.

Prædictos tres gradus Obedientia perfecta complectitur ſcilicet Præceptorum, Conſiliorum, Inſpirationum; quibus gradibus poteſt addi quartus, perfectiſſima ſcilicet Conformitas cum voluntate diuina in omnibus, quæ de nobis diſponere ſibi placuerit per infamiam, & bonam famam: per honores & contumelias: per diuitias & paupertates: per bonã & malam valetudinem: per mortem & vitam, ſubmittendo humiliter ac deuotè noſtras diuinæ voluntati ceruices & cum Propheta *Pſal.* 56 dicendo *Paratum Cor meum Deus paratum Cor meum. Cantabo & pſallam in gloria mea.* Ex omnibus prædictis videtur ſatis fieri (pro modulo fragilitatis humanæ) & præſentis vitæ curriculo parti Iuſtitiæ, quæ verſatur circa Deum.

§. 5. De Iustitia erga Proximum.

ALtera pars Iustitiæ versatur circa Proximũ, Hæc Iustitia satis impletur exercendo illam Charitatem, quam Deus mandat de proximis nostris. Quàm sæpe, & quàm seriò hæc Iustitiæ pars, & hæc Charitas nobis in diuinis literis iniungatur nemo satis nouit, nisi qui legerit, & attẽtè diuina stimonia ponderauerit. Lege Prophetarum oracula, lege Euangeliorum volumina, lege Epistolarũ documenta, vbiq; adeò hanc rem sublimatam inuenies, vt tibi pariat admirationem. Sed de Charitatis erga Proximum satis suprà cap. 8. Hic tantummodo nonnulla addemus, quibus officia frequentiora Charitatis erga Proximum explicabuntur. Suppono primùm nomine proximi venire superiores, æquales, & inferiores: Per Iustitiam igitur quæ reddit vnicuiq; quod suum est; reddimus (vt ait Bernardus) superioribus reuerentiam: æqualibus auxilium adiuuando, consilium instruendo: subditis autem custodiam, & si deliquerint disciplinam. Verùm ea, quæ communius omnibus, & quotidie ferè præstare debemus proximis nostris, quicunq; illi sint, redigi possunt ad ista sex videlicet. 1. Amare. 2. Consilium dare. 3. Succurrere. 4. Sufferre. 5. Parcere. 6. Ædificare bono Exemplo. Quæ Operationes talem cum Charitate coniunctionem habent, vt qui plus de illis habuerit, plus etiam de Charitate habere intelligatur: & qui minùs de illis minùs etiam de ista. Nam sunt nonnulli, qui amant: verùm hic illorum amor est otiosus, nullumq; sui signum ostendit. Alij amant quidem, & Consilijs quidem prosunt; sed non extendunt manus ad subueniendum Pauperibus in necessitate. Alij amant, dant consilium, & succurrunt in necessitatibus quantùm eorum vires patiuntur, sed non patienter ferunt iniurias, neq; portant aliorum infirmitates, iuxtà monitum Apo-

stoli,

Digitized by Google

ſtoli, Galat. 6. *Alter alterius Onera portate, & ſic adimplebitis Legem Chriſti.* Alij fuerunt quidem iniurias patienter, verùm non miſericorditer ex corde remittunt; & quamuis intus deponant odium, exterius tamen vultus hilaritatem non exhibent. Alij ad omnia prædicta ſe extendunt quia & amãt, & dant conſilium, & opitulantur, & ſufferunt, & remittunt: ſed in potiori deficiunt, quia non ædificant proximum ſuum verbo & exemplo; imò plus nocent prauis moribus quàm proſint largitionibus. Conſideret ergo vnuſquiſq; ſemetipſum, & iuxtà præfatum ordinem poterit dignoſcere quotum Charitatis & Iuſtitiæ gradum obtineat. Prædicta ſex ſunt Actus poſitiui quos frequentiores erga proximum habere ſolemus. Sunt etiam & quidam alij actus à quibus abſtinere debemus; ideoq; negatiui dicuntur; & ſunt hi. 1. Neminem iudicare. 2. Nemini derrahere. 3. Neminem lædere in bonis temporalibus, in honore, in vita. &c. 4. Nemini ſcandalum inferre verbis contumeliboſis & iniurioſis; & præcipuè prauis exẽplis. Quicunq; iſta præſtiterit ſatis abundè adimpleuerit hanc partem Iuſtitiæ, & erga Proximum Charitatis: & ſi prædicta omnia benè memoriæ tenere volueris ac vnico verbo comprehendere, coneris habere erga Proximũ Cor Matris. Vide, & conſidera quomodo Mater amet ſuum filium? quomodo ipſum admoneat? quomodo in neceſſitatibus illi ſubueniat? quomodo illius ſuſtineat defectus aliquando patienter ferendo, aliquando amanter puniendo, aliquando prudenter celando & diſſimulando. Vide & cõſidera quomodo gaudeat de bonis, & quomodo triſtetur de malis filij? quomodo zeletur illius honorem & vtilitatem? quantam de illius cõmodis ſolicitudinem gerat? quàm frequenter pro illo preces ad Deum fundat? quantam deniq; curam, & quot labores pro illius commodis, honore, & vtilitate ſuſcipiat. Si huiuſmodi Cor Matris erga proximũ acquiſieris, non dubites te ad perfectum huius partis Iuſtitiæ per-

gradū pertigiſſe, ſi autem non attigiſti, ſaltem ad hoc ſignū debes omnia tua deſideria collimare. Si quæras qua ratione fieri poſſit vt quis huiuſmodi Cor Matris erga extraneū gerat? Reſpondeo. Reſpiciendo proximum non vt extraneum, non vt ignotum, non vt alienigenam, non ſecundùm faciem; ſed vt opus manuum Dei, vt Creaturam eius, vt Imaginem eius, vt Filium eius, vt ordinatum ad participationem gloriæ eius, vt membrum Chriſti viuum; Nam frequenter Apoſtolus aſſerit nos omnes Chriſti membra eſſe, ideòq; qui in proximum peccat, peccat in Chriſtum; & qui proximo bene facit, ipſi Chriſto bene facit. Erubeſcere vtiq; debemus quòd maiorem in nobis vim habeat natura, quàm gratia; plus poſſit vnio naturæ, quàm vnio ſpiritus. Si fratres ſe inuicem amant quia ex vna radice ſanguinis procedunt; cur nos inuicem nō debemus amare qui habemus vnum Patrem Deū, vnam Matrem Eccleſiam, vnum Deum IESVM Chriſtum, vnum Baptiſma, vnam Fidem, vnam Spem, vnum alimentum Corporis Chriſti, vnum Spiritum viuificantem?

§. 6. *De iuſtitia erga ſe ipſum.*

DEbet quicunque verè iuſtus eſſe deſiderat quemadmodum erga Deum Cor Filij, & erga Proximū Cor Matris, ita erga ſemetipſum Cor Iudicis induere. Spectat autem ad rectum & prouidum Iudicem vniuerſam ſuam Rempublicam ordinatam ac benè formatam habere: ad quod præſtandum duo potiſſimum requiruntur Prudētia ſcilicet, & Fortitudo. Prudentia, inquam, vt benè intelligat, & percipiat quid ſibi ſit agendum: Fortitudo autem vt quæ viderit adimplenda executioni demandet. Et quoniam in hoc microcoſmo hominis duæ partes præcipuæ ſunt reformandæ, nempe Corpus cum omnibus membris & ſenſibus exterioribus; & Anima cum omnibus eius affectionibus & po-

tentijs: ideò omnia ista sunt optimè dirigenda.

Quoad Corpus. Expedit vt hoc non molliter, suauiter, & deliciosè; sed asperè, & rigidè pertractetur. Nam quemadmodum caro demortua indiget sale & myrrha (quæ amara est) vt conseruetur; quibus rebus si destituatur breui temporis spatio corrumpitur, putrescit, ac vermibus scatet. Ita corpus hoc nostrum, si blanditijs & delitijs afficiatur, statim corrumpitur, atq; vitijs imbuitur: si verò disciplinæ rigore atq; asperitate tractetur, virtutum odorem retinet, & seruatur illæsum. Sint nobis in exemplum celeberrimæ Ciuitates, Imperia, & Regna, quæ delicijs, vitijs, & luxu enerua tæ à dignitatis suæ culmine ceciderunt: quoniam nihil est quod homines magis eneruet, atq; ad omnem virtutem minus habiles reddat, quàm superfluus vsus & abundantia deliciarũ, ac voluptatũ. Hac igitur de causa expedit vt corpus nostrum in omnibus asperè, & rigorosè tractetur, in cibo, in potu, in lecto, in indumento, in habitatione, denique in omnibus quæ corpori deseruire possunt, in quibus non habenda est ratio voluptatis, sed necessitatis. Huc etiam referẽda est compositio & disciplina hominis exterioris seruando monitum Sancti Augustini in incessu, in habitu, in conuersatione, nihil vt aliorum oculos lædere possit, sed quod nostræ conuenit sanctitati professionis. Sed de hoc Deo dante fusius agemus par. 2. huius operis cum de informatione Ecclesiasticorum circa exteriora tractabimus.

Quoad Animam. In hac microcosmi parte quatuor veniũt consideranda, quæ omnia ordinatione, & reformatione indigent. Sunt autem Appetitus sensitiuus: & Appetitus intellectiuus: Imaginatio: & Intellectus.

Appetitus sensitiuus comprehendit omnes affectiones, & motus naturales, qui alio vocabulo dicuntur passiones, & sunt vndecim sex in vi concupiscibili huius appetitus, & quinq; in vi irascibili. In concupiscibili insunt *Amor*, *Odium*,

De-

Desiderium, Fuga, Gaudium, Tristitia. In irascibili, *Spes, & Desperatio, Audacia, Timor, Ira.* Hæc est portio Animæ nostræ inferior, & ex consequenti ea, quæ nos brutis similes efficit, quæ in omnibus, & per omnia huiusmodi affectibus & passionibus gubernantur. Hæc præ omnibus nos contemptibiles reddit, ad terrena inclinat, & à Cælestibus auocat. Hæc est fons & origo omnium malorum, quæ in orbe terrarum visuntur. Hæc est nostræ perditionis causa, nam vt verè proloquitur Sanctus Bernardus. *Cesset voluntas propria, & infernus non erit.* (Per voluntatem autem propriam intelliguntur huius appetitus desideria.) Hæc est omnis armatura peccati; inde enim omne robur, omnia tela, & omnia armorum genera desumit, quibus lethaliter vulneret. Hæc est altera Eua, qua mediante serpens antiquus aggreditur Adamum nostrum (id est Superiorem animæ nostræ portionem, in qua residet ratio, intellectus scilicet & voluntas) vt illum emolliat & inclinet ad sumendum & comedendum de fructibus sibi interdictis. In hac parte cernitur virus peccati originalis, eiusq; fomes. Hìc prælia: hìc casus; hìc victoriæ; hìc triumphi. Hìc, inquam, casus debilium; hìc victoriæ fortium; hìc victorum triumphi. Hìc deniq; militat omnis virtutum Cohors vt effrenatam harum bellvarum libidinem compescat, & suaui rationis, nec non diuinæ legis iugo subijciat. Igitur hæc præcipua erit fidelis Christi discipuli cura, vt tanquam prudens ac diligens auriga semper harum currui passionum insideat, easq; dirigat & moderetur nunc laxãdo habenas, nunc trahendo illas, vt non ad libitum quoquouersus obambulent, sed recto tramite per semitas dictaminis rationis incedant. Hoc est præcipuum studium Filiorum Dei, qui iam non amplius iuxtà Carnis & Sanguinis desideria, sed iuxtà suauem Spiritus Sancti directionem mouentur & gubernantur. In hoc differunt carnales homines à Spiritualibus; quòd hi Spiritu Dei, & Ratione ducuntur: illi verò

rò tanquam animalia ratione carentia his affectibus & paſſionibus impelluntur. Hæc eſt illa mortificatio, illa myrrha tàm ſæpè in Sacris eloquijs commendata: Hæc eſt mors: hoc eſt ſepulchrum, ad quod tàm frequenter nos inuitat Apoſtolus: Hæc eſt crux, quam quiſq; ſuam tollere iubetur: Hæc eſt abnegatio ſui ipſius, quæ Chriſti Euangelium nobis inculcat: Hoc eſt facere Iudicium & Iuſtitiam, quod tàm frequenter à Pſalmis, Prophetis, & Legibus vſurpatur. Quapropter huc noſtros conatus omnes, huc labores, huc orationes, huc ſtudia, huc demum noſtras omnes exercitationes debemus referre. Præcipuè autem conuenit vt vnuſquiſque ſuam naturalem cõditionem ſuaſq; inclinationes benè calleat, benèq; percipiat, vt ibi maiores adhibeat cautelas, & remedia, vbi maius periculum videtur ineſſe. Et quamuis aduerſus omnes paſſiones, & affectus inordinatos, bellum nobis continuum ſit habendum, ſignanter tamen contra deſideria honorum, voluptatum, & diuitiarum illud habere nos conuenit; quoniam ex his tribus tanquam ex fontibus, & radicibus omnia mundi mala proueniunt. Caueamus etiam ne nimis propenſi ſimus, vt ſemper noſtra voluntas adimpleatur, noſtraq; deſideria executioni mãdentur; eſt enim vitium quod valdè diſponit ad lapſus, & ad perturbationes animi excitandas, multùmq; familiare Dominis, Magnatibus, ijſq; qui ſuæ voluntati obſiſtentiam fieri non patiũtur. Idcircò multùm proderit ſæpè exercere nos ipſos circa ea quæ noſtris ſunt contraria deſiderijs, & noſtram abnegare voluntatem in ijs etiam quæ alioquin ſunt licita; vt in illicitis poſtea modicam aut nullam reſiſtentiam ſentiamus.

Appetitus intellectiuus eſt Voluntas. Vt autem hæc pars & potentia ordinetur valdè conducunt hę præſertim tres inter cæteras virtutes, videlicet cordis Humilitas; Spiritus paupertas; & ſui ipſius ſanctum quodammodo Odium.

Humilitas, vt inquit Bernardus, eſt virtus, *qua quis veriſ-*

ſimiæ ſui cognitione ſibimet vileſcit. Huius virtutis proprietas eſt depellere ab Anima ſuperbiam cum filiabus eius, omneſq; appetitus honoris, efficereq; vt homo ſe in infimo Creaturarum loco conſtituat ſibi certo ſuadendo quòd, ſi Dominus Deus cuicunq; alteri talia dona, tales benè viuendi commoditates & auxilia tribuiſſet, abſque dubio huiuſmodi homo gratior pro acceptis beneficijs exiſteret, quàm ipſe; meliùſq; tantis vteretur commoditatibus. Neq; ſatis eſt, vt homo habeat intra ſe hanc cognitionem, ſibiq; interiùs vileſcat, ſed opus eſt vt etiam exteriùs demiſſius conuerſetur quantum ſui ſtatus dignitas patitur, pro nihilo habendo iudicia & obtrectationes hominum qui terrena ſapiunt, & qui nobis in hoc contradicunt; nam omnia noſtra ſapere debent pauperratem atq; animi demiſſionem ſubijciendo nos metipſos propter amorem Dei non ſolùm maioribus; ſed æqualibus, & inferioribus.

Paupertas ſpiritus eſt virtus; qua homo voluntariè deſpicit res mundanas, & benè contentus eſt ſorte ſua, in qua Deus illum conſtituit etiam ſi pauperem vitam ducat. Hæc virtus vno ictu præcidit radicem omnium malorum, quæ eſt cupiditas; ſtatuitq; hominem in tanta Cordis tranquillitate, vt auſus ſit Seneca in hæc verba prorumpere. *Qui ſuæ cupiditatis deſideriȝs ianuas clauſit, cum ipſo etiam Ioue poteſt de felicitate certare.* Volens innuere, ex quo felicitas hominis conſiſtit in ſatietate Cordis, quòd qui ad ſuorum deſideriorum quietem deuenit; iam ad ſuæ culmen felicitatis peruenit; vel ſaltem magnam illius partem inuenit.

Odium Sanctum ſui ipſius tertia virtus eſt, quæ multùm confert ad voluntatis reformationem. De qua virtute Saluator ait. Ioan. 12. *Qui amat animam ſuam perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo in vitam æternam cuſtodit eam.* Quod non eſt intelligendum de odio, quo deſperati homines proſequũtur ſe ipſos, ſed de odio quo Sancti proſequuti

ſunt

sunt carnem suam (vtpote quæ fuit illis multorum malorum causa, & impedimentum multorum bonorum) tractando illam non secundùm sua desideria; sed secundùm legem rationis, quæ sæpissimè dictat vt illã rigidè tractemus & subijciamus spiritui, vt velit, nolit, cogatur perficere ea quæ sunt Dei; sin secus continget nobis illud Sapientis. Prou. 29. *Qui seruum suum delicatè nutrit à iuuentute, inueniet postea illum contumacem.*

Præter dictas duas potentias appetitiuas, sunt in anima nostra aliæ duæ cognoscitiuæ (si sic mihi dicere liceat) Imaginatio scilicet, & Intellectus, quæ respõdent quodammodo alijs duabus prædictis, vt vnusquisq; dictorum appetituum habeat ducem quodammodo sibi proportionatum.

Imaginatio igitur quæ est inferior Intellectu, qua nos efformamus & exprimimus imagines & phantasmata, minus subdita rationi facta est ex peccato. Hinc fit vt sæpè tanquam seruus fugæ deditus procul à nobis habeat absq; venia; & prius per multa discurrerit antequam vbi sit deprehendamus. Est autem veluti syluestris bellua, quæ impatiens dominij, nescit habere locum, vbi commoretur. Opus est igitur vt illam quodammodo ad præsepe alligemus detinendo illam in consideratione rerum non nisi vtilium, & necessariarum: de cætero aditum illi præcludendo ad cogitationes vanas, & inutiles, peruersas, & alienas. Qua in re non mediocri discretione & vigilantia opus est, vt discutiamus quas cogitationes tanquam proficuas amplectamur, quas velut nociuas repellamus; qui enim in hoc parùm vigilant, sæpè admittunt in cubiculo animæ multa illicita, & nociua, quæ non solùm deuotionem & Charitatis feruorem, sed ipsammet Charitatẽ, in qua vita animæ consistit, labefactant.

Intellectus est nobilior & superior omnium Animæ potẽtiarum. Hæc igitur potentia dirigitur, reformatur, & ordinatur virtute Prudentiæ & Discretionis. De qua virtute su-

sè egimus suo loco suprà cap. 8. de qua ibi. Et sic reformatis istis quatuor hominis potentijs abundè habetur Iustitia erga se ipsum.

CAPVT XII.

De Castitate, & Pudicitia, & Continentia.

INter præcipuas virtutes, quas Apostolus noster requirit in Ecclesiasticis sunt Castitas, Pudicitia, & Continentia. Nam 1. ad Timot. 3. ait. *Prudentem Pudicum &c.* Et cap. 4. *Esto exemplũ fidelium in verbo &c. & Fide: in Castitate.* Et cap. 5. *Te ipsum castum custodi.* Et ad Titũ: *Sobrium, Iustum Sanctum, Continentem.* Istæ virtutes magnam habent inter se affinitatem, & aliquando vna sumitur pro alia (vt infrà videbitur) quia versantur circa eandem materiam, scilicet circa delectationem venereorum: ideò sub eodem capite de illis agemus videndum est igitur. 1. Quid sit: & vnde dicatur Castitas. 2. Quid sit, & vnde dicatur Pudicitia. 3. Quid sit Continentia. 4. De excellentia Castitatis. 5. De necessitate illius præsertim in Ecclesiasticis viris. 6. De motiuis ad illam amplectendam. 7. De gradibus illius. 8. De remedijs ad illam conseruandam; & contrà vitium Luxuriæ illi contrarium.

§. 1. *Quid sit, & vnde dicatur Castitas.*

CAstitas dicitur ex hoc, quod per rationem Concupiscentia delectabilium secundùm tactum castigatur, quæ ad modum pueri est refrænanda, vt patet per Philos. in 3. Ethic relatum à Diuo Thoma 2. 2. q. 151. art. 1. & potest sic definiri. *Castitas est virtus per quam aliquis secundùm iudicium rationis, & electionem voluntatis moderatè vtitur corporalibus membris.*

Du-

Dupliciter nomen Caſtitatis accipitur. Vno modo propriè; & ſic Caſtitas eſt quædam ſpecialis virtus habens ſpecialem materiam, ſcilicet concupiſcentiam delectabilium, quæ ſunt in venereis. Alio modo nomen Caſtitatis accipitur metaphoricè. Sicut enim in corporis coniunctione conſiſtit delectatio venereorum, circa quam propriè eſt Caſtitas: & oppoſitum vitium ſcilicet Luxuria: ita etiam in quadam ſpirituali coniunctione mentis ad res aliquas, conſiſtit quædam delectatio, circa quam eſt quædam Spiritualis Caſtitas metaphoricè dicta; vel etiam Spiritualis Luxuria ſeu Fornicatio ſimiliter metaphoricè dicta. Si enim mens hominis delectatur in ſpirituali coniunctione ad id, cui debet coniungi, ſcilicet ad Deum, & abſtinet ſe ne delectabiliter alijs coniungatur contrà debitum diuini ordinis, dicetur Caſtitas Spiritualis ſecundùm illud 2. ad Corint. 11. *Deſpondi vos vni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto.* Si autem delectabiliter contrà debitum diuini ordinis coniungatur mens quibuſcunq; alijs rebus, dicetur fornicatio ſpiritualis ſecundùm illud Ierem. 3. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis.* Et hoc modo accipiendo Caſtitatem, eſt generalis virtus: quia per quamlibet virtutem retrahitur mens humana ne rebus illicitis delectabiliter coniungatur. Principaliter tamen ratio huius Caſtitatis conſiſtit in Charitate, & in alijs virtutibus Theologicis, quibus mens hominis coniungitur Deo. *Ita D. Thom. loc. cit. art.* 2.

§. 2. *Quid ſit, & vnde dicatur Pudicitia.*

NOmen Pudicitiæ à pudore ſumitur qui idem eſt ac verecundia *vt inquit D. Thom.* 2. 2. *q.* 151. *art.* 4. Et ideo oportet quod Pudicitia propriè ſit circa illa, de quibus homines magis verecundantur. Maximè autem verecundantur homines de actibus venereis, *vt Auguſt. dicit in* 14. *de Ciuit.*

Dei. in tantùm, quòd etiam concubitus coniugalis, qui honestate nuptiarum decoratur, verecundia non careat. Et hoc ideò, quia motus genitalium membrorum non subijcitur imperio rationis, sicut motus aliorum exteriorum membrorum, vnde in hac parte homo valdè accedit ad naturam animalium brutorum, quæ non habent rationem in se ipsa dominante. Verecundatur autem homo non solùm de illa commixtione venerea, sed etiam de quibuscunq; signis eius, *vt Philos. dicit in 7. lib. Rhet.* Et ideò Pudicitiæ attenditur propriè circa venerea, & præcipuè circa signa venereorum; sicut sunt aspectus impudici, oscula, & tactus. Et quia hæc magis solent deprehendi; ideò Pudicitia magis respicit huiusmodi exteriora signa. Castitas autem ipsam veneream commixtionem. Et ideò Pudicitia ad Castitatem ordinatur non quasi virtus ab ipsa distincta, sed sicut exprimens Castitatis circumstantiam quandam. Interdum tamen vnum pro alio ponitur. Ita D. Thom. loc. cit. Est igitur Pudicitia propriè loquendo virtus quædam, per quam homo conseruat pudorem refrænando Concupiscentiam à delectabilibus circa signa venereorum, vt sunt tactus, oscula, &c.

§. 3. *Quid sit Continentia.*

NOmen Continentiæ refrænationem quandam importat, in quantum scilicet tenet se aliquis ne passiones sequatur. Et ideò propriè Continentia dicitur circa illas passiones, quæ impellunt ad aliquid prosequendum, in quibus laudabile est vt ratio retrahat hominem à prosequendo. Non autem propriè est circa illas passiones, quæ important retractionem quandam sicut timor, & alia huiusmodi. In his enim laudabile est firmitatẽ seruare in prosequẽdo quod ratio dictat. Est autem considerandum quod naturales inclinationes principia sunt omnium superuenientium. Et

ideò

ideò paſſiones tantò vehementius impellunt ad aliquid proſequendum quantò magis ſequuntur inclinationem naturæ, quæ præcipuè inclinat ad illa, quæ ſunt ſibi neceſſaria, vel ad conſeruationem indiuidui ſicut ſunt Cibi, vel ad conſeruationem ſpeciei ſicut ſunt actus venerei, quorum delectationes ad tactum pertinent. Et ideò Continentia ſicut & incontinentia propriè verſantur circa concupiſcentias delectationum tactus.

§. 4. *De Caſtitatis excellentia.*

EX pluribus capitibus poſſem inſignis huius virtutis excellentiam demonſtrare; ſed ne à breuitatis inſtituto aberrem; ad tria capita eius prærogatiuas reducam. 1. Quia reddit homines, qui tali virtute præfulgent, ſuperiores alijs hominibus. 2. Quia facit illos Angelis æquales. 3. Quia etiam ipſi Deo ſimillimos reddit; & ex conſequenti ipſi acceptiſſimos.

Primò. Igitur Caſtitas reddit homines alijs hominibus ſuperiores, ſuperiores inquam, non diuitijs, non nobilitate, non poteſtate, non famulatu, non viribus corporis: ſed Virtute, ſed Claritate, ſed Veneratione, ſed Admiratione, ſed Aptitudine ad magna perficienda, ſed Memoria immortali. Expendamus ſingula.

Virtute. Quia ſicut is, qui vitio Luxuriæ ſubiacet, magnam indicat animi imbecillitatem eò quòd non valet reſiſtere, nec frænare ſuas concupiſcentias, quæ illum impellunt ad libitum: ita qui per Caſtitatem impetum carnis ſub iugo rationis refrænat, magnum præſeferr animi robur, virtutem, & fortitudinem. Qui equo indomito inſidens ſineret ſe ab equo ferri quocunq; irrueret, nec valeret illum habenis & fræno compeſcere, nonne diceres hunc imbecillem, vilem, ignauum, puerum? & ſi alter huiuſmodi equo inſideret, &

illum

Dei. in tantùm, quòd etiam concubitus coniugalis, qui honestate nuptiarum decoratur, verecundia non careat. Et hoc ideò, quia motus genitalium membrorum non subijcitur imperio rationis, sicut motus aliorum exteriorum membrorum, vnde in hac parte homo valdè accedit ad naturam animalium brutorum, quæ non habent rationem in se ipsa dominante. Verecundatur autem homo non solùm de illa commixtione venerea, sed etiam de quibuscunq; signis eius *vt Philos. dicit in 7. lib. Rhet.* Et ideò Pudicitia attenditur propriè circa venerea, & præcipuè circa signa venereorum; sicut sunt aspectus impudici, oscula, & tactus. Et quia hæc magis solent deprehendi; ideò Pudicitia magis respicit huiusmodi exteriora signa. Castitas autem ipsam veneream commixtionem. Et ideò Pudicitia ad Castitatem ordinatur non quasi virtus ab ipsa distincta, sed sicut exprimens Castitatis circumstantiam quandam. Interdum tamen vnum pro alio ponitur. Ita D. Thom. loc. cit. Est igitur Pudicitia propriè loquendo virtus quædam, per quam homo conseruat pudorem refrænando Concupiscentiam à delectabilibus circa signa venereorum, vt sunt tactus, oscula; &c.

§. 3. *Quid sit Continentia.*

NOmen Continentiæ refrænationem quandam importat, in quantum scilicet tenet se aliquis ne passiones sequatur. Et ideò propriè Continentia dicitur circa illas passiones, quæ impellunt ad aliquid prosequendum, in quibus laudabile est vt ratio retrahat hominem à prosequendo. Non autem propriè est circa illas passiones, quæ important retractionem quandam sicut timor, & alia huiusmodi. In his enim laudabile est firmitatẽ seruare in prosequẽdo quod ratio dictat. Est autem considerandum quod naturales inclinationes principia sunt omnium superuenientium. Et

ideò

ideò paſſiones tantò vehementius impellunt ad aliquid proſequendum quantò magis ſequuntur inclinationem naturæ, quæ præcipuè inclinat ad illa, quæ ſunt ſibi neceſſaria, vel ad conſeruationem indiuidui ſicut ſunt Cibi; vel ad conſeruationem ſpeciei ſicut ſunt actus venerei, quorum delectationes ad tactum pertinent. Et ideò Continentia ſicut & incontinentia propriè verſantur circa concupiſcentias delectationum tactus.

§. 4. *De Caſtitatis excellentia.*

EX pluribus capitibus poſſem inſignis huius virtutis excellentiam demonſtrare; ſed ne à breuitatis inſtituto aberrem; ad tria capita eius prærogatiuas reducam. 1. Quia reddit homines, qui tali virtute præfulgent, ſuperiores alijs hominibus. 2. Quia facit illos Angelis æquales. 3. Quia etiam ipſi Deo ſimillimos reddit; & ex conſequenti ipſi acceptiſſimos.

Primò. Igitur Caſtitas reddit homines alijs hominibus ſuperiores, ſuperiores inquam, non diuitijs, non nobilitate, non poteſtate, non famulatu, non viribus corporis: ſed Virtute, ſed Claritate, ſed Veneratione, ſed Admiratione, ſed Aptitudine ad magna perficienda, ſed Memoria immortali. Expendamus ſingula.

Virtute. Quia ſicut is, qui vitio Luxuriæ ſubiacet, magnam indicat animi imbecillitatem eò quòd non valet reſiſtere, nec frænare ſuas concupiſcentias, quæ illum impellunt ad libitum: ita qui per Caſtitatem impetum carnis ſub iugo rationis refrænat, magnum præſefert animi robur, virtutem; & fortitudinem. Qui equo indomito inſidens ſineret ſe ab equo ferri quocunq; irrueret, nec valeret illum habenis & fræno compeſcere, nonne diceres hunc imbecillem, vilem, ignauum, puerum? & ſi alter huiuſmodi equo inſideret, & illum

illum fræno, & calcaribus ad ſui obedientiam redigeret, & circumduceret quò vellet, nonne hunc fortem, & ſtrenuum, & verè virum reputares? Ita planè. Sic luxurioſus imbecillis eſt, vilis eſt, ignauus eſt, puer eſt; quia neſcit, nec valet equum ſui appetitus concupiſcibilis moderari: è contrà Caſtus fortis eſt, ſtrenuus eſt, & verè vir eſt, quia ſcit & valet equum hunc indomitum edomare. Hinc quidam è ſapientibus dixit. *Fortis eſt qui hoſtem, fortior qui cupiditatem, fortiſſimus qui ſeipſum vincit.*

Claritate. Quia caſti celebrantur, & laudantur ab alijs; eſt autem Claritas, notitia quædam alicuius cum laude coniuncta. Vnde de his habetur Sap. 4. *O quam pulchra eſt casta generatio cum Claritate, immortalis eſt enim memoria illius, quoniam apud Deum nota eſt, & apud Homines.*

Veneratione. Quia caſti honorantur & in ſumma veneratione habentur; adeò vt etiam inter gentiles illi, qui caſtitatem colebant, in ſumma veneratione haberentur; vt patet de virginibus veſtalibus apud Romanos.

Admiratione. Quia caſti ſuſpiciuntur, & tanquam communem hominum cætum excedentes, & vt ita dicam, prodigium quoddam admirationem quandam pariunt cæteris hominibus. Nulla virtus eſt clarior, aut formoſior, aut admirabilior Caſtitate. Apud etiam infideles digna fuit laudibus abundare, & fama ſimul & gloria coruſcare. Ponit enim Titus Liuius de bello punico lib. 9. quod cum Nauis qua de Phrigia aduecta erat Romam Dea Berecynthia ita fortiter hæreret terræ quod nulla vi moueri poſſet quædam Matrona dicta Claudia ita flexis genibus orauit, vt ſi Dij eam caſtam iudicarent; nauis illa, quam cingulo ſuo alligauerat, ſequeretur, & factum eſt. Ex quo patet, quod Caſtitas non ſolùm teſtimonio Dei, ſed etiam teſtimonio Dæmonum eſt famoſa & præclara.

Aptitudine. Nimirum ad præclara facinora ſuſcipienda & præ-

& præstanda. Quomodo Christi Apostoli, & Discipuli mũdum vniuersum prædicationi Euangelij subegissent? quomodo vexillum Crucis vbiq; terrarum extulissent nisi soluti à lege vxoria, à thori maritalis vinculo, & à liberorum cura Angelicæ huius virtutis splẽdore tulfisſẽt? Certè de Apostolis (excepto Petro) quòd vxores non habuerint extat authoritas Sancti Hieronymi lib. 5. aduersus Iouinian. cap. 14. *Excepto Apostolo Petro*, inquit, *cum non sit manifestè relatum de alijs Apostolis quòd vxores habuerint, intelligere debemus sine vxoribus eos fuisse, de quibus nil tale Scriptura significet*. Et in fine Apologiæ suæ pro libris in Iouinianum ad Pammachium (Christus Virgo, Virgo Maria, vtriusq; sexus Virginitatem dedicauere: Apostoli vel Virgines, vel post nuptias continentes: Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui; aut certè post Sacerdotium in æternum pudici) quomodo etiam institutores Religionum tantã prouinciam assumpsissent & ad optatum finem perduxissent, nisi ad cæteras virtutes Castitatis singulare præsidium adiunxissent? Hæc enim carnem subdit spiritui; sensum rationi; corpus Animæ. Hæc corporis vires conseruat, sanitatem tuetur, sensus illustrat, illuminat intellectum, interiora componit, exteriora decorat, fouet memoriam, excitat voluntatem, magna molitur, mentem diuinis charismatibus aptam efficit; Homines è terrenis Cælestes, Angelis æquales, & Dei simillimos reddit; vt mox dicetur.

Secundò. Castitas facit homines Angelis æquales; non natura sed conditione. Non nostra est assertio; sed ipsius Christi Domini, qui Matth. 22. sic inquit. *In resurrectione neq; nubent, neq; nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.* Hinc *Cyprianus Virgines quasdam alloquens sic scribit*. [Quod postea habituræ estis in gloria, iam nunc in hac vita illud habere incipitis; quia quam diu in Castitate, & puritate viuitis, æqualis estis Angelis. *Diuus Bernardus epist. 42. ad Henricũ Senonensem Epi-*

sco-

scopum inquit. Quid Castitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum deniq; de Homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus, & Angelus, sed felicitate non virtute: sed etsi illius Castitas felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur. Sola est Castitas, quæ in hoc mortalitatis & loco, & tempore statum quendam immortalis gloriæ repræsentat. *Sanctus Cyrillus Hierosolymit. Catechesi 12. illuminatorum sic ait.* Non ignoremus Castitatis gloriam, Angelica enim est corona & super Hominem hæc perfectio: parcamus corporibus, quæ lucere debẽt sicut Sol, Ne propter paruam voluptatem tantum ac tale corpus poluamus paruum enim est ad horam peccatum, longæua autem est ex eo, & æterna verecundia.] Id ipsum confirmans *Cassianus lib. de institut. renunt. cap. 6. ait*, nulla virtute ita homines Deo similes fieri ac Castitate: per eam namque ita purè viuunt in carne tanquam si carnis essent expertes, & purissimi essent spiritus, secundùm illud Apostoli Rom. 8. *Vos autem in carne non estis sed in spiritu.* Ipsos quinimo Angelos in hoc aliquo modo superamus; nam quia hi corpore carent, propterea mirum non est hac illos puritate præditos esse: sed hominem in carne hac mortali, quæ tam acre bellum, & assiduam rebellionem spiritui mouet, viuentem ita viuere quasi ea circundatus non esset, sed purus spiritus foret, longè sanè præstantius est, prodigioque simillimum.

Tertiò. Castitas reddit homines Deo similes. Hinc *Sanctus Basilius lib. de Virginitate*, [Magnum reuera quiddam, ac præclarum Virginitas est, quæ vt totum simul explicem, hominem incorruptibili Deo simillimum facit. Hęc autem profectò non à corporibus ad animas manat; sed cum incorporalis animæ propria, & præcipua sit, eius pretiosissima integritate corpora quoq; incorrupta seruantur. Et quia Castitas hominem simillimum reddit, facit & charissimum quia

mo-

morum similitudo amorem conciliat, & glutinat, qua Charitate Deo intimè cohæret. Deus enim Charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.] Et hæc est causa cur tantopere virtus hæc placeat Deo, vt cum Vnigenitus Dei Filius carnem humanam assumere, & è muliere nasci decerneret; nonnisi è Virgine, quæ insuper suã (vt Sancti Patres notant) Virginitatem per votum Deo nũcupasset, nasci voluerit. Sanctus Ioannes in Apocalipsi 14. vidisse se ait supra montem Sion (scilicet in Cælo) Agnum IESVM CHRISTVM, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, quæ canticum nouum cantabant: neminem porrò canticum illum canere potuisse, nisi illa tantum centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hos esse, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, (Virgines enim sunt) atq; hos Agnum sequi quocunq; ierit. Notat autem hoc loco Sanctus Gregorius Virgines dici cum Christo in celso monte versari; quòd ob insigne & eximium Castitatis meritum in gloria exaltati sint. Et quã ob causam putamus Sanctum Ioannem Euangelistam plus cæteris discipulis à Christo Domino dilectum fuisse? (Hoc enim modo eum Euangelium designat *Discipulus ille quem diligebat IESVS*) nisi ob specialem prærogatiuam Castitatis & Virginitatis? Sic asserunt Sanctus Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum. Sanctus Augustinus tract. vlt. in Ioan. 21. & alij. Quod etiam in eius festiuitatis officio Ecclesia videtur insinuare dum canit. *Diligebat autem eum Iesus, quoniam specialis prærogatiua Castitatis ampliori dilectione fecerat dignum; quia Virgo electus ipso, Virgo in æuum permansit.* Hac de causa tantopere illum amabat, & deliciosè complectebatur Dominus: ideò quoq; eum super pectus suum recumbere in Cæna fecit: & quod Sanctus Petrus, qui coniugatus erat, à Christo petere non fuit ausus; Ioanni innuit vt ab eodem sciscitaretur. Deinde cum in die resurrectionis Magdalena Apostolis, à mortuis Dominum surre-

xisse, nuntiasset: & ipse & Petrus pariter ad monumentum properarũt, sed ille hoc citius præ cucurrit: Aliàs, cũ in nauicula sua in mari Tiberiadis piscaretur, & Dominũ se in litore ad piscandum exhibentem cæteri non agnoscerent, solus Virgo (vt loquitur Hieronymus) oculis illis aquilinis Virginem agnouit, & dixit Petro *Dominus est*. Deniq; cum Redemptor de Cruce penderet, cuinam in vltimo illo suo testamento Matrem suam Virginem, nisi Discipulo Virgini commendauit? Sed missa faciamus plurima alia, quæ de Castitatis laudibus dici possent, & procedamus ad reliqua.

§. 5. *De necessitate Castitatis præsertim in Ecclesiastis Viris.*

Sanctus Augustinus serm. 249. de tempore [Omnibus, *inquit*, Castitas perneccssaria est; sed maximè Ministris Christi altaris, quorũ vita aliorum debet esse eruditio, & assidua salutis prædicatio. Tales enim decet Dominum habere ministros, qui nulla contagione carnis corrumpantur, sed potius continentia Castitatis splendeant, & totis honestis fulgeant in populo exemplis.]

Vidit olim Ioannes Euangelista Apocal. cap. 1. *Angelum vestitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea.* Hanc zonam Castitatis symbolum esse plurimi exponunt, qua Sacerdotes omnes, qui Angeli in Euangelio dicuntur, cinctos esse oportet.

Oza Cariathiarensis (vt habetur 2. Reg. 6.) eo quod arcam Domini labentem tangere præsumpsisset, temeritatis suæ pœnas dedit; ac repentina fuit morte percussus. Multorum Autorum opinio est; ideò illum vindictam diuinam sumpsisse quod immundus esset; & nocte præcedente coniugali se copula coinquinasset. *Iratusq; est indignatione Dominus contrà Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi iuxtà arcam Dei.* Mysterium docet Sacerdotes, ad quos egregiam

giam illam arcam testamenti, id est Sacram Eucharistiam tractare, & complecti spectat, semper mundos esse debere: qui verò polluta anima ad illam accedere præsumunt, Cœli vindictam prouocare, ac diuinam punitionem promérereri.

Præcepit olim Moysi Deus Exod. 28. vt seminalia linea concinnaret quibus Sacerdotes carnem turpitudinis suæ in renibus vsq; ad femora cooperirent. His verò Aaronem eiusq; filios vti voluit cũ tabernaculum testimonij ingrederẽtur. Quid aliud quæso hac ceremonia Deus insinuare voluit, nisi Castitatem & Puritatem Sacerdotibus imprimis necessariam esse? Hinc, vt ait Venerabilis Beda, Sacerdotibus semper seruanda est Castitas: & quoniam in veteri testamento Sacerdotes per successionem à progenie descendebant Aaronis, hinc necesse erat, vt vxoribus ad filiorum procreationem, qui in dignitate succederent, vterentur: sed modò quando carnalis successio non est necessaria; & omnia spiritualiter fiunt; Sacerdotibus, vt semper altari valeant assistere, semper est ab vxoribus abstinendũ, inuiolatèq; Castitas obseruanda. Neq; enim par est, & consentaneum vt qui sordibus & peccatorum maculis inquinatus est, ad res adeò sanctas & mysticas accedat.

Priscis temporibus de Tẽplis Sacerdotes anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec in domum quidem suam se conferebant, quamuis ad filiorum generationem matrimonij vsus, & coniugalis copula illis licita esset. Multò igitur magis noui testamenti Sacerdotes seruare Castitatem par est, fœminas non attingere, in Ecclesia permanere, & semper vitam puram ducere, cum officio suo nullo non tempore fungantur. Ita Innoc. 4. epist. 2. relatus in cap. tenere debet dist. 31. In signum verò huius Sacerdotalis pudicitiæ Sacerdotes omnes solemne Castitatis votum emittunt, perpetuamq; Deo Castitatem vouent, ad quam illos Ecclesia perpetuò obligat. Voti verba continentur in

actibus Sacrorum Conciliorum 2.& 1. Carthaginenſis. Africani. Romani 1. 2. 3 & Toletani, Agathenſis, Araufica-ni, Niceni, Melatenſis 1.& 2. Turonenſis 3.4.3.Aurelianen-ſis 1.Matiſconenſis, & Moguntini: & poſtremò Tridentini ſeſſ. 24.cap.9. igitur ex viginti circiter cõcilijs Sacerdotum Cælibatus ſtatuitur vt adnotauit Petrus Beſleus in opuſcu-lo de regali Sacerdotio lib. 2. cap. 4. Iuuat tamen hic refer-re verba. *Conc. Carthag. 2. relata in cap. Epiſcopus diſt. 32. ſic igi-tur Concilium ſtatuit.* [Volumus vt Sacerdotes omnes & Dia-coni quemadmodum Sanctos Prælatos, & bonos Dei Sacer-dotes, & omnes qui diuinis Sacramentis vacant, decet, ca-ſti ſint & omnibus in rebus continentes, vt eo facilius ac me-lius quæ à Deo ſibi dari poſtulant, obtineant: vt verò quod Apoſtoli docuere, & omnis ſemper obſeruauit antiquitas, nos quoq; inuiolatè obſeruemus, placet vt in omnibus & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur, qui altari deſeruiũt.] Pu-dicitia igitur ex mente Concilij Cælo Deoq; grata eſt, vt cum Sacerdos eamdem ſeruat, preces eiuſdem quàm pri-mùm exaudiantur.

Et Sanctus Leo Magnus Epiſt. 81. relatus in cap. omnium. diſt. 32. non ſolùm Sacerdotibus & Diaconis; ſed etiam Subdiaconis im-perat Caſtitatem dicens. [Ipſa namque Sacerdotis vocatio, ac munus adeò ex ſe ipſo eminens ac diuinum eſt, vt quod à cæteris Eccleſiæ membris ſine ſcelere ac delicto liberèque peragitur, illis maximo vitio vertatur: nam cum ijs, qui in in ſæculo viuunt, & ab ordine Clericali excluſi ſunt, matri-monium carnalis copulæ, ac liberorum procreatio licita ſit, ne Subdiaconis quidem ad maiorem puritatem deſignan-dam, matrimonij vſus, aut concubium licitum eſt.] Sed quid mirum ſi à noſtris Sacerdotibus alijſq; perſonis Deo ſacris hoc requiratur, ſi idem ipſimet Ethnici exquire-bant à ſacrificulis ſuis, quos à victimis immolandis pelle-bant, coſq; ſacrificare vetabant, niſi puri & integri ad im-

mo-

molandum accederent. Vnde Poeta quidã ex ipſis cecinit.

Vos quoq; abeſſe procul iubeo, diſcedite ab aris
Queis dedit heſterna gaudia nocte Venus,
Caſta placent ſuperis &c.

Et Cicero 2. de legibus in legum Romanorum commentario circa puritatem Sanctorum recenſet hanc legem. *Ad Dinos adeunto caſtè, pietatem adhibento, opes amouento: qui ſecus faxit, Deus ipſe vindex erit.*

Tàm ſtudioſi Romani veteres fuere Caſtitatis tãmq; ſeueri illius neglectæ animaduerſores, vt veſtales Virgines ſi quando Virginitatem proſtituiſſet, viuas terræ obruerent. Vnde Satyricus.

Sanguine adhuc viuo terram ſubitura Sacerdos.

Si igitur Ethnicorum leges tàm rigidè amiſſam in Veſtalibus pudicitiam puniuere, credendum haud dubiè eſt, leges tùm diuinas, tùm humanas multò grauius in Eccleſiaſticos ſiue Regulares ſiue Sæculares animaduerſuras, qui toties promiſſam & iuratam Caſtitatem violarint. Hæc igitur recogitemus Sacerdotes & timeamus.

§. 6. *De Motiuis ad Caſtitatem amandam & amplectendam.*

QVanquam Excellentia & Neceſſitas huius virtutis in præcedentibus paragraphis vtcunque expoſitæ ſatis ſufficientia motiua eſſe deberent non modò Eccleſiaſticis, ſed omnibus Chriſti fidelibus ad hanc Angelicam virtutem amplectendam; nihilominus etiam alia ſuperaddemus, vt efficacius obtineamus quod intendimus.

Sit igitur primum motiuum. Quòd impuris hominibus aditus non patet in Cælum. *Hoc ſcitote* inquit Apoſtolus ad Epheſ. 5. *intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hæreditatem in Regno Chriſti, & Dei.* Quod intelligitur de ijs etiam, qui animo ſo-

lùm

lùm impudici sunt, siue cupiditate, siue deliberato consensu ad carnis delectationes. Sanctissima enim Christi sententia est Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam iam mechatus est eam in corde suo.*

Secundum est. Quòd corpora nostra per baptismum effecta sunt membra Christi mystica, vnde iniuria culpæ luxuriæ redundat in ipsum Christum quod Apostolus considerādum proponit 1. Cor. 6. cum dicit. *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi.* Quare alibi Ephes. 1. idem Apostolus volens ad Sanctitatem gratiæ habitantis in vitis bonis prouocare, ait. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis sicut decet Sanctos, aut turpitudo &c.*

Tertium est. Quòd Castitas non est obscurum indicium prædestinationis. Siquidem prædestinati in scripturis vasa honoris appellantur: vt autem Apostolus 1. Thessal. 4. *Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisq. vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore.*

Quartum. Quòd Castitas ab infinitis nos propemodum malis liberat: attigit aliqua Sanctus Paulus 1. Cor. 7. vt illa *Volo vos sine sollicitudine esse. Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Et diuisus est. Cogitat quæ sunt mundi.* Plura hæc explicans recenset Chrysostomus lib. de virginitate.

Quintum est. Quòd pluribus bonis nos auget. Est enim Castitas radix sapientiæ, quare sapientissimi quiq; etiam castissimi. Ieremias, Daniel qui etiam virgines perseuerarunt. Apostoli, vt supra §. 4. innuimus. Sancti omnes noui testamenti quò doctrina præstantiores, eò & Castitate clariores. Confert robur corporis, & Animi. Vnde dictum Iudith 11. *Confirmatum est cor tuum eo quòd Castitatem amaueris.*

Sextum est. Exemplum Christi Domini, qui Virgo ex Virgine procreatus, primus Virginibus, & castis hominibus virginitatis perpetuæ vexillum extulit. Quare qui Castitatem se-

sectantur nomen Christo Matriq; eius Sanctissimæ dant. Hos duces ad amplissimam gloriam, hos antesignanos habent: Commilitones autem sanctos omnes; illos autem imprimis, qui ne Castitatem desererent, vitam deseruerunt.

Septimum est præmium, Quod castis quidem omnibus in Cælo paratum est magnum, maius autem Virginibus. Hi enim quòd Virgines sint, sequuntur agnum quocunq; ierit, & canunt canticum Agni. Deniq; dicebat Dominus. (*Qui potest capere capiat*) proponens, vt ait Sanctus Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinian. agnothetis præmium, inuitans ad cursum, tenensq; in manu Virginitatis brauium ostendit purissimum fontem, & clamitat.

Qui sitit, veniat, & bibat.

§. 7. *De Gradibus Castitatis.*

SEptem Castitatis gradus assignat Cassianus collat. 12. Abbatis Cheremonis, per quos velut in scala ascendere debemus, donec ad virtutis huius Cælestis, & Angelicę perfectionem, puritatemq; vltimam pertingamus.

Primus est, vt homo super se vigilando à nulla turpi, sensualiq; cogitatione, aut motu vinci se abripiuè sinat.

Secundus est, vt huiusmodi generis cogitationibus diu non inhæreat; sed eas vt primùm senserit, à se eliminet.

Tertius est, vt nullius mulieris aspectu parùm vel multùm moueatur conciteturue. Gradus hic magnæ perfectionis est, nec tam communis vti duo ptiores ob magnam carnis nostræ debilitatem, & corruptionem, quæ in similibus occasionibus statim concitatur & turbatur.

Quartus est, vt nullo modo patiatur vt sibi dæmon insultet, & velut barbam vellicet excubanti, & vt vigilans ne vel simplicem carnis permittat motum.

Quintus est, vt si quando opus erit de id genus rebus tra-

ctare illaſq; ſtudij cauſa examinare, excutere, & legere, animo ſubacto, tranquillo, puroq; ea percurrantur, nec magis huiuſmodi rerum memoria recordationeq; moueatur, quàm ſi de ſeminando, ædificando, alijſque id genus materijs loqueretur.

Sextus eſt, vt ne quidem dormienti turpes illuſiones, imaginationes, & rerum fædarum phantaſmata repræſententur. Atqui hoc innuit magnam puritatem: ſignum quippe eſt, ne minimum quidem ſpurciciti ſpecimen memoriæ inſidere: ſecus verò cum ſit, etſi peccatũ vllum id non includat; (quia in ſomnis fit) ſignum nihilominus eſt appetitum ſenſualem haud dum penitus debellatum, ac ſubactum eſſe; neue earum rerum imagines memoriæ tabulis eraſas.

Septimus & vltimus gradus qui teſte Caſſiano paucorum eſt, vti Abbatis Sereni aliorumq; ſimilium, quibus hanc cõferre gratiam Dominus dignatur: ſcilicet quando ad tantam homo puritatem peruenit, vt nec vigilans nec dormiens illos in ſe motus ſentiat, qui è cauſis naturalibus habere ortum ſolent, vſq; eo vt per gratiæ vim apetitus planè quietus, & pacificè ſubiectus ſit ita vt natura debilis & infirma, iam tùm illius felicitatis, & priuilegiorum, quæ in primo innocentiæ ſtatu habuit, partem ſentiat; iuxtà illud Apoſtoli. *vt deſtruatur corpus peccati* Non id tamen dicere volumus, perfectioni Caſtitatis aduerſari, aliquos id genus motus tùm vigilando, tùm dormiendo ſentire: hoc namq; naturale eſt, & etiam viris perfectis poſſe contingere aſſerit Caſſianus: & hanc nonnullis famulis ſuis Deus gratiam concedit, vt perfectiſſimum hoc Caſtitatis donum habeant.

§. 2.

§. 8. *De Remedijs pro Castitate seruanda, & contra oppositum vitium.*

MVlta ad pretiosam hanc Castitatis margaritam conseruandam, eiusq; vitium contrarium profligandum afferuntur à Sãcti Patribus remedia; quæ ferè omnia ad septem reuocantur, eaq; recenset Diuus Bonauentura tom. 2. opuscul. de proces. Relig. cap. de remedijs Luxuriæ, sunt autem sequentia.

Primum remedium est cauta, & rara conuersatio cum fœminis & adolescentibus etiam ad bonum finem, & ad colloquia spiritualia habenda: quia antiquus serpens initio tegit laqueos & ignita tela ardoris Luxuriæ, postmodum quando diutina iã & arcta familiaritate videt animos agglutinatos se ipsum detegit, & inuadit, laqueo capit incautos & captiuos libidinosi amoris vinculis post se abducit. Sed de hoc fusius suprà dist. 2. cap. 7.

Secundùm est recessus à familiaritate & contubernijs hominum mollium & ad lasciuias voluptatesq; corporis procliuium, præsertim eorum qui delectantur verbis & sermonibus ad libidinem prouocatiuis; veteri enim prouerbio decantatum est. *Corumpunt bonos mores colloquia praua.* Etenim praua colloquia gignunt in audientium imaginatione fœda turpiaq; phantasmata; ex phantasmatibus autem oriuntur turpes cogitationes, & suggestiones, ex suggestionibus deinde excitantur, & accenduntur illicita, & inhonesta desideria. Et quid opus est oleum superinfundere igni, qui sæpe ardet, aut ignem ardentem follibus magis, magisq; excitare? nonne intra nos ardet ignis concupiscentiæ? nonne *proni sunt sensus hominis ad malum ab adol scentia sua?* vt habetur Gen. 8. Quid opus est igitur hunc noxium ignem lasciuis sermonibus excitare, ac magis accendere? Quid opus est la-

bantem ex se animum ad casum, & ruinam impellere?

Tertium est maceratio carnis subdendo illam spiritui abstinentiis, ieiunijs, vigilijs, flagellis, rudi & aspero amictu, duro stratu, alijsq; carnis afflictationibus; præcipuè verò sobrietate; quia nostri corporis tellus ex quo in pœnam peccati fuit primo parenti dictum *Spinas & tribulos germinabit tibi* satis ex se mala germina producit, nisi rastro mortificationis quotidie excolatur; quod si fimum deliciarum illi superimponas, tot tantasq; spinas & tribulos germinabit vt omnium virtutum semina suffocata permaneant. Hinc *Origines Hom. 9. in Leuit. alloquens eos qui omnem sectantur corporis molliciem, & blandam commoditatem sic ait.* [Nescitis quia si carnem solùm nutriatis, & deliciarum luxu foueatis, insolescit aduersus spiritum fortior illo? quod si fiat, sine dubio eum in suam ditionem redactum suis coget legibus ac vitijs obedire. Nutrimenta igitur spiritus sunt, diuina lectio, orationes assiduæ, sermo, doctrinæ: his alitur cibis, his conualescit, his victor efficietur. Quod quia non facitis nolite conqueri de firmitate carnis; nolite dicere; Volumus sed non possumus. Tu das stimulos carni tuæ, tu eam aduersus spiritum armas, & potentem facis dum carnibus satias, dum vino nimio inundas, dum omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris.] *Hæc ille.* In eandem sententiam scripsit Sanctus Carolus Borromæus ad Andream Bactoreum Cardinalem; vbi cum dixisset statum Cardinalium exigere Castitatem singularem adiungit. *quam nunquam assequeris, nisi te carnis maceratione afflictaueris, sensus omnes compresseris, otium vt pestem fugeris &c.*

Admirabilia sunt Pœnitentiæ opera quæ egerunt quàm plures Sancti vt se contra incentiua Luxuriæ præmunirent, & illibatum Castitatis thesaurum custodirent. Euaristus Presbiter hybernis noctibus in puteum, & Sanctus Bernardus in lacum descenderunt, vt gelidarum aquarum frigore ca-

calorem corporis Castitati infestum temperarent. Audomarus Taumanensis Episcopus in vepribus, & Beatus Franciscus nudum corpus in niuibus volutarunt. De Sancto Benedicto narrat Sanctus Gregorius lib. 2. dialog. cap. 2. quod malignus spiritus magno amoris igne serui Dei animum in specie fœminæ olim ab ipso visæ accenderit; sed ille vrticarũ & veprium iuxta densa succrescere vepreta cõspiciens nudus se in illis spinarum aculeis, & vrticarum incendijs proiecit, ibiq; diu volutatus toto ex eis corpore vulneratus exijt, & per cutis vulnera eduxit è corpore vulnus mentis, quia voluptatem traxit in dolorem: Simile quid præstitere Sancti Eremitæ Martinianus & Iacobus, aliq; quàm plurimi. De quibus passim in vitis Sanctorum.

Quartum Remedium est. Otij inertis euitatio. In otio enim Dæmon inuenit ianuam apertam ad ingrediendum, & diripiendum bona Animæ. Sed de otio fugiendo satis suprà diximus dist. 2. cap. 6.

Quintum Remedium est custodia sensuum externorum, ac oculorum præcipuè; Sanctus Gregorius super illud Isaiæ 60. *Qui sunt isti qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas.* in lib. 25. Moral. cap. 2. scribens ait, ideo iustus nubium instar dici volare, quod se à rebus terrenis sustollant; atq; ideò in morem columbarum; in fenestris, & foraminibus dici consistere quòd egredi cauentes ad res exteriores, quæ aguntur, per has sensuum fenestras prospectandas securi & tuti sint ab ijs concupiscendis. Qui autem leuitate quadam per has sensuum fenestras ad res mundi contemplandas foras egrediuntur, non raro ab earundem concupiscentia desiderijq; ceu turbine quodam transuersim abripiuntur. Id expertus fuit Dauid Propheta, qui tametsi Sanctus, & nubis instar ad mysteriorum sublimium ac diuinorum considerationem euolare assuetus; quòd semel in videndo nõ sat cautus, & circunspectus fuerit, à se visa abstractus & abreptus

eſt; & peccàti mors per illas incautorum oculorum feneſtras ingreſſa, animam eius deſpoliauit, deprædata eſt, & occidit. Vnde idem S. Gregorius *Intueri non decet, quod non licet concupiſcere.* Hac de cauſa Sanctus ille Iob. 35. ita ſe contra hoc malum præmunijt, vt *pepigerit fœdus cum oculis ſuis, vt ne cogitaret quidem de Virgine*. ſicut de ſe ipſe teſtatur. Quodnam illud, quærit Gregorius, pacti genus eſt, cum oculis paciſci vt non cogitet? cum intellectu potius & imaginatione hoc non cogitandi fœdus pãgendum eſt; cum oculis verò non videndum. Dicit tamen *pepigi fœdus cum oculis vt ne cogitarem de Virgine.* Probè enim norat vir Sanctus, per otium malas in animum cogitationes intrare: & ſi oculos & ſenſuum ſuorum portas benè cuſtodiret, fore vt & Cor & Intellectus benè cuſtodita eſſent. Atq; ideo cum oculis ſuis fœdus ſe pepigiſſe ait de nulla muliere cogitandi, quia vt inquit Gloſſa ſuper dictum locum. *Viſum ſequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem conſenſus, conſenſum opus, opus conſuetudo, conſuetudinem neceſſitas, neceſſitatem deſperatio, deſperationem damnatio.* Et vnde tanta ruina? ex incauta oculorum cuſtodia; quapropter ſi nos ab immundis cogitationibus & ab omni eo quod inde conſequitur, immunes eſſe exoptamus, oculos caſtos & honeſtos vt habeamus neceſſe eſt, cumq; oculis noſtris tale pactum ineamus nihil videndi quod nefas ſit concupiſcere. *Sanctus Chryſoſtomus occaſione horum verborum ſic quærit.* [Quis non miretur vbi viderit magnum hunc virum, qui Diabolum debellauit, & confudit, & pedem cum eo veluti conſerens omnes eius machinas eluſit, & ſtratagemata ſubuertit, mulieris vultũ non audere intueri? vt nouerimus inquit, quàm neceſſaria nobis in id genus rebus ſit circumſpectio quãtumlibet pij & Religioſi ſimus.]

Sanctus Hugo Epiſcopus Gratianopolitanus (vti in eius vita refert Surius) quinquaginta illis, & amplius annis, quibus Epiſcopatum geſſit, tametſi multarum mulierum confeſ-

ſio-

siones exciperet, multaq; negotia, quæ ad ipsum non ex Episcopatu solum; sed & ex alijs multis orbis partibus, ob eximiam viri sanctimoniã, referebantur, nullam, præterquam vnam, in facie mulierem cõspexerit, quam tamen nescibat, iuuenculane ea esset, an anus, formosane, an deformis? Hac autem is ipse cautela quoad hoc dicebat opus esse, quòd à cogitationibus illicitis cor præmuniri ac custodiri nequeat, nisi ante oculi custodiantur. Sanctus Bernardus quoq; ita in hac re fuisse legitur circumspectus, vt cum semel leui ex incuria mulierem quampiam esset intuitus non aduertẽs quid ageret, postea vbi ad se reflexionem fecit, ita erubuerit, & sui ipsum puduerit vt hyemali tempore in conglaciatum se stagnum vicinum ad collum vsq; demerserit, in eòq; tàm diu manserit, donec inde semianimis, & rigidus totus esset eductus; vt suprà etiam innuimus. Sciebant Sancti quanti interesset oculorum custodia.

Sextum Remedium est. Resistentia diligens initijs tentationis aut malignæ suggestionis, vt sic nequitia Dæmonis suffocetur in semine, vt conteratur caput serpentis in cor nostrum illabi cupientis, vt consopiatur scintilla ignis infernalis, ne in aridam palcam nostræ carnis iniectam suscitet incendium. Etenim cogitatio immunda, vel verbum dissolutum instar guttæ olei, quæ in vestem aliquam cadens statim dilatat, & diffundit: vel seu scintilla ignis, quæ in stupam prosiliens nisi statim extinguatur magnum excitat incẽdium, ita vt tota domus comburatur. Ideò Apostolus Prouerb. 4. nos admonet dicens. *Omni custodia serua cor tuum quia ex ipso vita procedit.*

Septimum Remedium est. Oratio & deuotio. Certè inter omnia, quæ à diuina Scriptura, & Sanctis Patribus contrà omnigenas tentationes suggeruntur media, Oratio facilè princeps est. Hoc nos ipsemet Christus in Euangelio docet dicens. *Vigilate, & orate vt non intretis in tentationem.* Matt. 26.

[Vn-

[Vnde *Venerabilis Beda* ſicut *inquit*, fur dum clamorem audit, fugit, omneſq; eo exciti ſurgunt, & ad auxiliandũ accurrunt: pari modo orationis clamor Diabolum fugat, Angeloſq; & Sanctos omnes excitat, vt ad auxiliandum nobis & opitulandum accurrant.] Singulariſſimum porrò aduerſus carnis tentationes & optimũ remedium eſt ſeria attentaq; paſſionis Chriſti recogitatio, inq; eius vulneribus abſconſio. Quo circa præclarè *Sanctus Auguſtinus in manual. cap.* 32. [nullum eſt, tam potens eſt, & tàm efficax medicamentum contrà ardorem libidinis, ſicut mortis Redemptoris mei memoria. In omnibus rebus non inueni tàm efficax remedium quàm vulnera Chriſti: in illis dormio ſecurus, & intrepidus requieſco.] *Hoc quoq; remedium aſſignat Sanctus Bernardus, dum ſuper cant. 2. ait.* [Quando tentationem hanc ſenties, quàm primùm paſſionem Chriſti meditari incipe, ac dicito. Deus meus pendet in patibulo Crucis clauis ſuffixus, & ego voluptati operam dabo?] Alij in hiſce tentationibus quatuor nouiſſimorum conſideratione & memoriam vt certiſſimum remedium adhibent iuxta illud Sapientis. Eccl. 7. *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Multi ſiquidem Inferni conſideratione vtuntur recogitantes illud Sancti Gregorij. *Momentaneum eſt quod delectat, æternum quod cruciat.* Nam in æternitatem illam; in illud ſemper; in illud (quam diu Deus erit) penetrare, efficaciſſimum quoddam eſt ad non peccandum, medium. Alij per ipſam gloriæ Cæleſtis conſiderationem tentationem hanc expugnant, ingentem eſſe dementiam & ſtoliditatem rati, vt etiam haud dubiè eſt, cum per breui & exigua voluptate Dei poſſeſſionem mutare, & ſemper duratura gloria ob id in æternum excidere. Quæ autem eſſe maior ſtultitia poteſt, quàm nõ facere quod Deus gloria ſempiterna præpoſita præcipit, & facere quod faciendum iubet Diabolus, infernalibus tormentis præpoſitis huc nos inuitando? Alij deniq; ipſa mortis & iudicij ſu-

pre-

premi recordatione plurimùm hac in parte iuuantur. Omnes hæ considerationes optimæ sunt, quisq; autem eam arripiat, & vlurpet, è qua maiorem sibi prouenire fructum agnoscet. Aduersus hasce tentationes non mediocre item munimentum est signi Crucis in fronte, & in pectore formatio, nec non Sanctissimi nominis IESV cum affectu, & deuotionis sensu inuocatio. Mirabiles porrò effectus, & permulta miracula, quorum plena sunt passim veterum historiarum munimenta hinc secuta legimus. Ipsum quoq; erga Deiparam Matrem studium, & affectus, mirè quoad omnes proderit: Vnde nemo sit, qui non singulariter ergà eam affectus sit, quique in discrimine suo magna cum fiducia ad Sanctissimam hanc Virginem non statim confugiat; neq; enim potest non esse misericors illa, quæ nouem mensium spatio ipsammet Virginalibus visceribus suis misericordiam complexa fuit, cui rei, & intentioni peraccommodi sunt versiculi illi quos concinit Ecclesia. *Post partum Virgo immaculata permansisti, Dei Genitrix intercede pro nobis.* Et *Virgo singularis, inter omnes mitis, nos culpis solutos; mites fac & castos.* In quibus immaculatam, & perpetuam eius Virginitatem ei in mentem reuocando eam rogamus, hanc nobis virtutem vt impetret, vt per eam tàm ei, quàm Christo eius Filio placeamus. Non contemnendum est etiam confugium ad alios Sanctos. Septem prædicta sunt frequentiora à Sanctis Patribus assignata media pro seruanda Castitatis margarita, & contrà vitium illi contrariũ nempe Luxuriam. Et si paucioribus verbis vellemus omnia perstringere memoriæ iuuandæ causa possemus omnia ad hæc tria reuocare, scilicet.

ORA, LABORA, FVGE.

Fuge Familiaritates noxias; Collocutiones prauas; Cogitationes impuras.

Labora. Macerando carnem; vitando otium; custodiendo sensus.

Ora. Christum Dominum: Deiparam Virginem: Angelos & Sanctos.

Nec quisquam arbitretur prædicta sibi remedia non fore necessaria cò quòd longo tempore in vitæ spiritualis studio sese exercuerit: aut quod prouectæ & longæuæ iam sit ætatis. Nam & Sanctus Gregorius Nazianzenus, & Sanctus Hieronymus valdè Sancti, & valdè senes erant, & nihilominus ab istis impugnationibus non fuerunt immunes; ignis enim hic non nisi morte extinguitur. Certè Nazianzenus in carmine de vitæ suæ calamitate, senex iam & grandæuæ ætatis vix multis lachrymis, vigilijs, & orationibus alijsq; asperrimis exercitationibus & macerationibus corporis, & exacta monasticæ disciplinæ custodia carnis stimulos coercere potuit. *Et Sanctus Hieronymus Epist. 22. ad Eustochium de custodia virginitatis cap. 3. sic ait.* [O quoties ego ipse in vasta solitudine & solis ardoribus exusta, putabam me Romanis interesse delicijs; sedebam solus, quia amaritudine repletus eram, horrebant sacco mẽbra deformia, quotidie lachrymæ, quotidie gemitus, & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda homo vix ossa hærentia collidebam. Pallebant ora ieiunijs, & meis desiderijs æstuabat in frigore corpus, & ante hominem suâ iam carne præmortuum sola libidinum incendia bulliebant, itaq; omni auxilio destitutus ad IESV iacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam. Memini diem crebrò me clamantem iunxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret, Domino increpante tranquillitas.] Si maximi Sanctorum cum tàm peruicaci hoste post tot victorias partas pacem habere non potuerunt; quis cogitamus nobis cum securi hominciones? Humiliemus igitur animas nostras & cum *Sancto Augustino lib. 10.*

lib. 10. *Confeſſ. cap.* 29. *flexis genibus cordis noſtri humillimè Maieſtatem Domini deprecemur dicentes.* [Tota ſpes noſtra Domine non niſi in magna valdè miſericordia tua. Da quod iubes, & iube quod vis, Imperas nobis Continentiam. Et cum ſcirem (*ait quadam*) quia nemo poteſt eſſe continens niſi Deus det, & hoc ipſum erat Sapientiæ ſcire cuius hoc eſſet donum, adij Dominum, & deprecatus ſum illum. Per continentiam quippe colligimur & redigimur in vnum à quo in multa defluximus. Minus enim te amat qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. O amor qui ſemper ardes & nunquam extingueris. Charitas Deus meus accende me. Continentiam iubes, da quod iubes, & iube quod vis.

CAPVT XIII.
De Patientia.

INter alias Virtutes quas Apoſtolus requirit in Eccleſiaſticis computatur Patientia. Sic enim ait. 1. ad Timot. 6. *Tu autem homo Dei ſectare Iuſtitiam: Pietatem: Fidem: Charitatem: Patientiam: Manſuetudinem.* Cum igitur de Fide, Charitate, Iuſtitia per capita diſtincta; nec non de Pietate n cap. 2. de Oratione in ſuperioribus egerimus: reſtat vt agamus de duabus reliquis. In hoc igitur Capite agemus de Patientia, acturi de Manſuetudine in ſequenti. De Patientia autem hæc nobis conſideranda occurrunt. 1. Quid ſit. 2. Quàm excellens virtus. 3. Quàm neceſſaria viris præſertim Eccleſiaſticis. 4. Quinam gradus illius. 5. Quæ motiua ad illam amplectẽdam. 6. Quibus modis poſſit cõparari.

§. 1. *Quid ſit Patientia.*

VAriæ definitiones de Patientia afferuntur. Sanctus Auguſtinus lib. de Patientia cap. 2. ſic ait. *Patientia ho-*

hominis est qua mala æquo animo toleramus; nè animo iniquo bona deseramus per quæ ad meliora perueniamus. D. Thomas 2. 2 q. 136. art. 1. *Patientia est virtus, qua bonum rationis conseruatur contrà tristitiam, ne ratio ipsa ei succumbat.* Nam inter alias passiones tristitia efficax est ad impediendū bonum rationis secundùm illud 2. ad Cor. 6. *Secuti tristitia mortem operatur.* Et Eccles. 30. *Multos occidit tristitia, & non est vtilitas in illa.* Necesse est igitur habere aliquam virtutem per quam bonum rationis conseruetur contrà tristitiam, ne scilicet ratio tristitiæ succumbat. Hoc autem præstat Patientia. Tullius lib. 7. de Inuention. sic ait. *Patientia est honestatis, & vtilitatis causa voluntaria, ac diuturna perpessio rerū arduarum difficilium.* Quæ verba sic exponit Sanctus Thomas. 2. 2. q. 136. art. 1. ad 2. quod dicit, *arduarum* pertinet ad Constantiam in bono. Quod dicit, *difficilium* pertinet ad grauitatem mali, quam propriè respicit Patientia. Quod verò additur *diuturna siue diutina*, pertinet ad longanimitatem secundùm quod conuenit cum Patientia. Istæ enim virtutes scilicet Longanimitas, Constantia, Patientia, habent multam affinitatem: Nam Patientia, vt dictum est, moderatur tristitiam qualemcumq; Longanimitas moderatur tristitiam nascentem ex dilatione boni specialis: Constantia moderatur tristitiam nascentem ex labore in continuata executione boni operis.

§. 2. *Quam excellens sit Virtus.*

A Deo excellens est virtus Patientiæ, vt Sanctus Cyprianus lib. de Patientia, vocet illam virtutem diuinam. Est, inquit, nobis cum Deo virtus ista cōmunis. Inde Patientia incipit, inde claritas eius, & dignitas caput sumit. Diligenda res Homini, quæ Deo chara est. Bonum quod amat, Maiestas diuina commendat: probat autem id, quòd Deus sustinet hominum scelera in contumeliam sui commissa, pluens super iustos & iniustos; & Solem suum oriri faciens super bonos

nos & malos, quod cum habeat in potestate vindictã, mauult diu tenere Patientiam, vt vel serò ad Dominum Homines conuertantur, quod commemorans Apostolus ait; An diuitias bonitatis eius & Patientiç, & Longanimitatis cõtemnis? ignorans quod benignitas Dei ad Patientiam te adducit.]

Idem ibidem. [Patientia tuetur in virginibus gratam integritatem; in viduis laboriosam Castitatem; in coniunctis, & maritatis indiuiduam Charitatem: facit humiles in prosperis, in aduersis fortes, contrà iniurias, & contumelias mites. Docet delinquentibus cito ignoscere, si ipse delinquas diu multùm rogare, tentationes expugnat, persecutiones tolerat, martyria consumat.]

Tertullianus de Patientia sic scribit. [Patientia Fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatem instruit, patienter expectat, exomologesim assignat, carnem regit, spiritum seruat, manum continet, tentationes conculcat, scandala pellit, pauperem consolatur, diuitem temperat, infirmum non extendit, valentem non consumit, fidelem delectat, gentilem incitat, seruum Domino, Dominum Deo commendat, Fœminam exornat, virum approbat, amatur in puero, laudatur à iuuene, suspicitur in sene, in omni sexu, in omni ætate formosa est. *Hæc ille.*]

§. 3. *Quam necessaria sit omnibus, sed viris præsertim Ecclesiasticis.*

NEcessitas huius virtutis inde patet, quod dum sumus in hoc mortali corpore constituti; dum versamur in hac lachrymarum valle; dum longè à patria huius ærumnas exilij cogimur sustinere; dum, inquam, viuimus in hoc mundo sine tribulatione, & tentatione esse non possumus. Vnde in Iob scriptum est. *Militia est vita hominis super terram*, Quocunque oculos vertamus, vbicunq; simus, vndiq; semper aliquid patiendi occasionem habemus à Cælo, ab Elementis, ab Ani-

malibus, ab Hominibus, ab exteris, à domesticis, immo à nobis ipsis, quia in nobis ipsis est vnde tentemur, ex quo in concupiscentia nati sumus: & sæpe vna tentatione seu tribulatione secedente alia superuenit, & semper aliquid ad patiendum habebimus. Ambula quo vis (*inquit deuotus ille Thomas à Kempis De Imit. Christi lib. 2. cap.* 12.) quære vbicunque volueris, & non inuenies altiorem viam suprà, nec securiorem viam infrà, nisi viam Sanctæ Crucis & Patientiæ. Dispone & ordina omnia secundùm tuum velle & videre, & non inuenies nisi semper aliquid pati debere, aut spontè, aut inuitè, & ita Crucem semper inuenies. Aut enim in corpore dolorem senties; aut in Anima spiritus tribulationem sustinebis. Interdùm à Deo relinqueris, interdũ à proximo exercitaberis; & quod amplius est sæpe tibimet ipsi grauis eris; nec tamen aliquo remedio, vel solatio liberari seu alleuiari poteris; sed donec Deus voluerit oportet quod sustineas. Vult enim Deus vt tribulationem sine consolatione discas pati vt illi totaliter te subijcias & humilior ex tribulatione fias. *Ita inquit Thomas à Kempis.* Quis igitur tot tribulationibus, tentationibus, & ærumnis quodammodo obrutus, absque mærore & tristitia vitam degere se posse confidat? Sed benedictus Deus, qui contrà tot morbos prouidit nobis de pharmaco Patientiæ. Hoc munimine suffulti omnes Sancti quotquot vnquam extitere; mare magnum huius sęculi enatarunt, atq; ad portum fælicitatis æternæ peruenire meruerunt. *Audi Sanctum Cyprianum iterum lib. de bono Patientiæ.* [Inuenimus, & Patriarchas, & Prophetas, & iustos omnes qui figuram Christi imagine præeunte portabant, nil magis custodisse in laude virtutum suarum, quàm quod Patientiam forti & stabili æquanimitate tenuerunt. Sic Abel originem martyrij & passionem iusti hominis initians primus, & dedicans aduersus fratrem parricidam non resistit, non reluctatur; sed humilis & mitis patienter eruditur. Sic Abraham

Deo

Deò credens, & radicem ac fundamentum fidei primus instituens tentatus in filio, non dubitat, neq; cunctatur; sed præceptis Dei tota potentia deuotionis obsequitur. Et Filius ad hostiæ Dominicæ similitudinem præfiguratus, quando à Patre immolandus offertur, patiens inuenitur. Tot denique Prophetæ interfecti & glorioſi Martyres glorioſis mortibus honorati omnes ad Cæleſtes coronas Patientiæ laude venerunt,] Propterea dixit Apoſtolus ad Hæbr. 10. *Patientia vobis neceſſaria eſt vt voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſiones.* Et ob eandem cauſam dixit Dominus. Luc. 21. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Homo enim ſibi & ſuo animo dominatur per Patientiæ virtutem, dominatur & membris, linguã cohibens à contumelia, manum à vindicta; Sic Homo patiẽs ſe ipſum interius exteriuſq; poſſidet. In homine verò impatiente dominatur furor, poſſidet eũ ira. In ſæculo quoq; futuro patiẽs animã poſſidebit ſuam in æternum per patiẽtiam; quia per illam Regnum Cælorum acquiritur, & Animæ dominium glorioſum vbi nulla amplius exterior vel interior reſiſtentia erit.

Verùm cùm omnibus neceſſaria ſit Patientia; Eccleſiaſticis tamen viris, & Dei Miniſtris quàm maximè. Vnde iure optimo Apoſtolus diuina repletus Sapientia. 2. ad Corint. 6. dixit. *In omnibus exhibeamus noſmet ipſos ſicut Dei Miniſtros in multa patientia.* Si quidem decet ſacerdotes, & Dei Miniſtros animum ſemper habere pacatum, & tranquillum; vt qui ſæpiſſimè ne dicam quotidie hoſpitio recipiunt Regem pacificum, cuius in pace locus factus eſt. At iſtam pacem & mentis tranquillitatem conſequi non poterunt niſi in animis ſuis conſtituant hunc murũ patientiæ contrà omnes ingruentes ſeculi tempeſtates. [Verè is beatus eſt ait, *Lodouicus Blo. ſius in compen. vitæ ſpirit. cap.* 14. Qui intrinſecus ab omnibus denudatus, nullis aduerſitatibus concutitur, nec in proſperis præ ſuperbia inſoleſcit, ſed æquo animo inæqualia, &

iniqua ſuſtinet; qui vt ita dicam è ſe ipſo egredi didicit; & perfecta quadam renuntiatione ad ſummum Charitatis faſtigium peruenit. Quam putas ille pacem habebit? talem profectò, tantamq; verbis vt exprimi nequeat.] Hiſce è verbis diſcite Sacerdotes ſi veræ Sanctæq; pacis beneficio frui velitis rupem vos eſſe debere in medio mari collocatam, & animum infractum gerere, quin & omnibus immò vobis ipſis nuncium remittere.

§. 4. De Gradibus Patientiæ.

PRimus Patientiæ gradus eſt propoſitum acquirendi ipſam Patientiam. Motiua autem ad talem virtutem amplectendam §. ſequenti afferuntur.

Secundus gradus eſt Fortitudo maximè propria virtutis huius: *Idcò Sanctus Chryſoſtomus Hom. 35. in 1. ad Cor. ait.* [Eſt Patientia ſcutum inexpugnabile, turris firma, mala omnia repellens, & quemadmodum in abyſſum maris ſcintilla delata huic quidem nihil obeſt, ipſa extinguitur, ſic in animum tolerantem quidquid incidere maximarum etiam rerum poteſt, facilè quidem abſumitur ipſum, ille conturbabitur prorſus nihil. Quando rebus omnibus ſolidior Patiétia eſt. Exercitus, theſauros, equos, muros, omnia, & quodcunq; tandem memores licet, æquè firmum patientia nihil adduces: injice mulctam, nihil hanc petram mouebis: Contumelia pete, nondum turrim concuſſiſti: plagas incute nihil dum adamantem illum perterruiſti: longanimis ideirtò etiam patiens vocatur, quia longum & ingentem animum habet.] Hæc porrò Patientiæ firmitas & immutabilitas in eo poſita eſt, vt *Sanctus Thomas tradit* 2. 2. q. 136. art. 4. ad 2. vt propter triſtitias quascunq; ſint, homo non recedat à bono rationis. Quare hominem firmat Patientia aduerſus paupertatis incommoda, aduerſus morbos, & valetudinis damna, aduerſus vulnera,

tor-

tormenta, doloresq; Corporis, aduersus contumelias, conuitia, probra, & cuiuscunq; generis iniurias, aduersus infamiam, aduersus calamitates omnes, quæ domi, foris, pace, bello, liberis, parentibus, consanguineis, affinibus, amicis accidere possunt. Idq; illa vna ratione potissimum instituendo hominem, efficiendoq; vt animosè repugnet tristitiæ cuicunq; ex quacunq; causa exortæ in animo. cum ita roborando vt illam expellat omninò; quod est Salomonis præceptum Eccles. 30. *Tristitiam longè repelle à te.*

Tertius gradus est delectatio. Afferunt hanc lætitiam & delectationem multa. Primum est pati præsertim pro Christo aut virtutis cuiuscunq; causa; donũ Dei est. Inquit enim Apostolus ad Philipp. 1. *Vobis donatum est pro Christo non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini.* Secundum est. Spes futuræ retributionis, nam si sustinemus, & conregnabimus. Quam ob causam Christus Dominus inter beatitudines collocat Patientiam. Est autem beatitudinis huius & alacriter pati, & optare etiam pro Christo & veritate grauiora pati. Tertium est. Habere Dominum socium in tribulatione, iuxtà illud Psal. 90. *Cum ipso sum in tribulatione.* Quartum est. Consideratio vtilitatis magnæ, quæ ex calamitatibus deriuatur in homines. Vnde Seneca de prouidentia dicit. *Miserum te iudico quod non fuisti miser. Transisti sine aduersario vitam.* Certè Dauid hoc satis indicare voluit cum dicebat. *Bonum mihi quia humiliasti me.* Et Apostolus. *Gloriamur in tribulationibus scientes quod tribulatio Patientiam operatur; Patientia autem Probationem.*

§. 5. *De Motiuis ad amplectendam Patientiam.*

PRimum Motiuum, quod ad Patientiam amplectendam inducit, est peccati periculum, quod tristitiæ plerùmq; inest, siquidem *Tristitia sæculi mortem operatur.* ait Apostolus. 2. Cor.

2. Cor. 2. Et Salomon Eccles. 30. *Tristitiam longe repelle à te, multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in illa.*

Secundum est. Quòd Patientia est virtus diuina vt copiosè declarat Sanctus Cyprianus, & Sanctus Augustinus; & nos suprà diximus cum de eius excellentia.

Tertiùm est. Quòd Patientia opus perfectum habet vt ait Sanctus Iacobus, facitq; sui ipsius dominum ac Regem. [Ipsa est *scribit Sanctus Cyprianus*, quæ iram temperat, quæ linguam refrænat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, timoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, facit humiles prosperis, in aduersis fortes &c.

Quartum est. Exemplum Christi Domini, & aliorum Sanctorum quorum nonnulla adducemus; magnam enim vim habent ad mouẽdos animos ad imitationẽ. Igitur de Sancto Martino sic scribit Seuerus Sulpitius. Nemo vnquam Martinum vidit iratum, nemo mærentem, nemo ridentem: vaus idemq; semper cælestem lætitiam vultu præferens. Tantam verò aduersus omnes iniurias Patiẽtiam assumpserat, vt impunè etiam ab ipsis Clericis læderetur; nec propter id eos aut loco vnquam mouerit, aut à sua Charitate repulerit. Quin & pro illorum solebat orare peccatis, qui obtrectatores videbantur.

Sanctus Spiridion ab Imperatore Constantino ad aulam vocatus erat, cum verò quidam eum lacera intrantem veste conspexisset, alapam ei impegit. Ille mox alteram præbuit maxillam consilium Christi secutus. Id verò percussoris cor ita flexit, vt illico ad pedes eius se abijciẽs veniam deprecatus fuerit.

Sanctus Ioannes Canonicus Regularis de quo *Surius* 10. *Octobr.* vir maximæ fuit Patientiæ. Quidam è fratribus furore commotus, & procaciter ingressus locum, vbi familiariter cum quibusdam conferebat multa in eum conuitia iacta-

ctabat, minis & clamoribus eum exasperare putans. Interrogatus cur nequitiam viri non reprimeret? Respondit. si flāma vorax ædis tectū lambens in sublime feratur, num tu consultè plus materiæ in flammam injicies? Frater iste magno ardet furore, si minarum faculas admouero, inflammabitur magis nec in rectam viam facilè reuocabitur. Vbi verò flamma deferbuerit, ad remedia oportuna animo deliberato accedere licebit.

Pulchrum est hac de re ad Patientiam sectandam, & contrà iram se armandum decretum *Imp. Theodosy.* [Si quis, *inquit*, modestiæ nescius, & pudoris ignarus, improbo petulantiq; maledicto nomina nostra crediderit lacessenda ac malitia turbolentus obtrectator temporis fuerit; eum pœnæ nolumus subiacere, neq; durum aliquid neq; asperum sustinere. Quoniam si id ex leuitate processerit, contemnendum est: si ex insania, miseratione dignissimum: si ab iniuria, remittendum.

§. 6. *De Modo comparandi Patientiam.*

FAcilior, compendiosior, & efficacior comparandi Patientiam non videtur via, quàm per conformitatem voluntatis nostræ cum diuina in omnibus huius vitæ euentibus tàm prosperis quàm aduersis. Certum enim est, & indubitatum de Fide nihil omnino in mundo contingere aut euenire posse sine speciali Dei voluntate, nutu, ac decreto, vna excepta culpa, & peccato; quia eius causa auctor Deus nec est, nec esse potest. Nam sicut naturæ ignis repugnat frigefacere, & aquæ calefacere, & Soli obscurare: ita infinities magis Dei bonitati repugnat peccatum, malum & iniquitatem amare. Vnde sic loquitur Propheta Abacuc cap. 1. *Mundi sunt oculi tui Domine ne videas malum: & respicere ad iniquitatem non poteris.* Sicut vulgò, dum aliquem alteri exosum &

abominabilem esse significare volumus, dicimus, Non potest eum videre; Sic Propheta iste, Deum iniquitatem & peccatum, ob infinitum odium, & abominationem, qua ipsum prosequitur, ait videre non posse. Et Regius Psaltes. Psal. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Et Psal. 44. *Dilexisti Iustitiam, & odisti iniquitatem.* Quantopere autem Deus peccatum detestetur, & exosum habeat, Scriptura Sacra plurimis in locis passim ostendit, atq; ideò eius causa, & auctor esse nequit.

Sed excepto, vt dixi, peccato, reliqua omnia aduersa, quæ dicuntur mala pœnæ, omnia, inquam, Deo volente, & permittente contingunt. Hoc item fundamentum certissimum, & irrefragabile est nullam in mundo (vt cæca Gentilium finxit superstitio) esse Fortunam, & ea, quæ homines Fortunæ bona vocant, non à Fortuna, vt pote quæ nulla est, sed à Deo solo dari. Docet id Spiritus Sanctus per Sapientem *Eccles.* 11. dicens. *Bona & mala; Vita & Mors; paupertas & honestas à Deo sunt.* Et esto per alias causas secundas, (siue sint creaturæ rationales, siue irrationales; siue corporeæ, siue incorporeæ) hæc eueniant, certum nihilominus est nihil in magna hac mundi Republica, nisi ex summi illius Imperatoris, qui ei præest, voluntate, ac dispositione fieri. Respectu Dei, nihil casu, & fortuito fit; sed quæcunq; fiunt per manus eius decernuntur ac veniũt; Sic omnia corporis tui ossa, atq; adeò omnes capitis tui capillos numeratos habet ita vt ne vnus quidem sine eius nutu voluntateq; defluere, ac deperire possit. Sed quid de homnibus loquor? Ne auis quidem vna in laqueum & casses incidit sine peculiari dispensatione, ac permissu Dei. *Nonne duo passeres*, inquit Dominus in Euangelio *asse veneunt; & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro?* Ne folium quidem ex arbore, inscio ac nolẽte ipso, defluit: quin & de sortibus dicit Sapiens. Prou. 16. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Id est non

casu

casu aut fortuito illę cadunt, sed per diuinam prouidentiam ita disponentem & volentem exeunt. *Sic cecidit sors super Matthiam* non casu aut fortuna sed per particularem Dei nutum & prouidentiam cum hac via in Apostolum suum eligere cupientis.

Et de malis quidem pænę quacunq; via & modo eueniãt, à Dei vnius manu, omniscią; eius dispensatione, & prouidentia venire, quàm plurima eą; clarissima Sacræ Scripturæ loca attestantur. Amos. 3. *Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit*. Et 2. Reg. 12. Deus prænunciauit à sua manu profecturam punitionem illam, qua Dauid per Absalonis Filij rebellionem, ob commissum adulterium & homicidium est castigatus. *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis & dabo proximo tuo; tu enim fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud in cõspectu omnis Israel, & in conspectu Solis.* Inde etiam est, quòd Reges impios, qui propria etiam superbia, & crudelitate impellente varijs populum Israel flagellis, cladibus, & castigationibus atterebãt Scriptura diuina Iustitiæ instrumenta appellat. sic legimus. Isai. 10. *Vah Assur virga furoris mei*. Ac de Cyro Persarum Rege, per quem Chaldæos Dominus castigaturus erat dicit. Isai. 44. *Cuius apprehendi dexteram*. Vnde præclarè ad hoc propositum scribit *S. Augustinus super Psal.* 73. [Impietas eorum tanquam securis Dei facta est. Facti sunt instrumentum irati non regnum placati. Facit hoc enim Deus quod plerumq; facit & Homo. Aliquando iratus homo apprehendit virgam iacentem in medio, fortasse qualecunq; sarmentum: cædit inde filiũ suum, ac deinde proijcit sarmentũ in ignem, & filio seruat hæreditatem, sic aliquando Deus per malos erudit bonos.]

Titus Imperator Romanorum cum Vrbem Ierusalem à se obsessam quodam tempore circumiret, & valles fossasque eiusdem completas aspiceret cadaueribus mor-

ruorum quorum fætore ac putiſcentia omnis circumquaque locus inficiebatur) magna voce oculos ad Cælum ſuſtollens, Deum Cæli palam teſtatus eſt, tantæ ſe ſtragis, cladis, & internecionis cauſam non eſſe. *Ita Hiſtor. Eccl. par.* 1. *lib.* 3. *cap.* 1.

Alarico Regi Gothorum Romam properanti, vt eam vaſtaret, & euerteret Monachus quidam Venerabilis obuiam prodijt, eumq; ſupplex rogauit, ne tot malorum in illo excidio patrandorum eſſet cauſa. Cui barbarus, *Equidem*, inquit, *non mea voluntate, impulſuq; Romam abeo; ſed alterius: quotidie namq; neſcio quis me importunè impellens, & diuexans mihi identidem ſuggerit. Abi Romam & Ciuitatem illam deſtrue.* Adeò vt omnia illa à manu Dei, ac voluntate eoq; ſpecialiter ordinante prouenerint.

Vnde etiam Regius Propheta Dauid cum illi Semeus quidam malediceret, eũq; lapidibus impeteret, iſthanc iniuriã ferro vindicare volentibus ait. 2. Reg. 16. *Dominus præcepit ei vt malediceret Dauid, & quis eſt qui audeat dicere, quare ſic fecerit?* Id eſt eum Dominus vt inſtrumẽtum delegit ad me affligendum & caſtigandum, ſinite ergo illum.

Ex his igitur patet hæc veritas quòd nihil in mundo euenit ſiue boni, ſiue mali, ſiue proſperi, ſiue aduerſi (excepto peccato) quod non à Dei volũtate omnino dependeat. Quod ſi huic veritati alteram adnectamus; nempe Deum eſſe bonitatem infinitam; immò eſſe ipſam eſſentiam bonitatis; proindeq; non poſſe velle, nec operari niſi bonum, & niſi omne illud quod ſuam condecet bonitatem, quod, inquam, ceſſurum eſt in maiorem ſui gloriam, noſtræq; ſalutis æternæ profectum. Quis non humiliabitur ſub potenti manu Dei? Quis non confirmabit ſuam cum diuina voluntatem? Quis non ſubmittet ceruicem diuino beneplacito? Quis non flectet genua Cordis ſui, & cum magno cordis affectu profundaq; reuerentia non aget humillimas quas poterit gratias, pro omni-

nibus quæ sibi à Diuina voluntate proueniunt? Durus est, inquies, hic sermo, & quis poterit sustinere illum? fateor, verum est. Etiam æger durè sentit medicum sibi potionem amaram, sanguinis emissionem, cibi potusq; abstinentiam præcipientem, & tamen patienter sustinet, paret, iussa exsequitur incunctanter, vt amissam recuperet sanitatem. Etiam ipsemet Saluator noster in illo horrendo passionis agone, quando factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, præ timore & horrore imminentis iam passionis & mortis positis genibus orabat ad Patrem dicens. *Pater si possibile est transeat à me Calix iste*, Et nihilominus statim subdebat; *verũ tamen non mea sed tua voluntas fiat.* Quapropter etiã nos si veri Dei Filij, si veri Christi Domini, & Magistri nostri imitatores esse cupimus, debemus cum magna Patientia sustinere quidquid Deus nobis donare dignabitur.

CAPVT XIIII.
De Mansuetudine.

MAnsuetudo est Virtus valdè affinis Patientiæ, & est Virtus, quæ secundùm rationem rectam moderatur iras vt dicitur *in 4. Ethic.* Et refertur *à Diuo Thoma* 2.2.*q.*157.*art.*1. De hac igitur videndum. 1. Eius excellentia. 2. Necessitas illius præsertim in Ecclesiasticis. 3. Gradus illius. 4. Motiua ad illam sectandam.

§. 1. *De Excellentia Mansuetudinis.*

EXcellentia huius virtutis deducitur Primò ex hoc, quod est conformis ipsi naturæ humanæ. [Magna (*inquit Seneca Epist.* 91.) laus est si homo mansuetus homini est. Omne quod vides, quo humana diuinaq; concluſa sunt; vnum est, membra sumus Corporis magni. Natura nos cognatos edi-

dit

dit cum ijſdem, vt in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit. Illa æquum, iuſtumq; compoſuit. Ex illius conſtitutione miſerius eſt nocere quam lædi. Ex illius imperio paratæ ſunt iuuant is manus. Iſte verſus in pectore & in ore ſit. *Homo ſum, humani nihil à me alienum puto.* Habeamus in commune quod nati ſumus, ſocietas noſtra lapidum fornicationi ſimillima eſt, quæ caſura, niſi inuicem obſtarent, hoc ipſo ſuſtinetur.]

Secundò. Ex hoc quod pacem animo conciliat. *Sanctus Chryſoſtomus hom. 34. in Gen. 13. ſic ait.* [Nihil ita animum in tranquillitate, & quiete aſſuefacit, vt manſuetudo & modeſtia: hæc omni diademate & gloria conducibilior. quid etiã gratius quàm inteſtino liberari bello? nam quamuis plurima pace externa fruamur, ſi intra nos cogitationum naſcatur tempeſtas, tumultus, ſeditio, nihil externa pax nobis proderit; ſicut & nihil miſerabilius eſt alio Ciuitate, quæ licet præſidijs & muris benè ſit munita, intus tamen Ciues foueat proditores. Hoc igitur obſecro vt ante omnia nobis ſit curæ quomodo animam à turbulentia vindicemus, & in tranquillo ſtatu educamus, & ab omni liberemus amaritudine, quo & ipſi multa fruamur quiete, & ijs, qui familiaritatem nobiſcum habent, ſimus blandi, Hoc enim certiſſimum ſignum eſt quo internoſcitur vir ratione præditus ſi manſuetus fuerit, ſi lenis, ſi mitis, ſi modeſtus, & quietus, ſi non quaſi ſeruus ducatur, & trahatur aut ab ira, aut ab alijs affectionibus, ſed ratione vincat internos illos incõpoſitos motus, nobilemq; ſuam generoſitatem ſeruet, ne in brutorum ferociam negligentia degeneret.]

Tertiò. Ex hoc quod conciliat amorem aliorum. *Idem Chryſoſt. homil. de Manſuetudine ſic ait.* [Mitis, orphanorũ Pater eſt, viduarum præſes, paupertatis procurator, iniuria affectorum adiutor, ſemper ſtrenuè ait quod iuſtum eſt. Mitis, reuerendus pater pueris, & obſeruandus Dominus eſt ſeruis; nihil

nihil enim ita cõciliat Domino familiares vt quod illum vident tranquillum se offerre, & manſuetudine iucundũ. Nam & talem maioris faciunt, habentq; pro Patre non pro Domino. Gratus & amabilis eſt videntibus: gratus item & his quibus tantum nomine notus eſt. Neq; facilè illum inuenies qui audiens laudari hominem manſuetum, illum videre, & oſculari non deſideret, & non habeat in aliquãta lucri parte eius amicitia poſſe diu frui.]

Quartò. Ex hoc quòd manſuetus non ſolùm ab hominibus amatur; ſed Deo etiam gratiſſimus eſt. *Suſcipiens* ait Dauid *manſuetos Dominus.* Horum audit rationes. *Humilium*, ait Iudith, *& manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.* Ad hoc filium certa ratione deſtinauit. *Ad annunciandum*, ait Iſaias *manſuetis miſit me.* His gratiam largitur *Manſuetis*, ait Salomon, *dabit gratiam.* Hos dirigit in actionibus & negotijs quaſi Conſiliarius. *Diriget manſuetos in iudicio, docebit mites vias ſuas:* adeò vt ſcripſerit Sanctus Chryſoſtomus. *Deus non ita delegit homines propter Virginitatem, ieiunium, contemptum diuitiarum, hilarem eleemoſinarum largitionem, vt propter mites, benèque compoſitos.*

Quintò. Deniq; magna vis eſt Manſuetudinis; nam non ſolùm hominem amabilem facit, ſed inimicum multò felicius ſuperat, quàm iracundia, nempè ad pœnitentiam flectumq; conuertens: Sic Apoſtolus commemorans illud Salomonis dictum; *Si eſurierit inimicus tuus ciba illum, ſi ſitit potum da illi, hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput eius.* Per carbones ignis, vt exponit S. Auguſtinus, ſignificat vrentes pœnitentiæ gemitus, quibus ſuperbia ſanatur eius, qui dolet ſe inimicũ fuiſſe hominis, à quo eius miſeriæ ſubuenitur.

§. 2. *De Necessitate Mansuetudinis præsertim in Ecclesiasticis.*

QVàm maximè desideretur Mansuetudo in Ecclesiasticis viris, & præsertim in Pastoribus Animarum ex eo colligi potest, quòd Deus ideò elegerit Moysen populi sui Ducem, quia mansuetudine omnes præcellebat. De quo *Sanctus Hieronymus epist. ad Theophil.* [Dux ille Israelitici exercitus, qui decem plagis afflixerat Ægiptum; & ad cuius imperium Cælum, & terra, & maria seruiebant, inter cūctos homines, quos terra tunc generauit mansuetissimus prædicatur, & ideo per annos 40. obtinuit principatum, quia potestatis superbiam mānsuetudine & lenitate temperabat. Lapidabatur à populo, & pro lapidantibus orabat quia ipse potius deleri vult de libro vitæ, ne commissus sibi grex pereat, cupiebat enim illum imitari Pastorem, quem sciebat etiam errantes oues humeris suis portaturum.]

Effectus Mansuetudinis maximè elucet, dum quis prouocatus & læsus vincit in bono malū. Sunt enim quidam mites, sed quandiu nihil dicitur, vel agitur, nisi pro eorum arbitrio. Patebit autem quàm longè sint à vera mansuetudine, si leuis oriatur occasio. Verè autem mansuetus, aliorum iniquitates etiam in sui læsionem redudantes tolerat, & prunas ardentes Charitatis congerit super capita eorum, quibus succendantur in cordibus, & sibi temperent à malis. Hāc mansuetudinem perfectam optat in Ministris Dei Sanctus Paulus, dum monet vt exhibeant se cū omni patientia & benignitate per armæ Iustitiæ à dextris & à sinistris, per gloriā & ignobilitatem, per infamiā & bonam famam; hoc est tàm in aduersis quàm in prosperis; siue honorentur & laudentur; siue inhonorentur & vituperentur. Ergo iniurijs & prouocatione lædentis, maximè probatur Mansuetudo Christiana. Quapropter vnus ex Eremi Patribus cum Christi Fidem

an-

annuncians exagitaretur iniurijs ab infidelibus Alexandrinis, & interrogaretur ab illis quæ Christus miracula fecisset, non aliud respondit. *Hoc miraculum fecit, quod ego contumelijs & iniurijs vestris lacessitus, ad indignationem nihil commouear.* Hoc requirit Christus à suis Apostolis & ab eorum successoribus in regimine Animarum; quod enim dicit Matt. 10. (*Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum*) omnes concernit Pastores, qui missi à Domino monentur (licet ex officio Pastores sint) instar ouium & agnorum per humilitatem & mansuetudinem se exhibere cum in lupos inciderint, id est in eos, qui verbis mordent; & factis nocent, aut sæuiunt. Vt scilicet humilitate & mansuetudine iram eorum superent, eosq; vincant, & de lupis oues efficiant, quod non infrequenter accidit Domino cooperante. Etenim & hoc indicare voluit Dominus per Esaiam 11. loquens de grege futuro in Ecclesia noua Christi. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur.* Et statim adjecit. *Et puer parvulus minabit eos, siue deducet ad pascua.* Hoc Pastores concernit interprete D. Hieronymo, in quorum grege non desunt varij humoris & conditionis homines: Aliqui superbi sunt vt Leones ob potentiam, vel nobilitatem, vel scientiam, vel opes: Aliquid dolosi sunt & furiosi, cholerici, & impatientes vt Pardi vel Vrsi qui vix possunt domari: Aliqui vt Lupi rapaces sunt & iniusti, alios nati deuorare: Alij verò vt oues, agni, hædi, vituli, faciles sunt & suaues moribus. Interim grex iste ex varijs aggregatus naturali complexione dissonis, gratia Christi ad concordiam debet reduci, vt simul morari possint, & pasci, nec sibi mutuo noceant. Quomodo id poterit fieri vult id Dominus perfici per Pastores, quos instar puerorum vult esse, humiles mãsuetos ac innoxios sine dolo & malitia: vt sic pascuis doctrinæ efficacius possint gregem pascere, & de Lupis, Leonibus, Pardis, ac Vrsis, sua humilitate & suauitate Agnos facere, gra-

tia Dei cooperante. Hoc est enim quod ait *puer paruulus minabit eos*. Si enim qui Pastor est, superbus sit vt Leo, variegatus & dolosus vt Pardus, cholericus & impatiens vt Vrius, mordens & dilanians vt Lupus, nihil proficiet: cõtrarijs igitur virtutibus eos euincere debet. Sic Apost. facti paruuli, & agni; ad pascua doctrinæ Christi deduxerunt Reges, Principes, barbaros, & feros homines, eosq; agnos è lupis effecerũt.

§. 3. *De Gradibus Mansuetudinis.*

GRadus in hac virtute assignantur sicut in alijs; ita vt primus Gradus sit voluntas eam habendi ad quam inducunt motiua illius excellentiæ tradita suprà §. 1. & alia tradenda §. sequenti.

Secundus est Fortitudo. Nam ira ferox est bellua: tam ira tua, quam alterius, qui in te debacchatur [nihil iracundo homine infestius *ait Sanctus Chrysostomus homil. 29. ad populum*. Feræ potius quam iracundo homini cohabitandum est; nam illa cum semel mansuefacta fuerit suam seruat legem: hunc autem quotiescunq; mitigaueris rursus efferatur. Sicut enim dies clara & serena, & hyems multa plena tristitiæ: itidem & irascentis animus & mansueti. Quis tortor ita laniare latera poterat? quæ ignita tela corpus ita perforare? quis furor ex naturalibus sensibus ita excedere facit sicut furor & iræ cõsternatio? Ebrietas quædam est ira, immò verò difficilior ebrietate, & Dæmone miserabilior]. Melius est *(inquit Salomon)* habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa, & iracunda. *Et Propheta alibi*. Noli ait esse amicus homini iracundo, neq; ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum Animæ tuæ.]

Quomodo autem Fortitudo Mansuetudinis aduersus ita exerceri debeat paucis docet *Sanctus Bernardus serm. 13. in Psal. Qui habitat*. [Ex consideratione (*inquit*) iniquitatis pro-

propriæ, & ex dolore qui ob culpam in Deum commissam concipitur, oriri solet non solùm Mansuetudo cui Draconis flatus non nocet; sed etiam Magnanimitas quam rugitus leonis non terreat.]

Tertius gradus est Delectatio. Hæc percipitur in vsu Mansuetudinis inueteratæ, quæ habitus virtutis huius est, quam requirit in primis *Sanctus Ambrosius lib. 1. offic. cap. 21. cum dicit spiritus contrà iram.* [Primum *inquit*, est si fieri potest, vt morum tranquillitas vsu quodam affectionis proposito in naturam vertatur. Habitus autem delectationem habet, præsertim verò mansuetudo, quæ inimica omnis perturbationis, pacis autem conciliatrix cum sit mirabilem voluptatem animo adfert.] Gaudium hoc ab Apostolo inter fructus Spiritus adnumeratum Mansuetudo nominatur, hoc est delectatio quæ vsu mansuetudinis percipitur.

§. 4. *De Mediis ad Mansuetudinem amplectendam.*

MOtiua satis efficacia ad hanc virtutem sectandam sunt ea, ex quibus illius excellentia demonstratur. Nempe quòd sit conformis naturæ humanæ: quòd pacem animo conciliet: quòd sit grata Deo & hominibus: quòd demulceat inimicos. Nihilominus vt calcaria calcaribus addamus, afferemus quædam exempla eorum qui insignes fuerunt in ista virtute. Nam *vt ait Diuus Chrysostomus hom. 3. de Laud. S. Pauli.* [Et hi qui laborant oculis, colorem aliquem suauem frequenter intuendo aliquod morbi capiunt leuamen, sic is qui hominum mansuetorum imaginem præ oculis habet, si in ea assiduè defigat oculos, etiam si millies obtundat ira mentis oculum perturbans perfectam sanitatem, puramq; Philosophiam ac tranquillitatem animi consequetur.

Igitur Mansuetudinem non solùm Christus & Apostoli

sed & illi qui in Ecclesia vt Pastores emineruerunt, semper sectati sunt, & ipsimet Principes saeculi, supremiq; Monarchæ, cuius nutu omnia regebantur.

Sanctus Ioannes Chrysostomus pro concione differens coràm populo Antiocheno, Hom. 20. exorarione Flauiani hæc refert. Fertur Beatus Constantinus effigie sua quandoq; lapidata multis ipsum instigantibus ad supplicium de auctoribus contumeliæ sumendum; & dicentibus quòd omnem ipsius faciem saxis conuulnerarint: manu faciem palpans & leniter ridens dixisse. *Ego verò nusquam vulnus in fronte factum video: sed sanum quidem caput sana verò & facies tota.* Illi verò reuersi & confusi ab hoc iniquo destitere consilio, & hoc verbum hactenus canunt omnes: nec tantum temporis labefecit, aut huius memoriam extinxit, quod non sit hoc trophæis splendidius.

Caupo quidam Ciuitatis Alexandriæ multis iniurijs, & contumelijs affecerat iuuenem quendam Ioanni Eleemosinario Patriarchæ Alexandrino sanguine coniunctum. Iuuenis apud Episcopum graviter conqueritur. Episcopus fingens etiam se commoueri vt iuuenis animum mitigaret. *Itane*, inquit, *aufus fuit te vel verbo violare? factum ne eo, quod totu Alexandria mirabitur.* Moxq; vocato ad se vectigalium Magistro, iubet vt nihil amplius vectigalis, aut aliquod aliud Ecclesiæ debitum ab illo Caupone exigat; sed vt immunem illum ab omni solutione, quæ quidem ipsi vel Ecclesiæ eius deberetur, relinquat. Hoc videlicet eius factum tota Alexandria mirata est: Caupoq; non solùm à maledictis cessauit; sed omni Episcopum & iuuenem cognatum officio coluit. Ita fusius in vita Sancti Ioannis Eleemosinarij.

Duo senes Monachi cum vno fratre iter agentes & errantes de via inter sata inuenti sunt, & aliqua de satis volentes, nolentesq; pedibus cõculcauerunt. Quod cum vidisset agricola (erat enim in agro operans) exarsit contrà illos multa ma-

maledicta profetre cum iracundia dicens. *Vos Monachi estis? Vos Deum in cis? si timorem Dei reipsa oculos vestros habuissetis, profecto hoc non fecissetis.* Tunc ait vnus senior socijs suis, *Per Dominum nullus eorum respondeat.* Conuersusq; ad illũ dixit. *Rectè dixisti Fili mi.* Ille rursus furens contumelijs competebat eos, Rursumque dixit senior ad illum. *Vera prosequeris Fili; si vere Monachi essemus, istud non fecissemus; sed per Dominum indulge nobis quoniam peccauimus.* Stupefactus ille ad tantam senis humilitatem accessit proprius, prostrauitq; se ad senis pedes dicens: *Peccaui indulge mihi, & per Dominum assumite me vobiscum.* Rusticus ergo secutus illos accepit habitum. *Prat. Spir. cap.* 218.

Excelluit quoq; virtus Mansuetudinis in Pastorum Patre S. Carolo Borromeo, cui cum pro reformatione Ecclesiæ suiæ adlaboranti tot oppositiones, & contradictiones spiritus malignus per potentiam Magnatum, per rebellionem Ecclesiasticorum, ac Religiosorum suscitaret, nunquam tamen in iram prorumpere visus est, aut animi alterationem pati, vel turbida commotione conqueri: omnia cum mansuetudine & tranquillitate superans ad optatum finem perduxit. Cum quodam die ad eum deferrentur literæ, quibus certior reddebatur conspirationis in personam suam factæ detectis illius auctoribus, accipiens literarum fasciculum à nobili quodã delatũ, quod ab Episcopo Sauonensi mittebatur, ne quidem reserandũ putauit, sed coram latore igni tradidit, hoc solùm addens. *Gratus tibi ago pro obsequio Charitatis in me præstitæ, & rogo vt nomine meo R. Episcopo id ipsũ præstes. Nolui autem videre quis autor foret tàm improbæ factionis, quia iam Missæ Sacrificium oblaturus sum, nec vllum volo admittere aditum tentationi aut praua in aliquem voluntati.* Quod quidem responsum in admirationem rapuit illum nobilem, qui vbiq; præco extitit tranquillitatis & benignitatis quam in viro tanto deprehenderat. Similiter cum quidem domesti-

cus

cus publicum ſcriptum refertum iniurijs & conuitijs eius perſonam laceſſentibus reperiſſet affixum, & ad ipſum detuliſſet: ſtatim curauit flammis dari, nec animi tranquillitatem voluit his præpedire. Quid etiam eius manſuetudine manifeſtius quando impius ille conſpirator ſcopleto orantem oppetijt? Cum enim globulus ad pedes defluxiſſet, nequaquam ab oratione abſtinuit, quin immò præcepit domeſticis vt nemo ſe moueret, nec conſpiratorem requireret, cui eo ipſe tempore offenſam remittere proteſtatus eſt. Vnde quantum potuit Vibis Mediolanenſis Gubernatorē tunc ſe viſitantem, ne inquiſitionem in reum perageret, eſt hortatus, ſic & verbo & exemplo inculcabat illud ſapientis Eccleſ. 3. *Fili in manſuetudine perfice opera tua, & ſuper gloriam hominum diligeris.*

Sed enituit manſuetudo & clementia etiam in Principibus laicis. Atq; vt vnum aliquod afferam exemplum. Præclarum manſuetudinis exemplum in Othone Magno Imperatore nobis proponitur. Nam cum vndiq; bella domeſtica in eum cōmouerentur tanta, vt videretur Europa in perniciem Imperatoris conſpiraſſe; Henricus quoq; frater ſpe regni accenſus ſeditioſa aduerſus eum arma expedit. Verùm cum aliquot prælijs victus, omnibus rebus ſe deſtitutum videret, aſſumptis aliquot Ep ſcopis, de improuiſo ad Imperatoris fratris ſui genua procidit, ſupplexq; veniam ab eo petit. Epiſcopi quoq; pro victi quiſq; ſua pro eo intercedunt. Imperator primùm quaſi attonitus aliquantiſper tacuit. Tandem in hæc verba erupit: *Quam rē, Frater, à me offenſus animo adeò exaſperato funeſtum prorſus aduerſum me bellum concitaſti? Implacabilis fuit hactenus furor tuus nec vllum venia, quam ſæpe vltro tibi obtuli, locum dedit. Propter quam contumaciam tuam licet nulla ſis venia digna: attamen non quid tua mereantur facta, ſed quid fratrem & Regem decent ſpectabo, depoſitiſq; inimicitijs ita vt fratrem amplectar.* His dictis fratrem lubentium oſcula-

tur.

tur. Inde ad aliquod temporis spatium ducatum Bauariæ ei attribuit, omniaq; fraterni amoris officia sedulò cum ipso coluit. *Ex Dauentrio florum exempl. cap. 7. tit. 51.*

Conclusio, & Adhortatio ad Ecclesiasticos.

ET hæc satis sint dicta pro complemento huius primæ partis nostri Speculi Ecclesiastici. Esset hic agendum de Pietate erga Deum; sed remittimus lectorem ad ea, quæ tradidimus supra *cap. 3. huius dist. vbi agitur de orat. & cap. 11. de Iustitia in §. de Iust. erga Deum.* Est enim Pietas virtus subordinata Iustitiæ.

Cæterum pro Coronide huius primæ partis nil aliud superest nisi vt ego minimus inter ministros supremi ac summi Regis ac Sacerdotis Christi Domini humillimè rogem, ac obsecrem in visceribus Redemptoris omnes Patres, Dominos, ac Fratres meos Ecclesiasticos vt meminerint sui status, gradus, & dignitatis; recogitent se diuino cultui esse dedicatos, homines sanctificatos, Angelos humanos, ac Deos, vt ita dicam, terrenos; proindeq; debere ipsos nonnisi pietatem spirare, virtutem præseferre, sanctitatem induere, & ab omni seculari negotio, mundiq; commercio se alienos ostendere. [Considerate Patres mei ac Domini (*vt cum D. Bernardo ser. ad pall. in synodo proloquar*) considerate, inquam, obsecro in hoc speculo non vultum vestræ natiuitatis, sed statum quotidianæ conuersationis: & nolite abire negligendo, sed stetis diligentius inuestigando, & perscrutatis medullitus conscientijs vestris, in testimonijs earum aut gloriemini aut terreamini. Nam sicut multis gloria, ita multis est ignominia testimonium conscientiæ suæ. Ecce Christus Dominus in suo sacro Euangelio Ioannis 10. sub numero trium pastorum includit multitudinem vniuersam Prælatorum. Proposuit enim nobis bonum pastorem, mercenarium, & furem. Si boni pastores estis gaudete; quia merces vestra co-

pio-

pioſa eſt in cælis. Si mercenarij eſtis, timete; quia periculum veſtrum grande eſt in terris. Si fures eſtis, ingemiſcite; quia locus veſter magnus eſt in pœnis, niſi properaueritis ad pœnitentiam, & quæ vouiſtis Domino Deo veſtro dignè reddideritis. Vos maximè qui in circuitu Domini eſtis, & in conſpectu eius aſſertis munera, & offertis non corruptibilium auri & argenti; ſed precioſi ſanguinis, & corporis agni immaculati. Quantam dignitatem contulit vobis Deus? quanta eſt prærogatiua ordinis veſtri? Prætulit vos Deus Regibus, & imperatoribus, prætulit ordinem veſtrum omnibus ordinibus, imò (vt altius loquar) prætulit vos Angelis, & Archangelis, Thronis, & Dominationibus. Sicut enim non Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit ad faciendam redemptionem, ſic non Angelis, ſed Hominibus, ſolíq; ſacerdotibus Dominici corporis & Sanguinis commiſit conſecrationem. Omnes enim (ſicut ait Apoſtolus) ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Sed longè excellentius eſt officium veſtrum, quod admirabile eſt, & non ſolum in oculis veſtris, ſed etiam Angelorum. Quapropter veſtrum eſt, vt lucere in alios irradiare, vt columnas & baſes onera ſuſtinere, vt duces & doctores cæteris anteire, vt paſtores & doctores populos erudire, errantes in viam reducere, lapſos erigere, titubantes confirmare, ſtantes confortare. Eſtote igitur tanquam agni manſueti ſine turbidæ vocis clamore; tanquam columbæ ſine felle amaritudinis; tanquam reges inter apes ſine aculeo vltionis, & cum mellis ſuauitate. Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei prouidentes, non coactè, ſed ſponte neè ſecundùm Deum; neq; turpis lucri gratia ſed voluntariè; neq; vt dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo, vt cum apparuerit Princeps Paſtorum percipiatis immarceſcibilem gloriæ coronam, quam Deus pro ſua miſericordia nobis omnibus donare dignetur. Amen.

Laus Deo qui dedit velle, deinde perficere.

INDEX

Distinctionum, Capitum, & Paragraphorum Primæ Partis Speculi Ecclesiastici.

Summa totius partis. fol. 1.

Distinctio prima. De Rationibus mouentibus Ecclesiasticos ad capessendam bonitatem, vitæq; perfectionem. 2.

Caput 1. De Ratione mouente ad Bonitatem, vitæque perfectionem ducta à persona propria Ecclesiastici quatenus est Homo. 3.

Caput 2. De ratione mouente ad Bonitatem ducta à persona propria Ecclesiastici quatenus est Christianus. 6.

Caput 3. De Ratione mouente ad Bonitatem ducta à conditione status Ecclesiastici quatenus illius dignitas est excellens. 9.

Caput 4. De Ratione mouente ad Bonitatem ex eo, quod Ecclesiastici Sacerdotis potestas est sublimis. 17.

Caput 5. De Ratione mouente ad Bonitatem ex eo, quod Ecclesiastici Sacerdotis officium est præstantissimum. 21.

Caput 6. De Ratione mouente ad Bonitatem ex eo, quod peccata Ecclesiasticorum sunt grauiora quàm laicorum. 26.

Caput 7. De ratione mouente ad Bonitatem ex eo, quod peccata Ecclesiasticorum grauius puniuntur. 31.

Caput 8. De Ratione mouente ad Bonitatem ex eo, quod Ecclesiastici curare debent proximorum salutem. 33.

Caput 9. De Ratione mouente ad Bonitatem ex eo quod si malè vixerint Ecclesiastici multa ex illorum improba vita mala oriuntur. fol. 35.

Caput 10. De Ratione mouente ad Bonitatem desumpta à bonis, quæ ex pia Ecclesiasticorum vita proueniunt. 38.

Caput 11. De Ratione mouente ad Bonitatem ducta ab exemplis bonorum Ecclesiasticorum eo quod Deus est specialis illorum defor. 40.

Caput 12. De Ratione mouente ad Bonitatem ducta ab exemplis malorum Ecclesiasticorũ eo quod Deus est specialis illorũ vlcor. 42.

Conclusio & Adhortatio ad Ecclesiasticos. 44.

INDEX

Distinctio 2. De Remotione illarum rerum, quæ impediunt Bonitatem & Perfectionem in Ecclesiasticis. 48.

Caput 1. De Remotione finis suscipiendi statum Ecclesiasticum propter honorem temporalem, seu de removenda Ambitione. 49.

Caput 2. De Remotione Finis assumendi statum Ecclesiasticum propter opes & diuitias, seu de removenda Cupiditate. 54.

Caput 3. De Remotione finis assumendi statum Ecclesiasticum propter corporis voluptates; seu de removenda Carnis concupiscentia. 57.

Caput 4. De Remotione Præsumptionis in suscipiendis Ecclesiasticis muneribus & Dignitatibus. 61.

Caput 5. De Remotione Simoniæ in acquirendis officijs ordinibus, & Dignitatibus Ecclesiasticis. 65.

Caput 6. De Remotione otij post assumptum statum ecclesiasticum. 70.

Caput 7. De Removenda nimia familiaritate cum mulieribus. 77.

Caput 8. De Removendis commessationibus, compotationibus & ebrietatibus. 84.

§. 1. Afferuntur auctoritates Sacrarum literarum, Canonum, Patrum & Philosophorum. 84.

§. 2. Afferuntur Rationes. 89.

§. 3. Adducuntur exempla. 95.

§. 4. De excusationibus vanis Ebriorum cum suis responsionibus 97.

Caput 9. De Removendis ludis & Venationibus. 100.

§. 1. De Ludis. 101.

§. 2. De Venationibus. 104.

Caput 10. De Removendis litibus, Iurgijs & Percussionibus. 108.

§. 1. Adducuntur auctoritates Sacræ paginæ, Sacrorum Canonum, & Sanctorum Patrum. 109.

§. 2. Rationes afferuntur. 112.

§. 3. Afferuntur exempla ad propositum confirmandum. 116.

§. 4. Quando & quomodo sit licitum Ecclesiasticis agere lites, itemque percutere. 117.

Caput 11. De Removendis Negotijs Secularibus. 120.

§. 1. Adducuntur auctoritates Sacræ paginæ, Sacrorum Canonum, & Sanctorum Patrum. 121.

§. 2. Inducuntur Rationes. 126.

§. 3.

§. 3. Exempla afferuntur. 129.
§. 4. A quibus Negotijs in ſpecie debeant abſtinere Eccleſiaſtici. fol. 131.
§. 5. Quæ, & qualis Negotiatio ſit Clericis prohibita, vel permiſſa. fol. 134.
Caput 12. De Remotione ſuperbiæ, eiuſq; ſpeciebus. 137.
§. 1. De auctoritatibus Sacræ Scripturæ, Sacrorum Canonum & Sanctorum Patrum. 139.
§. 2. Rationes adducuntur. 143.
§. 3. Afferuntur exempla. 147.
§. 4. De Remedijs contrà Superbiam. 149.
Concluſio & Adhortatio ad Eccleſiaſticos. 152.
Diſtinctio 3. De Poſitione illarum rerum, quæ Bonitatem inducunt in Eccleſiaſticos. 156.
Caput 1. De Eccleſiaſtica Reſidentia. 157.
Caput 2. De Lectione Spirituali. 161.
§. 1. Afferuntur auctoritates Sacræ Scripturæ, Sacrorum Canonum, & Sanctorum Patrum. 162.
§. 2. Afferuntur Rationes. 164.
§. 3. De exemplis eorum qui per Sacram lectionem ad Sanctitatem peruenere. 167.
§. 4. Quinam ſint libri legendi, & quinam reſpuendi. 168.
§. 5. De Modo in lectione ſpirituali adhibendo. 169.
Caput 3. De Oratione. 171.
§. 1. De Valore, & Neceſſitate orationis per auctoritates Diuinarum literarum, Sacrorum Canonum, & Patrum. 172.
§. 2. De Rationibus. 175.
§. 3. Exempla afferuntur. 179.
§. 4. De Modo orandi, ſeu de conditionibus orationis. 181.
§. 5. De loco orationis. 187.
§. 6. De Tempore orationis. 191.
§. 7. De oratione Mentali. 194.
§. 8. De vanis illorum excuſationibus, qui orationem mentalem refugiunt. 197.
§. 9. De orationibus Iaculatorijs. 199.
§. 10. De examine conſcientiæ. 200.

Caput 4. De Officio Diuino. 202.
§. 1. De Quantitate Officij Diuini. 204.
§. 2. De Qualitate Officij Diuini. 205.
§. 3. De Modo recitandi. 208.
§. 4. De loco recitandi. 212.
§. 5. De Tempore recitationis. 213.
§. 6. De Praxi recitandi piè ac deuotè. 216.
Caput 5. De Confessione. 226.
§. 1. Quid sit Confessio, & quas vtilitates pariat. 227.
§. 2. De Conditionibus veræ confessionis. 231.
§. 3. De Impedimentis veræ & integræ Confessionis. 240.
§. 4. de Praxi frequentis Confessionis. 247.
§. 5. De Confessione Generali. 254.
Caput 6. De Sacrosancto Missæ Sacrificio. 255.
§. 1. De Nomine, & Definitione Missæ. 256.
§. 2. De Institutione Missæ, & de illius excellentia. 262.
§. 3. De Præstantia Sacrificij Missæ super omnia Sacrificia. 265.
§. 4. De offerentibus. 272.
§. 5. De Re oblata in Sacrificium. 274.
§. 6. De Valore Sacrificij Missæ. 276.
§. 7. De His quibus prodest Sacrificium Missæ. 283.
§. 8. De partibus Missæ. 284.
§. 9. De significatis partium Missæ. 287.
§. 10. De Dispositione necessaria ante celebrationem. 288.
§. 11. De Dispositione necessaria in ipsa celebratione. 300.
§. 12. De Dispositione necessaria post ipsam celebrationem. 309.
§. 13. Vtrum sit melius celebrare Missam festinanter an verò tardè, & cunctanter. 313.
Exhortatio ad Sacerdotes. 320.
Caput 7. De Fide. 323.
§. 1. De varijs acceptionibus Fidei. 324.
§. 2. Quid sit Fides Humana, Quid Fides Diuina. 326.
§. 3. De obiecto, & de subiecto Fidei Diuinæ quodnam sit. 327.
§. 4. De obiecto materiali Fidei Diuinæ quodnam sit. 328.
§. 5. An obiectum Fidei Diuinæ propositum ad credendum ab Ecclesia Romana habeat euidentiam credibilitatis. 333.

§. 6.

§. 6. An obiectum Fidei Catholicæ Romanæ ſit magis credibile ſuper omnia alia obiecta aliarum ſectarum. 340.
§. 7. An obiectum materiale Fidei conuenienter & ſufficienter tradatur in ſymbolo, & per articulos. 347.
§. 8. De obiecto formali, ſeu de ratione formali obiecti Fidei Catholicæ Romanæ. 351.
§. 9. An detur aliqua infallibilis Regula dignoſcendi quodnam ſit verum obiectum Fidei Diuinæ. 353.
§. 10. An debeat dari aliquis Iudex in controuerſijs de obiecto Fidei, & quiſnam debeat eſſe. 366.
§. 11. De Actu fidei quotuplex ſit. 372.
§. 12. De Actu interiori quando neceſſarius. 374.
§. 13. De quibus articulis actus Fidei interior debeat eſſe explicitus. fol. 372.
§. 14. De Actu exteriori Fidei quando neceſſarius. 379.
§. 15. De conditionibus Fidei actualis. 384.
§. 16. De Fide habituali ſeu de Habitu Fidei tùm quoad eſſentiam tum quoad neceſſitatem. 388.
§. 17. De vitandis oppoſitis Fidei, & præſertim de Hæreſi. 389.
§. 18. Eccleſiaſtici debent antecellere laicos in fide, & quomodo ſe gerere debeant inter Hæreticos. 397.
§. 19. An ſit permittenda libertas Religionis. 401.
Caput 8. De Spe. 405.
§. 1. De varijs acceptionibus huius nominis Spei. 405.
§. 2. De Spe prout accipitur in malũ, ſeu de vana Confidentia. 407.
§. 3. De Spe prout accipitur in bonũ, & ſonat Virtutẽ, q d illa ſit. 408.
§. 4. Quomodo Spes ſit Virtus Theologica diſtincta ab alijs. 410.
§. 5. De ſubiecto Spei. 412.
§. 6. De obiecto Spei. 414.
§. 7. De Fructibus & vtilitatibus Spei. 419.
§. 8. An liceat ſperare in homine aut alia re creata. 421.
§. 9. De his quæ excitare nos poſſunt ad actum Spei. 422.
Caput 9. De Charitate & Zelo Animarum. 424.
§. 1. De Charitate quid ſit. 425.
§. 2. De Charitatis ſubiecto. 429.
§. 3. De Charitatis obiecto. 431.

§. 4.

§. 4. De Charitatis ordine, 438.
§. 5. De Charitatis præcepto. 440.
§. 6. De Charitatis excellentia. 443.
§. 7. De Charitatis gradibus. 450.
§. 8. De Charitatis præstantia in Ecclesiasticis requisita. 454.
§. 9. De Zelo salutis Animarum, in quo excellere debent Ecclesiastici. 456.
Caput 10. De Prudentia & Discretione. 469.
§. 1. Quid sit Prudentia, & cuius potentiæ sit virtus, 469.
§. 2. De Prudentia secundùm partes eius integrales. 471.
§. 3. De Prudentia secundùm partes illius subiectiuas seu species illius. 474.
§. 4. De Prudentia secundùm gradus illius præsertim Prudentiæ perfectæ. 475.
§. 5. De Prudentia quoad effectus. 479.
§. 6. De Prudentia quoad eius necessitatem in Ecclesiasticis præsertim in Pastoribus. 484.
§. 7. De Prudentia quoad Modum, quo acquiri potest. 486.
§. 8. De vitijs oppositis Prudentiæ à quibus cauere præsertim Ecclesiastici debent. 487.
Caput 11. De Iustitia. 491.
§. 1. Vnde dicatur Iustitia, & quid significet Ius. 492.
§. 2. Quid sit Iustitia. 493.
§. 3. Quotuplex sit Iustitia. 494.
§. 4. De Iustitia erga Deum. 498.
§. 5. De Iustitia erga Proximum. 506.
§. 6. De Iustitia erga seipsum. 508.
Caput 12. De Castitate, Pudicitia, & Continentia. 514.
§. 1. Quid sit, & vnde dicatur Castitas. Ibid.
§. 2. Quid sit & vnde dicatur Pudicitia. 515.
§. 3. Quid sit Continentia. 516.
§. 4. De Castitatis excellentia. 517.
§. 5. De necessitate Castitatis præsertim in Ecclesiasticis. 522.
§. 6. De Motiuis ad Castitatem amandam, & amplectendam. 525.
§. 7. De Gradibus Castitatis. 527.
§. 8. De Remedijs pro Castitate seruanda, & contra oppositum vitium

Digitized by Google

tium. 529.
Caput 13. De Patientia. 537.
§. 1. Quid sit Patientia. ibid.
§. 2. Quam excellens sit virtus. 538.
§. 3. Quàm necessaria sit omnibus; sed præsertim Ecclesiasticis. 539
§. 4. De Gradibus Patientiæ. 542
§. 5. De Motivis ad amplectendam Patientiam. 543
§. 6. De Modo comparandi Patientiam. 545
Caput 13. De Mansuetudine. 549
§. 1. De Excellentia Mansuetudinis. ibid
§. 2. De Necessitate Mansuetudinis. 552.
§. 3. De Gradibus Mansuetudinis. 554
§. 4. De Motivis ad Mansuetudinem amplectendam. 555.
Conclusio & Adhortatio ad Ecclesiasticos. 559.

FINIS.

REGESTVM.

a b A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu
Xx Yy Zz
Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp
Qqq Rrr Sss Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz Aaaa Bbbb
Omnes sunt Duerniones.

pag.	lin.	Errata	Corrige
14	9	illius	illum
22	5	debet	debeat
29	24	infrugifers	infrugiferis
31	27	dediſcens	vlciſcens
36	12	Dominium	Dominum
50	26	ſine	ſine
75	12	excæcatur	excæcatus
ibi.	14	perſentit	perſenſit
83	5	moliat	mollitat
ibi.	6	moliatur	molliatur
84	22	eſſe	eſcæ
ibi.	24	eſcæ	eſſe
85	2	ebrietare	ebrietatem
88	27	Athænes	Athæneus
256	25	ſante	ſed ante
339	15	Quid, si	Qui
245	28	imitatione	in imitatione
282	13	quod apertè	quod colligitur apertè
329	26	quo	qui
339	23	prævalebant	prævalebunt
344	6	confungi	conjungi
346	28	inuerteret	inuerteret
388	19	definit in	definitio
403	10	qua permiſſa mediocriter læderetur Catholica Religio,& plurimi in non grandi & aperto ſalutis diſcrimine verſarentur.	qua permiſſa non mediocriter læderetur Catholica Religio, & plurimi in grandi & aperto ſalutis diſcrimine verſarentur.
416	11	&	at
422	18	melius	melicius
425	35	ſe	ſei
426	26	extendit	extendere
431	9	illuminaint	illuminanti
432	16	& hic	Ethic.
444	5	Charitas	Charitatis
456	20	exercitiuum	exercituum
469	28	ſe cauſaliter	ſed cauſaliter
506	9	ſtimonia	teſtimonia
507	2	Alij fuerunt	Alij ferunt
513	17	habeat	abeat
528	9	ſpurciciti	ſpurcitiæ
531	21	ieſtus	iuſtos
533	24	dilatat & diffundit	dilatatur & diffunditur
536	24	nuda homo	nuda humo
537	5	quadam	quidam
540	19	fias	fias
553	21	Aliquid	Aliqui

Digitized by Google

Digitized by Google

6-3-2

Digitized by Google